Universidad de Deusto
Biblioteca

Franciscus Petrarcha

Universidad de Deusto
Biblioteca

BIBLIOTECA DE LOYOLA

Sala 11 Estante 2 Plúteo 11

35,4

Universidad de Deusto
Biblioteca

PLVTARCHI Ethicorum siue moralium pars II.

GVILELMO XYlandro Augustano interprete.

Argumenta hoc tomo contenta, pagella versa indicat.

SOCIETATIS IESV BIBLIOTHECA COLLEGII HISPALENSIS
18-38

BASILEAE. M. D. LXXII.

De placitis philosoph. hoc est, breuis recēsionis sententiarum de rebus naturalib. Libri quinque 3
Parallela, id est, historiarum Græcarum cum Romanis coniuncta recensio 65
Compendium commentarij, quo ostenditur Stoicos quã poetas absurdiorã dicere 85
De vnius in republica dominatione, populari statu, & paucorum imperio 87
Bruta animalia ratione vti 90
Cõmẽtarius, Ne suauiter quidem viui posse secundũ Epicuri decreta, docens 103
Libellus, An rectè dictum sit, latenter esse viuendũ 142
An vitiositas ad infelicitatẽ sufficiat. 147
Libellus de amore prolis 150
De Iside & Osiride, Liber 159
De his qui serò à numine puniuntur Cõmentarius 216
Virtutem doceri posse 252
Libellus docens, Qua quis ratione seipsum citra inuidiam laudare possit 255
Cohibenda ira, Dialogus 271 (292
De curiositate, Cõmẽtariolus
De tranquillitate animi, Libellus 307
De vitioso pudore, Cõmentariolus 331 (346
De fraterno amore, Libellus
De garrulitate, Libellus 372
De cupiditate diuitiarum, Libellus 395
Animine an corporis affectiones sint peiores 404
De Fortuna Romanorum, Cõmentariolus 408
De Alexandri Magni siue fortuna, siue virtute, orat. I. 425 II. 437
De esu carnium, orat. I. 459 II. 464
Libellus, Maximè cum principibus viris philosopho esse disputandum 470
Ad principem ineruditũ 476
De virtute morali, Commentarius 482
Commentarius, An seni gerenda sit respublica 505
Præcepta gerendæ reipublicæ 532
De vitando ære alieno, Commentariolus 582
Quæstiones Platonicæ 591
De primo frigido, Libellus 613
Commentariolus, Bellone an pace clariores fuerint Athenienses 630
De exsulio, Commentariolus 641
De inuidia & odio 657
Consolatio ad vxorẽ suã 661
De fato, Libellus 669
De Musica, Cõmentarius 681
Comparationis Aristophanis & Menandri breuiarium. 708
De vita X. Rhetorum 711

PLV-

PLVTARCHI

De Placitis philosophorum, hoc est, breuis recensionis sententiarum de rebus naturalibus,

LIBER I.

VM instituerimus naturæ cognitionis rationes explicare, ipsam rem hoc flagitare censuimus, vt principio statim philosophiæ totam tractationem in suas diuideremus partes: vt liquere posit, quid sit, & quota eius pars sit physica, seu naturæ rerum enarratio. Stoici pronunciarunt, sapientiam esse rerum diuinarum humanarúmque scientiam: philosophiam, quod est sapientiæ studium, exercitationem esse artis ad sapientiam accommodatæ. talem autem esse artem vnicam ac supremam, virtutem. virtutes, quæ suo complexu latissimè pateant, tres esse: naturalem, moralem, disserendi. itaque etiam philosophiam habere tres partes, naturalem, moralem, & disserendi. Naturalem esse cùm de mundo, & iis quæ in mundo sunt, disputamus. moralem, quæ occupatur vitæ humanæ rationibus. logicam (sic enim Græci rationem disserẽdi appellant) quæ circa orationem versatur, eadémque a nonnullis dialectica dicitur. Aristoteles & Theophrastus, omnésq; ferè peripatetici, hac ratione philosophiã distribuerunt: quam explicabo. Virum bonum necesse est & cognitione rerum instructum esse, &

Philosophiæ diuisiones: Stoica & Peripatetica.

aptum ad faciendum in actionibus humanis officiũ. Patet hoc exemplis propositis. Quæritur Sol animal sit necne, siquidem videtur. hoc qui quærit, in contemplatione versatur: nihil enim aliud considerat, quàm quid rei sit. itidem qui disputat de infinitate mũdi, aut an extra Vniuersum aliquid exstet. Ista omnia sunt contemplationis. Rursum quæritur quomodo vita sit instituenda, quomodo liberis cõveniat præesse, quomodo gerẽdus magistratus, quo pacto leges ponẽdæ. Omnia hæc agendi causa quæruntur, & qui hæc tractat, vir agendis rebus intentus (ita practicum exprimere Græcorum liceat) dicitur.

Quid sit natura. Cap. I.

QVANDO præ manibus habemus rerum naturalium contemplationem, necessitatem hoc exigere puto, vt quídnam sit natura, patefaciam. Absurdum enim est aggredi dissertationem de natura rerum, cùm nondum sit explicatum quid valeat naturæ vocabulum. Est itaque natura, si Aristotelem audimus, principium motus ac status ei rei, in qua inest primò, & non per accidens. Omnia. n. quæ sub conspectũ veniunt nostrum, quæ neque fortuitò fiunt, neque necessariò, neque diuina sunt aut diuinitus effecta, naturales res dicuntur, suámque habent propriam naturam: vt terra, ignis, aqua, aër, stirpes, animalia. præterea hæc quæ gigni cernimus, imbres, grandines, fulmina, procellę, venti. Habent enim hæc principium quoddam, cùm nihil eorum sit æternum, sed quodam à primordio sit natum. Atque hæc quidem, vt animalia, vt stirpes initium habent sui ortus: primúmque in iis principium est natura, non motus modò, sed etiam status. quæ enim principium motus nacta sunt, eadem nacta etiam possunt. Itaque & motus & quietis principium est natura.

Res naturales.

Discri-

Discrimen principij & elementi. Cap. II.

ARISTOTELES ac PLATO, & qui ab eorum sunt secta, differre à principio elementum dicunt. Thales Milesius pro eodem vtrunque habet: cùm quidem longissimè à se invicem dissideant ista. Elementum enim omne compositum est: principia neque cõposita sunt, neque effecta. Verbi gratia elementa vocamus terram, aquam, aërem, ignem. Principia ideò dicuntur, quòd nihil est eis prius ex quo nascantur. non enim principij nomen ei debetur, quod natum est alicvnde: sed huic potiùs, ex quo id est natum. Terræ autem & aquæ ortu prior est materia ex qua exstiterunt, forma carens ipsa, & specie: tum ipsa forma, quã vocamus entelecheã: tertium priuatio. Falsa itaque est Thaletis sententia.

Quæ sint principia. Cap. III.

IDEM THALES principium rerum esse dixit aquã. videtur autem princeps philosophiæ hic fuisse, & ab eo secta Ionica nomen duxit. Plurimæ enim fuerunt successiones philosophorum. Hic cum in Aegypto philosophiæ operam dedisset, Miletum rediit ætate iam grandior. Quòd autem ex aqua omnia orta sint: ínque eam omnia suo interitu resoluantur, id ex eo primùm coniecit, quòd semen, omnium animalium principium, humidum est. inde fit probabile, omnia ex humore nasci tãquam principio. Deinde, quia omnes stirpes humido aluntur, ídque fę fecunditatis causam habent, eóque destituta exarescunt. Præterea quoniam ipse Solis stellarúmque ignis aquæ exhalationibus aluntur, ipséque ideò mundus. Itaq; etiam Homerus aquę omnium rerum primordium adscribit, hoc versu:

Thales. Ionica secta philosophorum. Aqua.

Oceanus cunctis præbet primordia rebus. *Ilia. ξ. 246.*

ANAXIMANDER, Milesius & ipse, principium rerum infinito adscribit, ex quo omnia fiãt, & in quod

omnia dissoluantur: ideóque etiam nasci infinitos mundos, & interitu suo ad id redigi, ex quo erât orti, tradit. addítq; infinitum propterea esse, ne aliquâdo ortus rerum deficiant atque subsistant. Peccat autem in eo, quòd non exprimit quid sit infinitum, aërne, an aqua, an terra, aut alia quædam corpora. In hoc etiam, quòd materia exponenda effectricẽ causam abolet. infinitum enim aliud nihil est, quàm materia: quæ nisi efficiens causa accedat, rem creare nullam potest.

Infinitum.

Aer. Horum ciuis ANAXIMENES principium rerum pronunciauit esse aërem, ex quo omnia nascantur, suóque in eum redeant interitu. Ita, inquit, anima nostra, aer est, quæ nos temperat: totúmq; mundũ spiritus & aer continent. Peccat autem hîc quoque, ex simplici & vnius formæ aere ac spiritu putans cõstare animalia. Nefas enim est, solam materiam vt principium omnium rerum subsistere, ex eáque nasci omnia, sed & effectrix causa ponenda est. neque enim argentum sufficit ad poculi ortum, nisi etiam faber accedat argentarius, qui id conficiat. idem de ære, ligno, & alia quavis intellige materia.

Similares partes. ANAXAGORAS Clazomenius similares partes principia rerum statuit. nulla enim ei ratione explicari posse videbatur, qui ex eo quod non esset fieri aliquid, aut quod esset, in nihilũ redigi posset. Sanè cibum sumimus simplicem atque vniformem, vt cùm pane vescimur, & aquam bibimus. illo tamen alimento nutritur crinis, vena, arteria, nerui, ossa, omnes denique partes. quæ cùm fiant, fatendum est in alimento istas omnes naturas inesse, singulísque singula augeri: inesséque in eo particulas sanguini gignendo aptas. itémque suas neruis & ossibus aptas. quæ quidem particulæ mente cernantur. Non enim sensum omnia sunt referẽda, vt quod panis & aqua isthæc conficiant: sed in his ipsis insunt particulæ mente intelligendæ. quas similares partes alimento

simento insitas vt inde nascentibus sit primordium, Homœomerias (quasi similarium semina partium) appellauit ille, & rerum principia esse dixit: ita quidem, vt materiæ locum obtineant. Efficientem enim quoque causam, & quæ disponeret vniuersa, prodidit mentem. Opus suum sic orsus est. Confusa in vnum erant omnia: mens ea diuisit & in ordinem composuit. Hic approbandus est, qui materiæ artificem adiunxerit.

ARCHELAVS Apollodori F. Athenienſis aërem & infinitum, eíque raritatem & densationem additas, quorum hoc terra, illud ignis sit, principia ponit. Hi se deinceps subsecuti à Thalete Ionicam propagauerunt philosophiæ sectam.

Ab alio rursum initio, PYTHAGORAS Mnesarchi F. Samius, is qui princeps philosophi nomen vsurpauit, rerum principia censuit esse numeros, eorúmque inter se siue proportiones siue concinnitates, & ex vtrisque composita elementa, quæ geometrica dicuntur. Rursus vnitatem, & infinitati coniunctum binarium in principiis ponit. Tendunt autem principia eius, alterum ad effectricem causam ac formantem, quæ est Deus, mens videlicet: alterum ad perpessionibus subiectam & materialẽ, quæ est mundus in visum incurrens. Porrò docebat, naturam numeri esse denarium. nam ad decem vsque numerando progrediuntur omnes & Græci & barbari, atque hinc rursus pedem ad vnitatem referunt. Rursum denarij numeri vis & natura in quaternione inest. nam ab vnitate vsque ad quatuor inclusum colligendo numerorũ summam conficies decem vnitatum. vnum quippe, duo, tria, & quatuor, omnia coniuncta, summam decem conflant. si quatuor terminis amplius sumas, etiam summa denarium excedet. Ergo numeri natura vnitatum ratione in denario, facultatis effectu in quaternario invenitur. Itaque sanctissimum iusiu-

Quatuor.

randum Pythagorei quaternario sunt complexi, quam tetractyn vocant.

Aur. carm. 47.

Per tibi nostræ animæ præbentem tetrada iuro
Naturæ fontemq; & firmamenta perennis.

Quin & animam nostram Pythagorici aiunt quaternione constare: esse enim hæc quatuor, Mentem, Scientiam, Opinionem, Sensum: vnde omnes artes ac scientiæ profectæ sunt, ipsique ratione præditi propterea sumus. Mens enim est vnitas: quòd mens quæ percipit, vnitatis in morem percipit. Exempli causa, multi sunt homines. horum vnusquisque pro se percipitur sensu, numerus eorum definiri à nobis nequit. Vnicam verò mens hominis notionem concipit, quæ in singulis repræsentatur. idem de equo, & aliis intelligimus, quorum indiuidua (vt Logici appellant) sunt innumera. Formæ enim siue species, itemque genera omnia, rationem habent vnitatis: itaque singula eorum definientes, dicunt, animal ratione præditum, animal hinniens. Hæc causa est, cur mens, quæ formas rerum percipit, vnitatis adficiatur nomine. Sed & hoc consentaneum est rationi quòd binarius infinitatis socius, scientiæ accommodatur. Omnis enim demonstratio, omnis ratiocinatio quæ scientiæ fidem parat, adeóque omnis in vniuersum ratiocinatio, ex quibusdam in cõfesso positis id de quo disceptabatur concludit, aliúdque è præmissis colligit. quorum apprehensio cum sit scientiæ, eam binario æquum est comparari.

Mens. vnitas.

Scientia. duo.

Opinio. tria.

Opinio autem ternarius est, perceptio scilicet probabilis, quæ multarum sanè est rerum. nam multitudinem ternarius notat, vt:

Odyss. 8, 306

O[illegible] *felices Danaos.* —

Itaq; te[illegible]arium non inserit. * *

Ignis.

Hera[illegible]leitvs, & Hippasvs Metapontinus, ignem omnium esse rerum principium perhibuerunt. omnia enim dicunt ex igne nasci, & in ignem resolui:

resolui: & ignis exstinctione Vniuersum hoc creatum esse. Primùm enim crassissimas eius partes inse se coëundo, terram constituisse. deinde vi ignis laxatam terram, aquam edidisse. hanc exhalando aëri ortum præbuisse. Porrò mundum & omnia corpora igni consumtum iri in conflagratione Vniuersi. Ita ignem principium esse ex quo exsistant omnia, & finem in quem omnia récidant.

Epicvrvs Neochis F. Athenienſis, Democriti in philosophia naturali sectator, omnium rerum principia statuit corpora mente percepta, expertia vacui, sempiterna, interitus secura, & quæ confringi non possint, neque deformationem partium admittant, neque alterationem, & sola mente cernantur, moueantur in vacuo & per inane. esse autem ipsum inane infinitum, & corpora infinita. Tria autem hæc accidere corporibus, figuram, magnitudinem, pondus. quorum hoc tertium duobus, quæ Democritus perhibuerat, ab Epicuro est adiectum. quod hic motum corporum fore nullum sentiebat, nisi grauitate perculsa mouerentur. Figuras atomorum esse comprehensibiles, non infinitas. neque esse vel vncinatas, vel tridentes, vel armillares: quæ figuræ sint collisioni obnoxiæ: cùm atomi sint perpessionis ac cõtritionis exsortes. Dictam atomum, non quòd sit minimum, sed quòd secari non possit, aut conteri, sitque immunis à perpessionibus & inanis expers. Esse autem atomum, liquere. esse enim elementa semper durantia, & animalia inania, & vnitatem. *Atomi.*

Empedocles Metonis F. Agrigentinus, quatuor dicit elementa, Ignem, aërem, aquam, terram. duo autem principia, Amiciciam & discordiã, quorum hoc vniat res, alterum discernat. Sic a[illegible]é ait:

Radices primùm rerum tibi quatuor edam.
Iuppiter æthereus, Iuno vitalis, ad hos Dis,

Et Neſtis lacrymis humanos quæ rigat aluèos.

Iouis enim nomine ignem intelligit atq; ætherem, Iunonis vitalis aërem, Plutonis terram, Neſtis & humanorum canalium, ſemen & aquam.

SOCRATES Sophronifci F. Athenienſis, & Plato Ariſtonis F. ciuis eius, (ambo enim idem de Vniuerſo ſenſerunt) tria ſtatuunt principia, deum, materiã, ideam. Mens eſt, quod deum nominant: materia primum rebus orientibus & intereuntibus ſubiectũ: idea natura corporis expers, in conceptis mentis & imaginationibus dei. deus autem mens eſt mundi.

ARISTOTELES Nicomachi F. domo Stagerita, principia deſignauit, Formam, quam entelecheam dixit, Materiam, Priuationem. elementa quatuor. quintum corpus quoddam æthereum immutabile.

ZENO Mnaſeæ F. patria Citienſis, deum efficiendi, materiam perpetiendi principium poſuit. tum elementa quatuor. Horum ſecta Italica dicitur à Pythagora, qui è Samo ob Polycratis tyrannidem ſibi diſplicentem in Italiam commigrauit, ibíque ſchoam aperuit.

Quomodo coaluerit mundus. Cap. IV.

MVndus vndiquaque confracta forma cõcreuit, hoc modo. Cùm inſectilia corpuſcula (ſic nunc atomos voco) fortuitò mouerẽtur, nulla motus gubernante providentia, continentérque & celerrimè agitarentur: multa in vnum collecta ſunt corpora, ob eámq; cauſam magna iis fuit & figurarũ & quantitatis varietas. Sic illis coactis, quæ maiora erant & grauiſſima, vtique ſubſederunt. quæ minora, rotunda, læuia, ac lubrica fuêre, eliſa in concurſu corporum in ſublime ſubvecta ſunt. Poſtquam elanguit vis impellens, atq; in ſublime protrudens, reliqua, quorſum efferri deſiiſſent, neque deorſum ferri quirent, compulſa ſunt ad loca recipiendo apta, nimirũ ea quæ ſunt in ambitu. ad hæc multitudo corporum

porum reflexa eſt: cúmque inter ſe cohæreſcérent inter reflectendum, cœlum genuerunt. Atomi autem eiuſdem naturæ ac variæ, ſicvt dictum eſt, compulſæ in ſublime aſtra confecerunt. Iam multitudo corporum exhalando ſurſum elatorum, aërem percuſsit, eóque eliſo, cùm is motu in ventum eſſet redactus, complexus aſtra ſecum circumduxit, & eam ſublimium corporum circumagitationem, quæ adhuc durat, effecit. deinde ex corporibus ſubſidentibus terra exſtitit, ex ſubvectis in altum, effecta ſunt cœlum, ignis, aër. Cum autẽ multum materię etiamnum in terra eſſet compræhenſum, ac ictibus ventorum condenſaretur, auríſq; ab aſtris venientibus, omnis terræ figura exiguis conſtans partibus compreſſa fuit, humidámq; produxit naturam. Hęc cùm eſſet fluida, in caua defluxit & capacia ob ſoliditatem. aut ipſa per ſe aqua conſiſtẽs, ſubiecta loca excauauit. Hoc modo principes mũdi partes ortæ ſunt.

An vnicus ſit mundus. Cap. V.

STOici vnum mundũ eſſe pronunciauerunt, quem & vniuerſum appellant & corporeũ. EMPEDOCLES vnum quidem mundũ, ſed hunc nõ eſſe idem cum Vniuerſo, verùm exiguam Vniuerſi partem: reliquum eſſe ocioſam materiam. Vnum eſſe mũdum, eundémq; cũ Vniuerſo, ſentit, ac tribus rationibus PLATO colligit, quòd perfectus non eſſet, ſi nõ contineret omnia: quòd nõ ſimilis exemplari, ſi nõ vnigenitus: quòd non in ſempiternũ duraturus, ſi quid extra ipſum extaret. Platoni verò obiici poteſt, mundum eſſe perfectum, neq; omnia tamen complecti. nam homo quoq; perfectus eſt, neq; tamen omnia continet: & multa eius rei exempla ſuppeditant ſtatuæ, domus, picturæ. Quî autem perfectus ſit, extra quem aliquid circumagitari poteſt? interimitem neq; non eſt, neq; poteſt non eſſe obnoxius, cùm ſit ortus. METRODORVS abſurdũ eſſe ait in magno a-

gro vnicam nasci spicam, & in infinito vnicum mundum exstitisse, perinde absurdum. Esse autem infinitos numero mundos inde constare, quòd infinitæ sunt causæ. Nam si finitus esset mũdus, causæ autem infinitæ ex quibus hic mundus constat, necesse est infinitos esse. Vbi enim omnes adsunt causæ, ibi necesse est etiam effectus esse. causæ autẽ sunt vel atomi, vel elementa.

Vnde dei noticiam homines habuerint. Cap. VI.

DEi naturam Stoici definiunt, spiritũ intelligentia præditum, igneum, formæ expertem, & in quam velit speciem se mutantem, ac rebus quibusvis assimilantem. Notionem dei suggessit primum conspecta eorum quæ in mundo insunt pulcritudo. nihil enim pulcri temere & fortuitò nascitur, sed ab arte aliqua efficitur. Mundum pulcrum esse, figura, color, magnitudo, & astrorum varietas arguunt. Globi forma est mundo, omnium facilè præstantissima, quòd sola omnibus suis partibus est similis. cúmq; rotundus sit, partes quoq; habet rotundas. ideóq; secundum Platonem mens, res diuinissima, in capite sedẽ habet. Color quoq; cœli pulcer est. nam cœruleum purpura nigrius est, & fulget: atque ob fulgorem & vehementiam color hic tantũ aëris intervallum penetrans tam procul dissitum nobis cœlum dat conspiciendum. Pulcritudinem etiã magnitudo ei cõciliat. Nam in quovis genere id quod reliqua continet, pulcrum est, vt homo & arbor. Ea quoque ad pulcritudinem mundi faciunt, quæ nobis apparẽt. Obliquus enim in cœlo circulus, quem Zodiacum seu signiferum appellant, diuersis est signorum distinctus.

Mundi pulcritudo.

Cancer inest illi, post hunc leo, virgo deinde,
Lancea scorpius, arcitenens, capricornus, aquarius
Post illos fusor, nitidi duo sidera pisces:
Mox aries, taurus sequitur, fratresq; gemelli,

Innu-

Innumera autem alia similes reflexiones in mundo effecerunt. Vnde & Euripides:

Cœli renidens pulcris sideribus iubar,
Varium sapientis opus artificis.—

Id quoque nos ad Dei cognitionem deduxit, quòd cum Sol, Luna, & reliquæ stellæ infrà terram deferuntur, eadẽ rursus magnitudine, colore, locis, temporibúsq; iisdem oriuntur. Itaq; ij, qui cultum deorum nobis tradiderunt, tribus formis vsi sunt, naturali, fabulosa, testimonio legum. naturalẽ philosophi, fabulosam poëtæ docent, leges suas singulæ habent ciuitates. Tota doctrina in septem tribuitur partes. Prima est eorum quæ in cœlo & sublimi fiunt obseruatio. homines enim ceperunt deũ agnoscere, cùm viderent stellas tantã concinnitatem efficere, ac dies noctésq;, æstate & hyeme suos seruare status ortus atque obitus: indéque terrã animantia & fructus proferre. Itaq; pro patre cœlum, pro matre terram acceperunt. patrem illum, quòd aquã instar seminis effunderet, matrem hanc quòd conciperet & páreret. Cúmque viderent stellas perpetuò moueri, & in causa nobis esse vt Solem & Lunam contemplaremur, deorum iis nomen fecerunt à cursu ductum. Secundo & tertio loco deos distinxerunt in vtiles, Iouem scilicet, Iunonem, Mercurium, Cererem: & damnosos, Diras, Furias, Martem, quos vt violentos & sæuos placant sacris atq; auertunt. Quartum & quintum locum rebus & motibus animi adsignauerunt, vt Amori, Veneri, Desiderio, & de rebus, Spei, Iusticiæ, Aequitati. Sextum locum figmenta poëtarum occupauerunt. Hesiodus enim cum genitis diis vellet patrem statuere, hos deorum genitores protulit,

Cœumq; induperantem, Hyperionáq;, Iapetumq;,

itaq; hic locus fabulosus dicitur. Septimus [illegible] tributus, qui ob beneficia in vsum communis vitæ

Classes deorum.

collata honoribus diuinis sunt affecti, humano nati more, vt Hercules, Castor & Pollux, Bacchus. Formam humanam iis adscripserunt, quia omnium rerum principatus est penes numen: omnibus autem animalibus præstat homo, pulcritudine, virtutum ornamentis, mente. Itaque præstantissimos similes eorum quæ essent aliis omnibus superiora rectè censuerunt.

Quid sit Deus. Cap. VII.

PHilosophorum quidam, vt Diagoras Melius, & Theodorus Cyrenæus, & Euemerus Tegeata, omnino negauerunt esse deos. & Euemerum etiã Callimachus Cyrenæus innuit, in Iambis scribens

Venite frequentes ante muros in fanum,
Vbi qui uetustum ex ære Tonantem formauit
Senex loquax cum libris impiis friget.

hos dicit, quos composuit non esse deos docens. Et Euripides tragicus poëta apertè quidem profiteri hanc sententiam non est ausus, metuens Areopagiticum iudicium: indicauit tamen hac ratione: Sisyphum introduxit, qui eam proferret, ipseq; ei patrocinatus est.

Incondita olim uita fuit mortalium,
Et belluina, uiribusq; seruiens.

legibus deinde positis ait iniusticiam fuisse repressam. sed cum hæ aperta possent flagitia prohibere, multi autem occultè scelera perpetrarent, tũ quendam callidum virum prodiisse, qui docuerit veritati tenebras mendacio offundendas, hominibúsque persuadendum esse,

Quod sit perenni uita aliquis uigens deus,
Qui cernat ista, & audiat, atq; intelligat.

Nu[illegible]æ enim poëtarum valeãt vnà cum Callimacho, cuiu[illegible] hoc est:

E[illegible]e deum si credis, & hoc te scire necesse est,
Nil non hunc etiam posse deum facere.

Non

Non enim potest omnia deus facere. aut faciat, si est deus, niuem nigram, ignem frigidum, rectum eũ qui sedet, vel contrà. Nam Plato etiam vocalis ille cùm diceret deũ seipso vsum exemplari condidisse mundum, nænias redolet priscæ antiquitatis obsoletas, quales becceselenas vetus comœdia vocat. quomodo enim finxit in seipsum intuens, aut quî globosus est deus, & homine inferior?

ANAXAGORAS dixit initiò constitisse corpora, dei autem mentem ea digessisse, itáque omnium rerum ortus effeciſſe. PLATO posuit prima corpora non stetisse, sed absq; ordine fuisse mota. Deus autem, inquit, ordinem animadvertens cõfusioni præstare, ea composuit. Communis ambobus hic est error, quod deum faciunt res humanas curãtem, ac ea de causa mundum adornantem. Beatum enim interitúsq; expers animal, omnibúsq; bonis perfectè cumulatum, neq; vllius capax mali, totum in sua beatitate atq; perpetuitate occupatum, non convertit se ad curam rerũ humarũ. miser quippe fuerit deus, si opificis aut fabri in morẽ onera subeat, solicitúsq; sit de mundo apparando. Rursum is quem perhibẽt deus, aut non fuit priore illo sæculo, quo corpora siue immobilia erant, siue nullo ordine ciebantur: aut dormiuit tum, aut vigilauit, aut neutrum horũ. Primum admitti non potest: est enim deus æternus. Neq; secundum: si enim dormiuit ab æterno, mortuus fuit. æternus enim somnus mors est. sed ne capax quidem somni deus est: magno enim intervallo diuisa sunt immortalitas dei, & res vicina morti. Quod si vigilauit, aut defuit ei aliquid ad felicitatẽ, aut perfectè fuit beatus. Prius eum felicem esse ne[illegible] sineret: cui enim aliquid deest, felix non est. Abs[illegible]rdũ quoq; est posterius. si enim nihil ei deerat, [illegible]anis fuit rerũ supervacanearũ aggressio. Iã si de[illegible] est. & eius curis res humanę temperãtur, quî fit qu[illegible] malis bene est, bonis male? Nam Agamemno quidem,

Deum non curare humana, nec feciſſe mundum.

Ilia. y. 179. *Rex bonus, atq; idem clarus bellator in armis,*
à mœcho & adultera per insidias est occisus. eiúsq; gentilis Hercules cùm multa mala humanam vitam infestantia aboleuisset, Deianiræ veneficio & fraude periit. THALES mentem mundi statuit deum. ANAXIMANDER stellas cœlestes deos. DEMOCRITVS deum in igne globoso, mundi animam. PYTHAGORAS de principiis vnitatem deum, ac bonũ, quæ sit vnius natura, ipsa mens. Infinitam autem binarij naturam, genium & malum, vnde est multitudo materiæ, & visui expositus mũdus. SOCRATES & PLATO vnum singularis & per se subsistentis naturæ ac solitarium, re vera bonum. omnia autem hæc nomina ad mentem referuntur. Mens ergo est deus, species separata, sincera ab omni materiæ admixtione & perpessionibus obnoxij. ARISTOTELES supremum deum ait esse speciem separatam, quæ insistat globo Vniuersi, qui globus corpus est æthereum, quintum ab eo nũcupatum. quod cum in orbes seu sphæras sit diuisum natura contiguas, ratione sciunctas: harũ quamvis existimat esse animal ex anima & corpore compositum, quorum corpus æthereum sit, ac in orbem circunducatur, anima autem ratio immobilis, motum actu efficiens. STOICI communiùs deum pronunciant esse ignem artificiosum via ingredientem ad mundi procreationẽ, qui mundus in se contineat omnes seminales formas, ex quibus singula fato nascantur. Ac spiritũ quidem per totũ penetrare mũdum, nomina autem à materiæ, quam pervadit, sumere mutationibus. Ad hæc, deum esse mundum, stellas, terram: supremum autem omnium deorum esse mentem quæ est in æthere. EPICVRVS omnibus diis humanam formam tribuit, solúq; eos ait certa ratione, ob tenuitatem partium naturæ simulacrorum. Idem alias quatuor naturas prodidit intellectus expertes: atomos, inane, infinitum, partes similares: quæ etiam elementa vocat.

De

De geniis & heroibus. Cap. IIX.

TRactationi de diis, adiiciamus narrationem de geniis & heroibus. Thales, Pythagoras, Plato, Stoici, esse aiunt genios, substantias anima præditas. Heroës quoque esse animas à corporibus separatas. bonos, si bonæ: malos, si malæ. Epicurus nihil horum admittit.

De materia. Cap. IX.

MAteria est primùm ortus interitúsq; subiectum, aliarúmq; mutationum. Qui Thaletem, Pythagorámque sequuntur, & Stoici, mirabilem fluxámque tota suapte natura per Vniuersum eam statuũt. Democriti sectatores non affici prima, atomum, inane, & incorporeum. Aristoteles & Plato materiam esse corpoream, formæ speciéique expertem ac figuræ, qualitatis etiam suapte natura vacuam: sed formarum receptaculum, tanquam nutricem & subiectum in quo rerum imagines impressu referantur, ac matricem. Qui pro materia aquam, terram, ignem, aërémve ponunt, ij iam non informem materiam, sed corpus ponunt. informem, qui individua corpora siue atomos.

De Idea. Cap. X.

IDea substantia est corporis expers, quæ cùm per sese ipsa subsistit, tum formæ expertem materiam informat, iisque rebus causam præbet vt exsistant ac monnstrari possint. Socrates & Plato ideas putauerũt à materia secerni, & in intellectu ac imaginatione dei subsistere. Aristoteles formas atq; ideas reliquit: non tamen à materia secretas. Idem enim alienus ab ea fuit sententia, quę mũdi creationẽ deo adscribit. Stoici, cuius sectæ Zeno princeps fuit, nostræ mentis conceptus idearum nomine intelligũt.

De causis. Cap XI.

CAusa est, cuius effectus est, aut à qua aliquid proficiscitur. Plato triplicem facit causam, Effi-

bb

cientem, Materiam, Finem. Principatum tamen efficienti defert, quæ est mens. Pythagoras. *Aristoteles primas causas facit corporis exsortes, alias participatione aut per accidens substantiæ corporeæ, ita vt mundus sit corpus. Stoici omnes causas statuunt corporeas: dicunt enim esse Spiritus.

De corporibus. Cap. XII.

CORpus est quod tres habet dimensiones, latitudinem, profunditatem, longitudinem. aut moles sensui per se renitens: aut quod locum occupat. Platoni, quod neq; graue est suapte natura, neq; leue, dū suo proprio est in loco: cū verò est in alieno, tum id inclinari, inclinandóq; momentū aut ad grauitatem aut ad leuitatem adipisci. Aristotelis sententia est, terram simpliciter esse grauissimū, ignem leuissimum: aërem & aquā aliàs aliter habere. STOICI duo de quatuor elementis leuia esse, aeré & ignē: duo grauia aquā & terrā. Leue enim esse, quod non inclinatione aliqua, sed natura fertur à medio. graue, quod ad medium. ipsum enim medium non est graue. EPICVRVS incompræhensibilia esse corpora: prima autem, simplicia. quæ autem ex his concreta sint, omnia esse grauia. atomos moueri, aliàs ad perpendiculum, aliàs deflexione quadam: quæ sursum ferantur, aliàs ictu, aliàs trepidatione.

De minimis. Cap. XIII.

EMpedocles ante quatuor elementa ponit quædam minutissima fragmenta, tanquam elementa elementis priora, similarium partium & teretia. HERACLETVS ramenta quædam minima & diuisionem non admittentia introducit.

De figuris. Cap. XIV.

FIgura superficies est, & circumscriptio, atq; terminus corporis. Pythagorici quatuor elementorum corpora globosa esse aiunt, igni demto, cui vt supremo, turbinis formam tribuunt.

De

De coloribus. Cap. XV.

COlor qualitas corporis est, quæ visu potest percipi. Pythagorei colorem appellauerūt superficiem corporis. Empedocles, id quod congrueret meatibus visui inseruientibus. Plato flammā à corporibus emicantem, cuius partes proportione respondeant visui. Zeno Stoicus colores primam materiæ figurationē esse dixit. Pythagorei coloris genera faciunt album, nigrum, rubrū, pallidum. discrimina colorum deducunt à certis mixtionibus elementorum: & in animalibus, ob varietates locorum atque aëris.

De sectione corporum. Cap. XVI.

THaletis & Pythagoræ sectatores, negant in infinitum progredi sectionem eorum corporū, quæ motibus sunt obnoxia, sed subsistere in iis quæ indiuidua sunt, & atomi dicuntur. Aristoteles facultate infinitam esse docet sectionem corporū, sed actu eam facultatem nullo finiri.

De mixtione & temperatione. Cap. XVII.

VEteres qualitatum mutatione censuerūt elementa misceri. Anaxagoras, & Democritus, eorúmque assecłæ, iuxta se invicem positione. Empedocles ex minoribus molibus coalescere eleméta, quæ sint minimæ, ac tanquam elementorum elementa. Plato tria corpora: non enim vult ea esse elementa, aut appellare: sed inter se commutari, ignem, aerem, aquam: terram in horum vllum nō posse permutari.

De inani. Cap. XIIX.

A Thalete ad Platonē vsq; philosophi naturā scrutantes, vacuū esse negauerunt. Empedocles sic: *In mundo vacuum nihil est, nihil est quod abundet.* Leucippus, Democritus, Demetrius, Metrodorus, Epicurus, corpora sectionem non admittentia dixerunt multitudine infinita, inane autem magnitu-

dine esse infinitum, Stoici censuerunt nullum intra mundum esse inane, sed extra mundum esse. Aristoteles tantum esse inane extra mundum, vt respirare posit cœlum: esse enim hoc ignem.

De loco. Cap. XIX.

PLato id locum vocauit, quod in se admitteret formas, trâslatione vtens in materia norâda, quæ quasi nutrix sit atque receptaculum. Aristoteles, extremitatê corporis continentis, contiguâ contento.

De capacitate. Cap. XX.

STOici & Epicurus differre volunt inane, locum, capacitatem: & definiunt inane vacuitate corporis: locum, qui à corpore occupetur: capacitatem, quod partim à corpore impletur, vt dolium à vino.

De tempore. Cap. XXI.

PYthagoras sensit, tempus esse globum ambientis corporis. Plato, mobilem æternitatis imaginem, aut motus mundi intervallum. Eratosthenes, Solis motum.

De natura, seu substantia temporis. Cap. XXII.

EAm Plato dicebat esse motum cœli. Pleriq; Stoicorum, ipsum motum: nec non, temporis nullum fuisse exordium. Plato, intelligentia genitum.

De motu. Cap. XXIII.

HAnc Plato post Pythagoram differentiam quandam aut diuersitatem esse in materia dixit. Aristoteles, actum (ipsius vox est entelechea) rei mobilis. Democritus, vnum genus motui dedit, obliquum. Epicurus duas motus species, ad perpendiculum, & ad declinationem. Herophilus, motum alium sola mente intelligi, alium sentiri. Heracletus motum & statum prorsum è natura sustulit. hûc mortuorum esse dicens, motum autem sempiternorum perennem, intermittentê esse rerû fluxarum.

De ortu & interitu. Cap. XXIIII.

PArmenides, Melissus, Zeno, cùm omnia motus expertia esse opinarentur, ortû & interitum prorsus

prorsus negauerunt. Empedocles, Epicurus, deniq; quotquot mundum è minutis construunt particulis: ij concretiones quidem ac secretiones quasdam introducunt, ortus & interitus esse negant. neque enim qualitates alterando, neq; coaceruatione incrementa fieri. Pythagoras, & quotquot materiam perpessionibus obnoxiam ponunt, ij propriè ortus & interitus esse affirmant. res enim alteratione, mutatione, & resolutione elementorum fieri.

De necessitate. Cap. XXV.

THaletis est: validissima omnium est necessitas: omnia enim ei subsunt. Pythagoras aiebat mundo circumdatam esse necessitatem. Parmenides & Democritus, omnia fieri ex necessitate. eandémque esse fatum, Iusticiam, Providentiâ, mundi effectricê.

De natura, siue substantia necessitatis. Cap. XXVI.

PLato quædam ad providentiam, quædam ad necessitatem revocat. Empedocles naturâ necessitatis, causam esse ait, quæ vtatur principiis & elementis. Democritus renisum, lationem, & percussionem materiæ. Plato aliâs materiam, aliâs effectricis causæ respectum ad materiam.

De fato. Cap. XXVII.

HEracletus omnia fato fieri dixit: idq; idem esse cum fato. Plato inserit quidem fatum humanæ vitæ atque actionibus: addit tamen causas à nobis profectas. Stoici, hac in re Platonis similes, necessitatem aiunt causam esse immobilem & violentam. Fatum verò connexum esse causarum ordine contentû, quo etiã includãtur ea quæ sunt nostra: quorum alia fãtalia debeãt haberi, alia fato nõ concessa.

De natura fati. Cap. XXIIX.

HEracletus fati substantiam esse ait rationem quæ per vniuersi naturâ transeat: ipsa autem sit æthereum corpus, semen procreationis vniuersi. Plato rationem legémq; æternam naturæ vniuersi. Chrysippus facultatem spiritalem, quæ totum mundû or

dine disponat. Idem in Definitionibus, Fatum, inquit, mundi est ratio, aut lex eorũ quæ sunt in mundo, ac providentia administrantur. Aut: ratio, secundum quã & quæ fuere, facta sunt: & fiunt, quæ fiunt: & fient ea, quæ erunt. Stoici seriem causarum, id est ordinem & connexionẽ inviolabilem. Posidonius tertium à Ioue locũ tribuit. primum enim Ioui adsignat, secundum naturæ, tertium fato.

De fortuna. Cap. XXIX.

HAnc Plato ait causam per accidens esse & consequi inopinatò in iis, quæ consilio institutóq; hominum suscipiuntur. Aristoteles causam per accidens in his, quæ appetitu mouente finis causa aguntur: incertam eam, & instabilem. Porrò fortunam à casu differre: cùm illa in actionib. locũ habeat duntaxat, casúmq; admittat: casus autem fortunę loc um nõ det semper. quippe cum casus & in ratione præditis, & in brutis, adeóq; etiam inanimatis locũ habeat: fortuna non, nisi vbi ratio inest. Epicurus causam esse dixit instabilem, ob mutationem personarum, temporum, morum. Anaxagoras & Stoici, causam dicunt esse quæ humana ratiocinatione cognosci nequeat. Fieri enim alia necessariò, alia fato, alia instituto animi, alia forte fortuna, alia casu.

De natura. Cap. XXX.

EMpedocli visum fuit, nihil esse naturam, nisi permixtionem & divulsionem elementorum. Sic enim scribit in primo libro de Naturali philosophia:

Iam quod naturam mortales nomine dicunt,
Hoc nihil est: neque enim mortem natura, uel ortum
Humano præbet generi. nam mixtio tantùm,
Mixtorumq; subest quædam secretio rebus,
Idq; homines uulgò naturam dicere fuerunt.

Itidem Anaxagoras concretionem, & secretionem, id est, ortũ & interitũ, naturæ nomine intelligebat.

PLV-

De Placitis philosophorum, hoc est, breuis recensionis sententiarum de natura rerum,

LIBER II.

ABSOLVTA relatione de principiis, elementis, & aliis quæ ad eadem pertinent classem, ad effecta proinde me convertam, ordiárque ab eo, quod omnia reliqua continet.

De mundo. Cap. I.

PRinceps Pythagoras complexum vniuersi affecit mundi nomine, propter ordinem qui in eo est. Græca enim vox Kosmos, ordinem ornatúmq; significat. Thales & eius sectatores, vnum censuerunt esse mundum. Democritvs, Epicvrvs, & discipulus eorum Metrodorvs, infinitos mundos in infinito, secundum omnes circũstantias. Empedocles Solis conversione mundũ circumscribi ait, húncq; esse eius finem. Selevcvs infinitum mundũ. Diogenes Vniuersum infinitum, mũdum autem finitũ. Stoici discrimen statuũt inter Vniuersum & mundũ. Vniuersum enim esse infinitũ adiũcto inani, totũ mundũ seorsim abinani subsistere.

De figura. Cap. II.

STOici globi figuram mundo assignant, alij turbinis, oui quidam. Epicvrvs, posse mundos esse globosos, posse etiam alia esse figura.

An mundus animatus sit, & à providentia gubernetur. Cap. III.

ITa esse, reliqui omnes sentiunt. Democritvs autem, Epicvrvs, & qui præter hos inane ac atomos introducunt, & animæ expertem mundum faciunt, neque providentia, sed natura quadam bruta administrari aiunt. Aristoteles neque

animatum totum per omnes partes dicit, neq; sensu, ratione aut mente præditum, neque à providentia temperari. Nam cœlestibus quidem hæc omnia adesse, quòd orbibus contineantur animatis atque animalibus. Terrestria autẽ omnibus istis carere: & ordinem per accidens iis, non per se aut à causa antegressa contingere.

An expers interitus sit mundus. Cap. IV.

PYTHAGORAS & PLATO mundum à Deo factum arbitrati sunt, & quod ad naturam attinet, obnoxium interitui, quia corporeus, ideóque sensibus sit expositus: non autem periturum, providentia eum & Deo continente. EPICVRVS caducum, quia ortus, vt animal, vt stirpem. XENOPHANES, neque ortum, & sempiternum, ac nunquam interiturum. ARISTOTELES partẽ mundi quæ infra Lunam est, affectionibus obnoxiam, in qua parte etiá terrestria suas patiuntur mutationes.

Vnde alatur mundus. Cap. V.

ARISTOTELES sic: si alitur mundus, etiá peribit. at nullo indiget nutrimento. est ergo sempiternus. PLATO, ipsum mundum sibi mutatione eorum quæ intereunt suppeditare nutrimentũ. PHILOLAVS, duplicem esse interitum, vnum igne cœlitus defluente, alterum lunari aqua per revolutionem aeris effusa: atque horum exhalationes esse alimentum mundi.

A quo elemento mundi opificiũ sit orsus Deus. Cap. VI.

PHysici à terra inchoasse aiunt mundi ortum, tanquam à centro. Est enim centrum globi initio. PYTHAGORAS ab igni, & quinto elemento, EMPEDOCLES primò fuisse secretum ætherem, deinde ignem, pòst terram, qua nimis in arctum coacta ob impetum circumagitationis, aqua ebullierit: ex hac aerem exhalasse ac cœlum quidẽ ex æthere natum, Solem ex igne. reliqua circa terram quæ sunt, condensata coisse ex reliquis. PLATO ait, visibilem

visibilem mundum factum ad exemplum eius qui in mente fuit. eius visibilis mundi priorem tempore partem exstitisse animam, pòst corporea, quæ primò ex igni & terra, posteriore loco ex aqua & aere coaluerint. PYTHAGORAS, cùm sint quinque formæ solidorum corporum (mathematica etiam hæc vocantur,) è cubo ortam ait terrã, è pyramide ignẽ, ex octo basium corpore aerem, è viginti basium forma aquam, è duodecim basium solido globum Vniuersi. Plato in his quoque Pythagoram imitatur.

De ordine mundi. Cap. VII.

PARMENIDES corollas ait esse crebras inter se consertas, vnam ex raro, alteram è denso. his interiectas alias, ex lumine & tenebris mixtas. esse autem solidũ quidpiã instar muri, quod istas omnes corollas obtineat. LEVCIPPVS & DEMOCRITVS mũdo in orbem tunicam atq; membranam circumtendunt. EPICVRVS quorundã mundorum extrema rara, quorundã densa, & mobilia alia, alia immobilia statuit. PLATO ignem primo loco statuit, proximo ætherem, deinde aerem, post hunc aquam, postremò terram. interdũ ætherem igni coniungit. ARISTOTELES primò ætherem omnis exsortem perpessionis, quintum scilicet corpus: deinceps obnoxia motibus, ignem, aerem, aquam, deniq; terram. Horum cœlestibus motum circularem adsignat: inferioribus, quæ quidem leuia sunt, sursum: quæ grauia, deorsum lationem. EMPEDOCLES non perpetuò aut definitis locis reposita elemẽta dicit, sed quodvis in cuiusvis locũ succedere.

Quæ causa sit inclinationis mundo. Cap. IIX.

DIOGENES, & ANAXAGORAS, post quam mundus constitutus fuit, & è terra produxit animalia, quodammodo inclinatum mundum fortuitò censent in austrinas partes: fortasis providentia sic satagente, vt mundi partes quędam habitari, aliæ

non possent, ratione gelus, ardoris, commodæ temperiei. EMPEDOCLES aere cedente Solis impetui, septentriones docet declinasse, ita vt partes iis vicinæ in sublime attollerentur, deprimerétur austrine: atq; hanc inclinationê toti proinde mûdo accidisse.

De eo quod est extra mundum: an id vacuum sit. Cap. IX.

PYTHAGORICI extra mundum inane esse putant, in quod, & è quo mundus respiret. STOICI inane esse, in quod quidem conflagratione sua mundus dissolutum eat. POSSIDONIVS non inane, sed quantum dissolutioni sufficiat. In libro primo de Inani. Aristoteles affirmat, nullum esse inane. & tam extra quàm intra mundum esse inane, Plato negat.

Quæ partes mundi dextræ sint, quæ sinistræ. Cap. X.

PYTHAGORAS, PLATO, ARISTOTELES, dextras mundi partes faciunt quæ ad ortum sunt, vnde motui initium: sinistras, quæ ad occasum. EMPEDOCLES dextra vocat quæ sunt ad circulum æstiuę Solis conversionis, sinistra quæ ad hybernum.

De cœlo, quæ eius natura. Cap. XI.

ANaximenes dicit rotationem esse extremi orbis. EMPEDOCLES cœlum esse solidũ glaciei in modum ab igne ex aere compactum, quod ignitam aereamq; naturam in vtroq; globi semisse contineat. ARISTOTELES è quinto corpore, igni, vel calidi cum frigido mixtione.

In quot orbes cœlum diuidatur. Cap. XII.

THALES, PYTHAGORAS, & huius sectatores cœlum in circulos quinque diuidunt. ipsi Zonas, id est cingula, appellant. Nomina eorum sunt, Septentrionalis, qui semper est conspicuus: solstitij æstiui circulus, Aequinoctialis, brumæ circulus, Arctico oppositus, semper nobis occultatus. Horum tribus mediis substernitur obliquus, singulos attingens, eui ignifer seu Zodiacus nomen est. Omnes autem isti à meridiano per septentriones in oppositam ducto

cto partem medij finduntur. Primus PYTHAGORAS inuenisse dicitur signiferi obliquitatẽ, quam Oenopides Chius tamẽ vt abs se excogitatã sibi vindicat.

Quæ stellarum natura sit, ac quomodo constatæ sint. Cap. XIII.

THALES censuit terrestres quidẽ esse stellas, sed ignitas interim. EMPEDOCLES igneas, eo exigne, quem in se continens æther in prima secretione eliserit. ANAXAGORAS ætherem circum situm ignea quidem esse natura, circumvolutionis autem vehementia abripuisse lapides è terra, eósque adsisse, & sic in stellas convertisse. DIOGENES pumicum instar esse stellas sensit exspirationes mũdi exhalantis. idem, lapides quosdam esse qui nusquam appareant, & sæpe in terram delapsi exstinguantur: quomodo ad Aegos potamos sub ignis forma décidit stella saxea. EMPEDOCLES inerrantes stellas crystallo ait alligatas, errones ab eo solutas. PLATO maiori ex parte igneæ naturæ esse stellas, sed ita, vt glutinis loco reliquorum etiam elementorum partes admittant. XENOPHANES nasci ex inflammatis, nubibus quæ quotidie exstinguantur, nocte quavis rursus carbonum instar accendantur. ortus quippe & occasus, nihil esse aliud quàm accendi & exstingui. HERACLIDES & PYTHAGOREI quamvis stellam dixerunt esse mundum in æthere infinito, qui terrã, aerem, ętherémq; contineat. Hęc opinio etiam in Orphicis perhibetur. nam ORPHEI sectatores singulas stellas esse mundos dicunt. EPICVRVS horũ nihil improbat, contingẽtię inhęrens.

De figura stellarum. Cap. XV.

STOICI globosas esse stellas, vt mundum quoque, vt Solem, vt Lunam. CLEANTHES metæ seu turbinis forma. ANAXIMENES clauorum instar infixos esse crystallo. alij laminas esse igneas, tanquam picturas.

De ordine stellarum. Cap. XV.

XENOCRATES secundum vnam superficiem stellas moueri autumauit. reliqui Stoici alias aliis esse humiliores atq; altiores. DEMOCRITVS hoc ordine collocat: primò fixas stellas, deinde errones, in quibus Solem, Luciferum, Lunam. PLATO vbi ab inerrantibus abiit, proximam facit stellam Saturni, quæ ei Phæno dicitur, nos fulgidã (puto) possemus: tum Phaethontem, nisi nitentè mavis, qui est Iupiter: ab hoc proximum Pyroenta, id est igneum, stellam Martis: inde Luciferum, qui Veneri tribuitur: quintum Mercurij sidus, quod Stilbon appellat, quasi rutilans. Mathematicorum quidam Platoni subscribunt: alij Solem in medio reponunt. ANAXIMANDER, & METRODORVS Chius, CRATESque, summum locum Soli deferunt, proximéq; Lunam ei subiiciunt: sub his fixa, & vaga etiam sidera collocant.

De latione & motu stellarum. Cap. XVI.

ANAXAGORAS, DEMOCRITVS, CLEANTHES, ab ortu versus occasum ferri omnes stellas. ALCMEO & mathematici planetas fixis ex aduerso, hoc est ab occasu ad ortum citari. ANAXIMANDER à circulis & orbibus, quibus quevis insistit, moueri. ANAXIMENES similiter sub terram, ac circa eam ferre stellas. PLATO & mathematici æqualem cursum adsignant. Soli, Veneri, ac Mercurio.

Vnde illuminentur stellæ. Cap. XVII.

ILlustrari omnes stellas fixas à Sole, ab eóq; suũ lumen accipere, METRODORVS dixit. HERACLETVS & STOICI, stellas ali eo quod à terra sursum evaporat. ARISTOTELES, cœlestia non indigere alimento, quia interitui nõ sint obnoxia. PLATO & STOICI idem stellis atque vniuerso mundo nutrimentum destinant.

De

De stellis quæ dicuntur Castores, sine gemini. Cap. XIIX.

XENOPHANES istas stellas, quæ supra naues apparent, paruas putauit esse nubeculas, ob certum affulgentes motum. METRODORVS micationes esse, à videntium oculis, quos terror & consternatio tenet, profectas.

Quid denuncient stellæ, & quomodo fiant hyems atque æstas. Cap. XIX.

PLATO indicationes æstatis atque hyemis fieri Solis, Lunæ, aliarúmque fixarum & vagarum stellarum ortu atque occasu percipi tradit. ANAXIMENES ad solum hæc refert Solem. EVDOXVS & ARATVS, omnibus communiter accepta isthęc stellis ferunt. Arati verba subiecimus:

Ipse hæc altitonans in celso infixit olympo,
Et totum prudens distinxit signa per annum,
Eximia ut rebus de certis astra monerent.

Quæ Solis natura sit. Cap. XX.

ANAXIMANDER Solem dixit esse circulum, cuius duodetrigesima pars terræ molem æquet: orbita prędituꝫ qualis ferè est rotis curruum, ignis plena, qui quadam ex parte eius effulgeat per orificium, tanquam per fistulæ foramen. eúmq; ignẽ esse Solem XENOPHANES ex igniculis, qui appareant, collectis ex humida exhalatione, & Solem cogentibus: aut nubem ignitam. STOICI incendium mente prædituꝫ, è mari. PLATO è plurimo igne. ANAXAGORAS, DEMOCRITVS, METRODORVS, massam aut lapidem igni candentẽ. ARISTOTELES globum è quinta natura. PHILOLAVS Pythagoreus discum vitreum, qui resplendentiam mũdani ignis recipiat, luménq; ad nos retorqueat: vt Sol videatur ignis in cœlo, qui ad nos quasi speculi reflexione lucem dispergat. quam nos vocamus Solem, tanquam simulacri simulacrum. EMPE-

DOCLES duos Soles facit. vnum primigeniũ ignem in altero globi mundi semisse, qui eum semissem impleat, semper ex adverso situs suæ repercussioni splendoris. alterum in altero semisphærio resplendentiam huius, quod semisphærium impleatur aere cum calida natura permixto: hanc resplendentiam à rotunditate terræ reflecti in Solem crystallinum, & cum motu ignei elementi circumtrahi, vtq; verbo dicam, Solem esse resplendentiam ignis qui est circa terram. EPICVRVS è terra compactam molem, ac pumicis spongiæúe modo pertusam, ab igne accensam.

De magnitudine Solis. *Cap.* XXI.

ANAXIMANDER Solem terræ æqualem esse, circuli autem, à quo erumpit halitu, & in quo fertur, quantitate molem terræ vicies octies contineri. ANAXAGORAS multiplici ad Peloponesum proportione Solem esse. HERACLETVS, latitudine vestigij humani. EPICVRVS rursum ait, posse omnia ista vera esse, aut tantum esse, quantus & qualis videtur, vel maiorem paulo aut minorem.

De forma Solis. *Cap.* XXII.

ANAXIMENES, solij instar latum esse. HERACLETVS scaphæ in formam, subcuruum. STOICI, globi forma, qua & mundus & stellæ. EPICVRVS fieri posse ista hæc omnia.

De conuersionibus Solis. *Cap.* XXIII.

ANAXIMENES censuit, astra impelli à condensato & renitente aere. ANAXAGORAS aeris, qui ad septentriones est impulsione in diuersam partẽ, quem aerem stipando cogens facit validum. EMPEDOCLES ne in directum semper progrediatur, impediri à continente ipsum globo & à tropicis, hoc est solstitiorum circulis. DIOGENES à frigore calori occurrente exstingui Solem. STOICI secundum intervallum alimenti subiecti progredi Solem. Oceanus autem terra est, cuius vaporem exhalantem depascitur. PLATO, PYTHAGORAS, ARISTOTELES, Solem obliquũ cursum conficere aiunt propter signiferi, in quo mouetur, inclinationem, stipati solstitialibus circulis. quæ omnia in sphæra artificio elaborata proponuntur ad spectandum.

De Solis defectu. *Cap.* XXIV.

PRimus THALES docuit Solem deficere, quando Luna ad lineam infra eum fertur, quæ natura est terrestri. idque in speculis cerni, subiici Soli discum Lunæ. ANAXIMANDER obthurato foramine, per quod ignis exspirat. HERACLETVS inversione corporis Solis (quod scaphæ simile eum ponere diximus) ita vt cauum sursum, curuum deorsum versus nostrum visum obvertatur. XENOPHANES exstinctione. rursum autem nasci in ortu alium. Narrationem porrò adiecit de quodam Solis defectu, qui totum durauerit mensem: & alio perfecto, qui diem in noctem mutauerit. Quidam nubium cõdensationem causantur, quæ visu non cernente eas disco Solis obducantur. ARISTARCHVS Solem fixis stellis adiungit, Lunam autem moueri ait circum Solis orbem, & suis inclinationibus vmbram disco inferre. XENOPHANES multos esse Soles, multas Lunas, secundum terræ diuersa climata, segmenta, ac Zonas. quodam autem tempore Solis discum incidere in quandam terræ portionem á nobis non habitatam, & sic tanquam in vacuum delato deliquium accidere. Idem Solem in infinitum progredi: nobis autem videri quod rotetur, ob distantiam.

De natura Lunæ. *Cap.* XXV.

ANAXIMANDER circulum esse nouendecuplum proportione terræ, itidem vt Solem ignis plenum, ac luminis defectum ei accidere ob inversionem rotæ. similem enim esse rotæ currus, quæ habeat orbitam concauam igne impletã, vnóq; exspirandi foramine præditam. XENOPHANES, nubem esse constipatam. STOICI mixtam ex igni & aere.

Universidad de Deusto
Biblioteca

PLATO maiorem eius partem esse terream. ANAXAGORAS, DEMOCRITVS, firmamentũ ignitum, quod in se contineat planicies, montes, conualles. HERACLETVS terram caliginosa nube contentâ. PYTHAGORAS corpus Lunæ igneam sequi naturam.

De magnitudine Lunæ. *Cap.* XXVI.

STOICI eam, sicvt & Sol, maiorem terra pronunciant. PARMENIDES æqualem Soli, à quo etiam illuminetur.

De forma Lunæ. *Cap.* XXVII.

STOICIS, vt & Sol, globosa est. EMPEDOCLES disci formã. HERACLETVS scaphæ. alij cylindri tribuunt.

De illuminatione Lunæ. *Cap.* XXIIX.

ANAXIMANDER tradit, eam proprium habere lumen, sed rarius. ANTIPHO suo fulgore nitere Lunam: qui cùm occultatur, fieri hoc appulsu Solis. quia natura sic comparatum sit, vt ignis validior imbecillioré obscuret: quod idem aliis quoq; stellis evenit. THALES, & qui eius sequuntur decreta, à Sole illustrari Lunam. HERACLETVS eodem modo affici Lunã, quo Solem. Scaphæ enim figuram esse sideribus hisce, cúmq; humidum excipiant vaporem, illustrari sicvt videntur. clariùs quidem Solem, vt qui in puriore feratur aere, Lunam obscuriùs, quia in turbidiore.

De Lunæ defectu. *Cap.* XXIX.

ANAXIMANDER, osculo rotæ obstructo. BEROSSVS, obversa nobis parte ignis experte. HERACLETVS scaphæ inversione. PYTHAGOREI nõnulli resplendentiam & obstructionem profectam à terra, quam antichthonem, quasi oppositam terram, dicunt. Recentiores secundum consumtionem ignis ordinatè incensi paulatim, donec perfectũ plenilunium præstet, ac deinde sensim proportione seruata decrescat vsq; ad coitũ, vbi planè exstinguitur. PLATO, ARISTOTELES, STOICI, MATHEMATICI in hoc consentiunt, menstruas occultationes Lunæ obtingere à Sole cũ quo coit, & eius radiis obruitur. defici autẽ lumine, cùm in vmbram terræ incidit, vtriusque sideris in medio constitutę. aut potius cũ eius officitur illuminationi à terra.

De adspectu Lunæ, & cur terrestris videatur. *Cap.* XXX.

PYTHAGOREI aiunt terrestrem videri, quia sicvt & nostra terra, circumhabitatur, à maioribus qui dem & pulcrioribus animalibus, quinquies decies nostrorum quantitatem continentibus, neq; vllum excrementum deiicientibus: tanta item diei longitudine. ANAXAGORAS causam inæqualitatis arcessit à concretione frigidorum & terrestrium: admixtas enim esse igneis partes caliginosas. itaque Lunam dici falso vultu apparentem. STOICI ob diuersarum formarum concretionem negant eius naturæ compagem esse interitus securam.

Quanto interuallo Luna à Sole absit. *Cap.* XXXI.

EMPEDOCLES duplam Lunæ à Sole distantiã esse eius, quæ Lunæ à terra est. Mathematici octodecuplam. ERATOSTENES Solem à terra disitum stadiorũ millibus octingenties millibus ac quater: 804000000.
Lunã autẽ à terra millibus septingentis octoginta. 780000.

Quantus cuique planetarum sit suæ circumitionis annus. *Cap.* XXXII.

SATVRNVS ambitum cœli suum conficit annis Solaribus xxx. Iupiter xii. Mars duobus. Sol mensibus xii. totidem Mercurius & Venus: (nam æquales his cursus) Luna xxx. diebus. hic enim est perfectus mensis ab apparitione Lunę ad cõgressum cum Sole. Magnum annum alij octennio definiunt, alij xix annis, alij lix. HERACLETVS annorum Solarium millibus octodecim. DIOGENES CCCLXV annis tantis, quantus vnus est Heracleto. 7777.
Alij VII CIↃIↃCCLXXVII.

PLVTARCHI
De Placitis philosophorum, hoc est, breuis recensionis sententiarum de natura rerum,

LIBER III.

PRæcedentibus libris compendio percurri cœlestium rerũ enarrationem, quarũ vltimo loco Luna est, hoc tertio libro ad ea me confero, quæ infra eam in sublimi sunt, ac Meteora proinde Græcis dicuntur: sita à Lunæ orbe vsq; ad terræ positum quam centri locum in Vniuerso censuerunt obtinere *De lacteo circulo. Cap. I.*

ORdiar à lacteo circulo. is nebulosus est, semperque in aere cernitur, & ob albedinem coloris lacteus dicitur. PYTHAGOREORVM alij dixerunt stellæ ardore effectũ, quæ suo loco delapsa tẽpore incendij à Phaethonte excitati, quicquid loci circulari decursu peragrauit, adusserit. Alij Solis cursum initio hãc fuisse. Quidã speculare visum esse putant, splendore Solis in cœlum reflectente, quod idem in iride fit & nubibus. METRODORVS, ob transitũ Solis: hunc enim esse Solis circulum. PARMENIDES, densi ac rari mixtione lacteum colorẽ confici. ANAXAGORAS vmbrã terræ ea in parte cœli insistere, cũ Sol infra terrã delatus non totum illuminat. DEMOCRITVS splendoris collectionem & densationem, à multis, iisq; paruis & continentibus stellis collucentibus profecti. ARISTOTELES incendium vaporis sicci, multíq; & continui: itáq; crinitum etiã ignem fieri infra ætherem, sub planetis. POSIDONIVS ignis compagem, stella clariorem, splendore densiorem.

De cometis, traiicientibus, ac trabibus. Cap. II.

PYTHAGOREORVM quidam cometam putant esse stellam ex earum numero, quæ non semper videantur,

deantur, sed stato tempore sua revolutione exoriantur. Alij reflexionem nostri visus ad Solem: quomodo in speculis quædam apparent. ANAXAGORAS, DEMOCRITVS, coitum stellarum duarum aut plurium fulgorem suum coniungentium. ARISTOTELES igneam coagmentationẽ ex vapore sicco enatam. STRATO lumen sideris nube compræhensum densa, sicut fit in lucernis. HERACLIDES Ponticus nubem in sublimi à sublimi lumine illustratam. eandem etiã pogonię, hoc est barbatę stellæ, causam adsignat. ab his trabiformem, columnarem, aliasquẽ cognatas harum impressiones differre itidem, vt Peripatetici, statuit pro ratione figuræ in quam nubes conformatur. EPIGENES elationem in sublime spiritus terra permixti & accensi. BOETHVS imaginẽ ab aere soluto oblatã. DIOGENI visum fuit, crinitas istas apparitiones, qui cometę dicuntur, esse stellas. ANAXAGORAS diattontas, hoc est ignes traiicientes, ab æthere scintillarum instar deferri: quæ etiam causa sit, quod statim exstinguuntur. METRODORVS, elici scintillas violenta solis in nubem impressione. XENOPHANES, omnia id genus compactum aliquid aut motum esse nubium ignitarum.

De tonitrubus, fulguribus, fulminibus, presteribus, typhonibus. Cap. III.

ANAXIMANDER ista omnia gigni ab aere. Cùm enim is densa, compræhensus nube vi erũpit ob suam partiũ tenuitatẽ ac leuitatẽ, ruptura sonitum edi: divulsione iuxta nigredinem nubis, fulgorem. METRODORVS cùm in nubem crassicie concretã ventus incidit, eum perfractione nubis sonitum edere, ictu autem & scissione fulgorem. celeritate autem motus calorem à Sole sumere, & fulmen iacere. fulminis imbecillitatem in presterem, hoc est ignitam procellam abire. ANAXAGORAS, quando calidum in frigidum incidit, scilicet ætherea pars in aeream, eam fragore tonitru edere,

colore autem qui est ad nigredinem nebulosæ partis fulgorem, multitudine autem ac magnitudine luminis fulmẽ: igni autẽ corpulentiore typhonem, hoc est vorticem, nebuloso presteré efficere. STOICI tonitru collisionem nubium, fulgorem ortum ex ea incendium, fulmen fulgorem vehementiorem, presterem languidiorem. ARISTOTELES hoc quoque fieri è sicca exhalatione docet. quæ cùm in humidum illapsa vaporem vi exitum sibi conficit, allisione & perruptione tonitrus sonitum nasci, sicci autem accensione fulgur. presteres & typhones multiplicatione materiæ, quam vtrique attrahunt, calidiorem presteres, crassiorem typho.

De nubibus, pluuiis, niue, grandine. Cap. IV.

ANAXIMENES, nubes exsistere aëre quàm maximè densato, quæ cùm magis comprimãtur, pluuiam elici: niuem, quando aqua delabens congelatur: grandinem, si humido vento comprehendatur. METRODORVS humido vapore sursum elato coire nubes. EPICVRVS ex exhalationibus: teretem verò grandinem fieri & pluuiam ob delapsus longinquitatem.

De iride, qui est arcus cœlestis. Cap. V.

QVæ in sublimi fiunt, partim per se subsistunt, vt pluuia, vt grãdo: partim videntur duntaxat esse, cùm non subsistant: quomodo moueri terra nobis nauigantibus videtur. Iris quoque tantum species apparens est. PLATO ait, homines ei Thaumãtem patrem feciſſe, quod eam admirarentur. admirari thaumazein Græcis est. HOMERVS:

Ilia. ρ. 547. *Vt cùm purpuream pangit mortalibus irim.*

Ideóq; fabulati sunt quidã, capite eam tauri preditam exhaurire flumina. Quomodo ergo fit iris? Videmus aut secundum rectam lineam, aut secundum curuam, aut secundum reflexam, quæ sensui occulta & corporis expers sola ratione percipitur. Rectis lineis cernimus quæ in aere sunt, & per lapides pellucidos

lucidos ac cornua: omnia enim ista tenuium sunt partium. Linea autem visus incuruatur in aqua, vi crassiciei eius. itaque remũ in mari eminus cernentes, fractum putamus. Tertius modus videndi refracta, vt quę in speculis contemplamur. ac talis est iridis species. Intelligendum enim est humidum vaporem in nubem mutari, quæ deinde sensim in guttulas dissoluatur. Sole itaque ad occasum accedente, necesse est ex aduerso Solis omnem arcum cœlestem apparere, cum visus guttulis incidens reflectitur, vt iris fiat. Sunt autem stillæ istæ non figuræ forma, sed coloris. Habet autem iris colores, primũ puniceum, secundum purpureum, tertium cœruleum & viridem. Causæ videntur, quòd splendor solis occurrens, fulgórque integer refractus, rubrum ac puniceum parit colorem. Secunda autem pars turbidior, splendore ob guttas elangueſcente, purpureum: qui rubri coloris est imminutio. cúmque adhuc turbidius fit obiectum, in viridem transit. Hos ipsis rebus probare licet. Si quis enim eregionè radiorum Solis aquam exspuat, ita vt guttulæ refractionem radiorum Solis excipiant, inueniet iridem fieri. quin & ex oculis laborantes hoc experiuntur, cum in lucernam intuentur. ANAXIMENES iridem fieri Sole illuminante nubem densam, crassam, ac nigram, in qua cogantur Solis radij, cùm nõ possint vltra eam penetrare. ANAXAGORAS Solis splendorem reflecti in nube densa, semper eregionè astri posita, quod in ea tanquam speculo exprimitur. Hoc modo etiam causa explicatur pareliorum, qui sunt cũ plures soles apparent, vt fit in Ponto. METRODORVS ait, cum Solis splendor nubem penetrat, nubẽ cœruleo colore apparere, splendorem rubro.

De virgis. Cap. VI.

HAS & Soles Soli oppositos aiunt mixtum haberequippiam ex substãtia & apparitione: quòd nu-

bes videantur, nõ suo tamen colore, sed alio qui visui exhibetur. In his omnibus similes affectiones accidunt & naturæ, & iis quæ in rebus naturalibus contingunt.

De ventis. Cap. VII.

ANAXIMANDER ventũ esse fluxionem aeris, motis in eo à Sole aut colliquatis partibus tenuissimis humidissimisque. STOICI omnem ventum esse fluxum, sed nomina mutare pro locorum rationibus. vt à Zopho, id est caligine, & occasu Zephyrum, qui nobis est Fauonius: à Sole & ortu Subsolanum, à septentrione Aquilonem, à meridie Africum. METRODORVS, aquæ exhalationis incendiũ à Sole factũ, excitare diuinos flatus. Etesias, qui sunt venti anniversarij, spirare aere qui ad septentriones est, densato, vnà cum Sole qui à solstitio æstiuo à nostris recedere incipit partibus, se prorumpentes.

De hyeme & æstate. Cap. VIII.

EMPEDOCLES & STOICI hyemem fieri, cùm aer sua densitate obtinet & sursum vi eluctatur: æstatem, igni deorsum vi tendente. Sed sublimibus descriptis, ad ea me conferam explicanda, quæ ponè terram sunt.

De terra, tum quæ natura eius, quæ quantitas. Cap. IX.

THALES statuit, vnicam esse terram. OECETES Pythagoreus, duas: nostram, & ei oppositam, quam, antichthona vocat. STOICI terram vnicam & infinitam. XENOPHANES ex inferiori parte radices eam egisse in infinitam profunditatem, compactam autem esse ex aere & igne. METRODORVS terram esse fæcem ac subsedimentũ, aquæ, Solem aeris.

De figura terræ. Cap. X.

THALES, STOICI, & qui hos sequuntur globi forma. ANAXIMANDER planæ columnæ lapideæ. ANAXIMENES mensæ. LEVCIPPVS tympani. DEMOCRITVS disci in superficie, in medio cauam.

De

De terræ situ. Cap. XI.

QVI THALETEM sequuntur, in medio terrã collocant. XENOPHANES primum assignat locũ, quòd radices egerit in altitudinem infinitam. PHILOLAVS Pythagoricus, igni medium defert locum, quòd sit quasi focus Vniuersi: secũdum antichthoni: tertium ei in qua nos degimus terræ, sitæ ex aduerso, & contrario motu circumvertenti: vnde fiat vt qui in vna sunt terra, ab iis, qui constituti in altera sunt, non cernantur. Princeps PARMENIDES terræ habitata loca discreuit à duabus sub solstitialibus circulis quæ iacent Zonis.

De inclinatione terræ. Cap. XII.

LEVCIPPVS terram in partes austrinas prolabi putat ob istarum raritatem: quippe ob gelu concretis partibus ad septentrionem vergentibus, dum oppositæ interim ardent. DEMOCRITVS, quia ambitus pars austrina sit imbecillior, ideò terram mole auctam eò declinare. Partes enim septentrionales inæqualiter, meridionales æqualiter esse temperatas. eò itaque inclinasse terram, vbi fructibus & incrementis abvnde suppeditat materia.

De motu terræ. Cap. XIII.

ALij immotam manere terram sentiunt. PHILOLAVS Pythagoreus, in orbem eam circumferri circum ignem, obliquo circulo, in morem Solis & Lunæ. HERACLIDES Ponticus, & ECPHANTVS Pythagoreus, motũ terræ tribuunt: non vt loco suo excedat, sed rotæ instar circa axem circumvertatur ab occasu versus ortũ, circa suum centrum. DEMOCRITVS initio effictam fuisse terram ob paruitatem & leuitatem: successu autem temporis densatam atque degrauatam subsedisse.

In quot Zonas distincta sit terra. Cap. XIV.

PYTHAGORAE opinio est, terrã eadem qua totius cœli globum proportione in quinque esse diui-

sam partes, septentrionalem, æstiuam, hybernam, æquinoctialem antarcticam. quarum media terræ mediam regionem definiat, hac ipsa de causa nomine aduſtæ seu tõridæ prædita. Eam quæ incoli potest, in medio iacere æstiuæ atq; hybernæ, tẽperatã.

De terræ motibus. Cap. XV.

THALES ac DEMOCRITVS eius rei causam aquæ imputant. At STOICI dicunt terræ motum esse, cùm humor in terra inclusus excernitur, inque aerem excidit. ANAXIMENES siccitatem & raritatem terræ, eius concussionis causam, quorum illam quidem æstus, hanc nimiæ pluuiæ gignãt. ANAXAGORAS aerem se emergere volentem, qui cum sua crassicie incidit in terræ superficiem, neque tamen excerni potest, tremore terram continentem succutit. ARISTOTELES propter frigidum terram vndiquaque circumstans supernè atq; infernè. Calidum enim ob leuitatem suam sursum nititur: itaque siccam exhalationem sursum evadendi via intercluſa, terrã, ex qua cuneo quasi acto eluctari contendit, contrariis invicem revolutionibus exagitare. METRODORVS, nullum corpus in suo proprio loco moueri, nisi quid sit à quo impellatur aut detrahatur efficaciter. ita ne terram quidem, vtpote suo naturali sitam loco, moueri: partes duntaxat eius quasdam aliò migrare. PARMENIDES, ac DEMOCRITVS, terram vndique æqualiter distantem, æquilibrióq; suspensam, quòd causam non habeat cur huc potiùs quàm illuc vergat, concuti tantùm, non moueri. ANAXIMENES eam ob latitudinem vectari aere cui incumbit. Alij aquæ innatare instar platani foliorum aut asserum, ideóque moueri. PLATO motuum sex circumstantias perhibet, sursum, deorsum, dextrorsum, sinistrorsum, prorsum, retrorsum. horum motuum nullum terræ posse accidere, cùm vndiquaque ima sit, maneátque immota, quòd nihil eximium sit ob quod in hanc vel illam partem momentum faciat. partes tamen eius raritatis causa concuti. EPICVRVS fieri posse vt terra aeris subiecti, qui aquosus est, crassitie impulsa ac quasi succussa moueatur: fieri etiam posse vt infimis sui partibus cauernosa cũ sit, aere qui per eam dispergitur in cauitates antrorum similes incidente quassetur.

De mari, quæ eius origo, & quî sit amarum. Cap. XVI.

ANAXIMANDER mare ait primi humoris esse reliquias, quarum maior pars ab igni exsiccata, reliquũ ob ardorem mutatũ sit. ANAXAGORAS cùm humor ab initio stagnans à solari motu esset aduſtus, exhalasseté; eius pinguedo, reliquum salsugine & amarore infectum substitisse. EMPEDOCLI mare est sudor terræ, aduſtæ à Sole, eúmque sudorem nimia sui cõpressione emittentis. ANTIPHON sudorem calidi, à quo excretum est quod superaret humidi, elixando in salsuginem conversum, quod in quovis sit sudore. METRODORVS quia mare sit percolatum per terram, ideò crassiciem eius participasse: sicvt evenit iis quæ per cinerem colantur. PLATONICI aquæ elementaris partem aliam ex aere frigore coactam extitisse dulcem, aliam quæ à terra ex ardore & incendio exhalasset, salsam.

De causis æstus maris. Cap. XVII.

ARISTOTELES & HERACLETVS à Sole fieri aiunt, qui plerosque spiritus moueat, secúmque circumducat. quibus incidentibus propellatur mare Atlanticum, intumescátque & affluxum maris efficiat: iisdémq; desinentibus retrò abstrahatur ac recedat, quo pacto resorbeatur mare. PYTHEAS Massilienſis Lunæ implemento affluxũ, decremento defluxum fieri. PLATO esse quippiam in sublimi suspensum, ex cuius foramine seu orificio quodã prorumpat æstus, vicissimque maria intumescant. TIMAEVS causam imputat fluminibus, quę ex mon-

tibus Gallicis in Atlanticum procurrentia mare, id excursu suo propellant atque augeãt, rursúmq; subsistentia retrahant atq; deminuant. SELEVCVS Mathematicus, ipse quoque motũ terræ tribuens, eius revolutioni ac motui Lunam adversam ire ait: cúmque ventus qui intra duo ista corpora intercipitur in diuersas partes hoc pacto agitetur. eo in Atlanticum mare incidente, hoc quoque secundum eius motus concitari.

De area, quæ halos dicitur? Cap. XIIX.

SIc ea fit. Inter Lunam aut aliud sidus ac visum nostrum aer crassus & nebulosus exstat, in quo cùm visus noster reflectitur, ac dilatetur, itaque ad externam circumferentiam circuli astri pertinet, circulus circà illud esse videtur, qui hálos, id est, area dicitur. videtúrque ista apparitio proximè ibi fieri, ybi visus in crassiciem incidit.

PLVTARCHI

De Placitis philosophorum, hoc est, breuis recensionis sententiarum de natura rerum,

LIBER IV.

QVM peragrauerimus mundi partes, ad ea nunc veniamus, quæ sunt singularia.

De Nili incremento. Cap. I.

THALES censet Etheſiarum, qui venti Aegypto adversi spirant, flatu Nili aquas attolli. quòd ostia ipsius quibus se exonerat maris obtrusi influxu obthurentur. EVTHYMENES Massilienſis, ex Oceano mariq; externo suapte natura dulci fluuium impleri. ANAXAGORAS niue Aethiopica, quæ hyeme frigens, æstate liquetur. DEMOCRITVS niue in partibus ad Septentriones sitis sub solstitiũ æstiuum

uum resoluta atq; diffusa, densari ex vaporibus nubes, quæ compulsæ versus meridiem & ad Aegyptũ ab eteſiis ventis, in magnos ac vehementes dissoluantur imbres, quibus cùm paludes, tum Nilus impleantur. HERODOTVS historiæ scriptor, æqualem à fontibus fluere Nilum hyeme æstatéq; perhibet: minorem autem hyeme videri, quia tum Sol Aegypto vicinior in vaporem aquas redigat. EPHORVS, historicus is quoq;, æstate ait relaxari totam Aegyptum, ac quasi exsudare copiosam aquam. ac cõferre ad hoc etiã Arabiam & Africam ob raritatem & fabulosum solum. EVDOXVS ait, sacerdotes imbribus & oppositis temporũ anni rationibus rem imputare. quãdo enim apud nos æstas est, qui sub æstiuo habitamus Tropico, tũ iis qui regionè sub brumæ circulo degunt hyemem esse, à quibus tũ exvndans aqua prorumpat.

De animâ. Cap. II.

PRimus THALES animam dixit naturam esse quæ semper, aut à seipsa moueatur. PYTHAGORAS numerum qui seipsum moueat. numerum autem sumit pro mente. PLATO substantiam mente præditam, à seipsa mobilem, & quæ moueatur secundum numerum harmonicum. ARISTOTELES actum (entelecheian) primum corporis naturalis & instrumentis apti, viuendi facultatem habentis. DICAEARCHVS harmoniam quatuor elementorum. ASCLEPIADES medicus coexercitationem sensuum.

Anima corpus an sit, & quæ eius substantia. Cap. III.

OMnes hi, quos nominaui, corporis expertẽ animam statuunt, naturã ei tribuentes quæ moueatur à seseipsa, & mente sit instructa, & actus naturalis corporis ad viuendum apti ac instrumentis adornati. ANAXAGOREI corpus esse censuerunt, idque aereæ naturæ. STOICI spiritum calidum. DEMOCRITVS igneam compagem partium mente sola

perceptarum, quæ formis sint globosis, ignea vi, denique corpus. EPICVRVS temperatum quippiam ex quatuor qualitatibus, ignea, aërea, aquea, & quarta cui nomen non sit positum, quod ei erat vis sentiendi. HERACLETVS animam mundi exhalationem esse humidarum eius partium. animalium autē, ab externa, & exhalatione interna cognatam.

De animæ partibus. Cap. IV.

PYTHAGORAS, PLATO, secundum supremam rationem duas partes ei assignant, quarum vna ratione sit prædita, altera eius expers, siue bruta. secundum propinquam autem & subtiliorem rationem tres: diuidunt enim brutam in iræ, & in cupiditatibus deditam. STOICI ex octo partibus componunt animam: quinque sensibus, visu, auditu, olfactu, gustatu, tactu: sexta vocali: septima seminea: octaua ea quæ principatum obtinet, & à qua reliquę omnes dispositæ sunt suis quæq; instrumentis, conuenienter flagellis polypi. DEMOCRITVS, EPICVRVS, bimembrem faciunt animam, cuius pars rationis compos in pectore sita sit, bruta per totam corporis concretionem diffusa. DEMOCRITVS porrò omnia ait quādam habere animā, etiam cadauera: quòd hæc semper perspicuè aliquid obtineant caloris & sensus, maiori parte exspirata.

De principe animæ parte. Cap. V.

INesse hanc aiunt PLATO & DEMOCRITVS in toto capite. STRATO in superciliorum intercapedine. ERASISTRATVS circa membranam cerebri, quam epicranida nominat. HEROPHILVS in cauo seu fundo cerebri. PARMENIDES in toto pectore. EPICVRVS, & STOICI in vniuerso corde, aut cordis spiritu. DIOGENES, in arteriosa cordis cauea, quæ est spiritualis. EMPEDOCLES in sanguinis substantia. Alij in collo cordis. Alij in membrana cor ambiente. Alij in septo transverso. Nonnulli recentiorum eò vsque à capite pertingere.

re. PYTHAGORAS vitalem animæ partem circa cor, rationem & mentem circa caput.

De motu animæ. Cap. VI.

PLATO semper moueri animam, mentem autem non moueri à loco ad alium. ARISTOTELES animam immobilem, omnis motus per se exsortem: per accidēs autem moueri, vt & formas corporum.

De animæ immortalitate. Cap. VII.

PYTHAGORAS & PLATO interitus expertem animam: cum enim exit, pervenire in cognatam sibi animam mundi. STOICI exeuntem è corpore simul cum concreto interire, eam scilicet quæ sit imbecillior: quales sunt ineruditorum animæ. Validiores, quales sunt sapientum, durare vsque ad conflagrationem. DEMOCRITVS & EPICVRVS caducam esse, & simul cum corpore interire. PYTHAGORAS, PLATO, ratione præditam partem non interire: esse animam quippe non deum, sed opificium æterni dei. brutam esse obnoxiam interitui.

De sensibus & sensilibus. Cap. VIII.

STOICI sensum definiunt apprehensionem, quæ fit à sentiendi instrumento. Variè autem dicitur sensus. nam & habitus, & facultas, & actus, & imaginatio apprehendens sensus instrumento fiunt, ipsáque etiam octaua pars princeps à quo pendet. Rursum instrumenta sentiendi sunt spiritus intelligentes à principe parte ad instrumenta corporea dispositi. EPICVRVS sensum dupliciter accipit. pro facultate & pro actu sentiendi. PLATO sensum definit animæ & corporis communionem cum externis. vis enim sentiendi est in anima, instrumentum corporis. ambo autem per phantasian (hoc imaginationem voco) externa apprehendunt. LEVCIPPVS, DEMOCRITVS, sensum & intelligentiam munus suum obire, visis siue imaginibus (sic illorum simulacra, eidola, exprimo) foris oblatis. his non accidentibus, neutrum istorum quicquam moliri.

Verine sint sensus, veræ imaginationes.
Cap. IX.

STOICI sensus non falli iudicant. visorum alia vera esse, alia falsa. EPICVRVS vtrisque veritatem ex æquo attribuit. Opinionum alias veras esse, alias falsas. Sensum vno tantùm modo falli, cùm suum de rebus mente cernendis interponit iudiciũ. phantasiam duobus, cum & sensilium sit, & intelligibilium. EMPEDOCLES, HERACLIDES pro meatuum concinnitate sensum fieri, cùm quodvis sensile suo sensui accommodetur.

Quot sint sensus. Cap. X.

STOICI quinque numerant sensus, quibus formæ apprehendantur: visum, auditum, olfactum, gustatum, tactum. ARISTOTELES sextum quidem non dicit, ponit tamen communem sensum, qui diiudicet inter compositas species, in quem singuli coniiciant sensus simplices sua visa: in quo ostenditur transitus ab vno ad aliam quasi speciem, & sub forma motus. DEMOCRITVS plures esse sensus, brutorum animalium, deorum, sapientum.

Quomodo sentiamus, notionem animo, orationemq; concipiamus. Cap. XI.

STOICI dicunt, quando in lucem prognatus est homo, tum principem animi facultatem, perinde ac si ageret de conscribenda charta, in anima singulas exarare noticias. Primum inscriptionis modum esse à sensibus. vbi enim sensu aliquid percipimus, vt album, eo sublato memoriam tamen eius retinemus. pòst cùm eiusdem generis multæ concurrerint formæ, experientiam adepti dicimur. hæc enim definitur multitudo eiusdem generis notionum. Iam notionum quæ naturales sunt, eo quo dictum est modo fiunt, nullâque artis industria: aliæ doctrina porrò nostra accuratione que parantur. Hæ tantùm notitiæ dicuntur, istæ etiã anticipationes siue prænotiones. Ratio præterea, à qua rationis dicimur compotes, istis anticipatis notionibus dicitur absolui, primo septenario. Est autem conceptus mentis visum intelligentiæ ratiocinanti, in animali rationem habente. Visum enim vbi ad talem áccidit animam, tunc conceptio mentis dicitur. Itaque visa, quæ Græci phantasmata dicunt, reliquis animalibus non áccidunt. quæ diis, ea nobis tantum phantasmata: quæ nobis, & in genere ea sunt phantasmata, & in specie notiones. sicvt denarij & stateres ipsi per se id sunt, quod nomine referunt: sin pro vectura nauali penduntur, hoc iis accedit, vt etiam portorium dicantur.

Quid inter se differant phantasia, phantaston, phantasticum, phantasma. Cap. XII.

CHRYSIPPVS isthæc sic distinguit. Phantasia affectio est in animo oborta, rem perceptã simul cum percipiente repræsentans. vt cùm percipimus visu albedinem, affectio oritur in animo nostro à visu profecta, cuius subiectum nominare possumus albedinem. idem de reliquis dico sensibus. Græca origine phantasiæ vox ad lumen redit. nam sicvt lumen & se ostendit, & ea quæ ipso comprænduntur: ita phantasia & sese, & id vnde effecta est, demonstrat. Phantaston, quasi si phantasia perceptibile dicerem, est quod phantasiam efficit: vt album, vt frigidum, & quidquid animam mouere potest. Phantasticum, quod inanis imaginationis efficax posse videor interpretari, inanis prorsus est animi tractus, quando exagitatur eius imaginatio nulla re imaginanda (sic phantaston refero) oblata: quale videmus in iis qui cũ vmbra depugnãt, & inani aëri manus inferũt. Imaginationi enim, siue phãtasiæ, obiicitur aliquod imaginabile: imaginationẽ futilẽ scienti, hoc est phãtasticõ, nullũ. Phantasma, id intellige vanã imaginationem, est ad quod trahimur inani tractu phantasticæ motionis. Accidunt hæc atra bile laborantibus & furentibus. Itaque Orestes in tragœdia hæc dicens,

Eurip. Oreſt.

O mater, obſecro te, ne incutias mihi
Has ſanguinolentas & colubrinas uirgines,
Quæ ponè me diſcurrunt, inquam, ponè me.

furens iſta dicit, neque videt quicquam, putat modò. Itaque Electra ei dicit:

Tuo quietus in lecto, miſer, mane,
Cernens eorum, quæ cernere putas, nihil.

Odyſſ. ν. 350 Sic & apud Homerum Theoclymenus.

De viſu, quomodo videamus. Cap. XIII.

DEMOCRITVS, Epicurus, imaginum inſertione putauerunt nos videre. Alij radiorum quorundam receptione, qui poſtquam obiectæ rei infixi fuerunt, rurſum ad oculum revertantur. EMPEDOCLES imaginibus radios adiunxit, id quod fit appellans radios imaginis compoſitæ. HIPPARCHVS radios ait ab vtroque oculo porrectos extremitatibus ſuis tãquam manibus apprehendere corpora extra oculos poſita, apprehenſionémque eorum viſui reddere. PLATO ſplendoris coniunctione ſeu concurſu, quod ſynaugeam Platonicam appellant. lumen ab oculo per aliquantum ſpaciũ profluere in cognatum aërem, aliúdque contrà à corporibus. aërem autem qui in medio eſt diffuſu ac converſu facilem eſſe, penetrare eum viſus vi ignea.

De imaginibus quæ in ſpeculis videntur. Cap. XIV.

EMPEDOCLES apparere eas dicit ob effluxus qui in ſuperficie ſpeculi coëant, perficiantúrque ab ignea vi quæ à ſpeculo excernitur, propoſitúmque aërem in quem effluentia feruntur ſimul circumagat. DEMOCRITVS, EPICVRVS imaginum ſubſiſtentia: quæ à nobis ferantur, & circumagitatione ſubſiſtant in ſpeculo. PYTHAGOREI reflexione viſus. qui cum intentus feratur ad æs denſo leuíque corpori occurrens, ab eo repercutiatur ac in ſe redeat. ac ſimile quippiam ei ácciдat cum manu, quæ extenditur & ad humerũ rurſus reducitur. His omnibus capitulis vti licet in explicanda viſionis ratione.

Viderine poſſint tenebræ. Cap. XV.

VIderi cenſuerunt Stoici. viſui enim ad hoc ipſum circumpoſitum eſſe quendam fulgorem, & non mẽtiri viſum, cerni enim revera quòd ſint tenebræ: CHRYSIPPVS ſecundum intentionem intermedij aëris videre nos, icto quidem & perſoſſo à ſpiritu viſui deſtinato, qui à principe animi parte vſque ad pupillam pertinet: ſed poſt appulſum ad vicinum aërem intendente ſeipſum turbinis in formam. Profunduntur autem ex oculo radij ignei non nigri aut caliginoſi. itaque videri poſſunt tenebræ.

De auditu. Cap. XVI.

EMPEDOCLES auditionem fieri dicit, aëre accidente ad auris partem quæ cochleæ inſtar in gyros contorta, intra aurem ſuſpenſa tintinnabuli inſtar percutiatur. ALCMAEO audire nos inani quod intra aurem eſt. id enim perſonare appellente aëre. omnia enim vacua ſonant. DIOGENES, aëre qui in capite continetur icto & moto à ſono. PLATO & qui eum ſequuntur percuti aërem qui in capite eſt, eúmque reflecti ad partem principem, ſenſúmq; auditus ſic fieri.

De olfactu. Cap. XVII.

ALCMAEO in cerebro eſſe partem animæ principem, ea ſentiri odores ſpirando ab ea attractos. EMPEDOCLES cum reſpiratione pulmonis. cum igitur difficulter ſpiratur, vt fit in humorum defluxu, tum ob aſperitatem non ſentiri odores.

De guſtatu. Cap. XIIX.

ALCMAEO humiditate & tepore qui in linguâ eſt diſcerni ſapores. DIOGENES raritate & mollicie & quòd eò pertinent à corpore nerui, diffundi ſapores attractos ad ſenſum & principem partem tanquam à ſpongia.

De voce. Cap. XIX.

PLATO vocem definit, spiritum per os ab animo eductum & ictum aëris, qui per aures, cerebrum & sanguinem vsque ad animam diditur. Impropriè etiam brutis & anima prorsum carentibus rebus tribuitur vox, vt cùm hac appellatione complectimur hinnitum & strepitum. Propriè autem vox articulata est, Græcis ab illustrando mentis conceptu dicta. EPICVRVS vocem esse fluxum emissum à rebus vocalibus, aut sonantibus, aut strepentibus. eum fluxum in frusta confringi eiusdem formæ. conformia dicuntur teretia teretibus, inequalium laterum & triangula cum sui generis formis comparata. His conformibus frustis ad aures accidentibus, sentiri vocem. Hoc manifestum fieri ex vtribus qui perfluunt, & fullonibus qui vestes inflant. DEMOCRITVS aërem comminui ait in conformia frusta, simúlque cum vocis frustis volutari. graculum
Odyss. 8, 218 enim graculo assidere, ac semper similem ad similem duci, vt est in proverbiis. nam etiam in litoribus similes calculi eodem apparent in loco, alio globosi collecti, alio oblongi. & inter cribrandum congregantur quæ sunt eiusdem generis, ita vt à ciceribus fabę secernantur. Adversus hęc dicere aliquis possit: Quomodo exigua frustula aëris implere possint theatrum aliquot hominum millibus refertum? STOICI dicunt, aërem nõ esse compositũ ex frustis, sed totum continuum, nihil habentem in se inane. Eum verò perculsum vento fluctuare in infinitum porrectis rectis circulis, donec impleatur aër circumsitus. sicvt fit in piscinam lapide coniecto. nisi quòd aër sphæricè, circulariter talis aqua mouetur. ANAXAGORAS vocem edi, si spiritus occurrat solido aëri, & aversus retrò ob ictum vsque ad aures referatur. quomodo etiam fiat echo, quæ est cum sonus repercutitur.

An

An vox sit corporis expers, & quomodo fiat echo. Cap. XX.

PYTHAGORAS, PLATO, ARISTOTELES, corporis expertem: non enim esse aërem, sed aëris figuram & superficiem certo ictu fieri vocem. porrò nullam superficiem corpore præditam esse. Tametsi enim corporis motum sequitur, ipsa tamen prorsus caret motu. sicvt cùm flectitur virga, nihil patitur superficies eius, materia duntaxat flectitur. STOICI vocem dicunt esse corpus. quicquid enim agat, aut vim efficiendi habet, id esse corpus. atqui hoc esse vocis. audimus enim & sentimus, ipsa autibus accidente, & formam imprimente, quomodo annulus ceræ sigillum imprimit. Rursum quidquid mouet & molestiam exhibet, corpus est. Mouet autem nos conciunitas sonorum, offendit discrepãtia. Iterum, quod mouetur, corpus est. vox autem mouetur & refringitur illapsa in læuia loca, sicvt cum pila in parietem coniecta reliditur. Itaque ergo in pyramidibus Aegypti intus vna voce edita, quatuor aut quinque soni redduntur.

Vnde sensus animæ obtingat, & quæ pars sit eius princeps. Cap. XXI.

STOICI dicunt supremam partem animi esse principem, effectricem imaginum, assensionis, sensus, appetitus: principem autem illam partem vocant ratiocinationem. Cæterùm ab hac principe parte septem esse enatas animi partes, quæ instar polypi acetabulorum per corpus extendantur. De his septem partibus quinque sunt sensus isti, visus, auditus, gustatus, olfactus, tactus. Sunt autem spiritus, visus quidem à principe ad oculos vsq; pertingens: auditus ab eodem vsque ad aures: olfaciendi vis, indidem vsque ad nares: gustatus, ab eodem principio vsq; ad linguam: tactus à principe parte spiritus propagatus vsque ad superficiem, vt facilè sentiat

occurrentia. Reliquarum partium altera dicitur semen, quæ ipsa quoque est à principe parte spiritus vsque ad testiculorum adstites deductus. Altera est quam vocalem Zeno, vocem alij vsurpant, spiritus à principe vsque ad guttur & linguam aliáq; loquelæ peculiaria instrumenta. ipsa autem illa princeps animi pars in globo nostri capitis, tanquam in mundo, habitat.

De respiratione. Cap. XXII.

EMPEDOCLES primam putat fieri primi animalis respirationem, in fetu edito nacta abcessionem humiditate, in cuius locum extrinsecus succedat aër in vasa corporis aperta. Postmodò autem cùm iam innatus calor foras erumpens, vnà eliderет aërem, exspirationem: eodémque introrsum recedente, & aëri vicissim ingressum præbente, inspirationem. At enim nunc, cum sanguis feratur versus superficiem, suóque accursu aërem per nares foràs pellat, huius elisione fieri exspirationẽ. aëre autem recurrente & illabente per loca quæ calor rara & pervia fecit, inspirationem. ASCLEPIADES rem clepsydræ exemplo proponit. pulmones infundibuli loco statuit: causam respirationis ponit tenuitatẽ partiũ in pectore sitarũ, ad quam externus aër feratur fluatque crassis constans partibus, rursúmq; extrudatur, cùm pectus non possit ampliùs vel intrò admittere, vel alio carere. semper tamen aliquid, quod sit tenuium partium, in pectore supereſſe: non enim totum excerni, sed quod intus est, ei grauitate respondere, quod intrò adducitur. hæc autem cucurbitulis comparat. Eam porrò respirationem, quę dedita opera institutóque animi fit, fieri dicit contractione tenuissimorum in pulmone meatuũ, branchiisq; in arctum coactis. hæc enim nostræ obedire voluntati. HEROPHILVS facultates relinquit corporibus motus efficaces, in neruis, arteriis, musculis. Pulmonem autem existimat suapte natura solum

Pulmonis motus.

indigere

indigere dilatatione & contractione: deinde etiam alia. Atque actum quidem pulmonis esse attractionem spiritus extrinsecus: quo cùm est impletus, secundo appetitu pectoris partem adiacentem in se deriuare spiritum: impletúmque ita vt ampliùs attrahere non possit, rursus in pulmones abundantia deducere, indéq; foras protrudi, vicissim sese afficientibus corporis partibus. Aliquando enim duci pulmonem, aliorum participatione facta vel impletione vel evacuatione: ita vt quatuor sint motus pulmonis. primus, quo externum haurit aërem: secũdus, quo receptum intus in pectus devoluit: tertius, quo id quod coactum est à pectore, rursum in se recipit: quartus, quo idipsum foràs evomit. Horum motuum duos esse dilatationes, cũ scilicet vel externum attrahit in se aërem, vel redditum à pectore in se admittit: reliquos esse contractiones, quando scilicet pectus spiritum ad se trahit, vel foràs pulmo à pectore traditũ expellit. Pectoris enim duo tantùm sunt motus. vnus dilatatio, cùm à pulmone spiritum ad se trahit: alter contractio, cùm ei superfluum reddit.

De affectionibus corporis, & an in animam ea redundent. Cap. XXIII.

STOICI affectus ponunt in locis affectis: sensus autem in principe parte. EPICVRVS tam affectus quàm sensus in locis affectis: quòd statuit partem principem omnis esse affectionis expertem. STRATO & animi affectus, & sensus in principe parte collocat, non in affectis locis. In hac enim parte esse sitam tolerantiam, vt in terribilibus & dolorem adferentibus, vtque in fortibus & timidis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

PLVTARCHI

De Placitis philosophorum, hoc est, breuis recensionis sententiarum de natura rerum,

LIBER V.

De diuinatione. Cap. I.

PLATO & STOICI diuinationem introduxerunt, quæ sit diuinus mentis instinctus, secundum animi diuinitatem. Huc etiam diuinationem ex insomniis referunt: deniq; plurimas diuinandi rationes probant. XENOPHANES & EPICVRVS diuinationē reiiciunt. PYTHAGORAS eam duntaxat partem improbat, quæ constat sacrificiis. ARISTOTELES & DICAEARCHVS eas solùm diuinationes admittunt, quæ furore diuinitus immisso, aut insomniis fiunt: animam non immortalem esse, sed diuina quadam re impertiri tamen sentientes.

Quæ insomniorum ratio. Cap. II.

DEMOCRITVS accessu imaginū ea fieri putauit. STRATO, quòd animi bruta natura in somnis aliquo modo plus sensus nanciscatur, itáque à mente cieatur. HEROPHILVS somnia diuinitus inspirata necessariò fieri: naturalia, imaginando sibi anima repræsentante quod expediat, & eventurum sit: mixta, fortuitò & appulsu imaginum, cùm videmus per quietem quæ volumus, quo modo amicis in somno potiri se putant nonnulli.

Quæ sit seminis natura. Cap. III.

ARISTOTELI semen est id quod præditum est facultate mouendi donec tale aliquid absoluat, quale est vnde ipsum fuit excretum. PYTHAGORAS spumam vtilissimi sanguinis, superfluitatem alimenti, sicvt sanguinem & medullam. ALCMAEO partem cerebri. PLATO à medulla dorsi deriuatam rem: EPICVRVS, particulam corpori & animæ auulsam. DEMOCRITVS, à totis corporibus & præcipuis partibus semen genitale est carnearum venarum.

An semen sit corpus. Cap. IIII.

LEVCIPPO & ZENONI corpus est. esse enim aliquid ab anima auulsum. PYTHAGORAS, PLATO, ARISTOTELES, vim seminis incorpoream dicunt, sicvt mentem mouentem: corpoream autem materiam quæ profunditur. STRATO & DEMOCRITVS ipsam quoque vim corpus esse, quippe spiritū.

An feminæ etiam semen promittant. Cap. V.

AFFIRMANT hoc PYTHAGORAS, EPICVRVS, DEMOCRITVS. habere enim adstites testiculares, sed inverso modo. ideóque eas etiam præter vsum appetere. ARISTOTELES & ZENO humidam materiam emitti ab iis, sicvt ab exercitatione sudores eliciuntur: non tamen vim habere seminis. HIPPON haud minus seminis eas, quàm mares, emittere, sed id non facere ad prolem generandam, quia extra vterum excidat. ideóque quasdam sępenumero absque viris semen effundere, maximè viduas. & ossa à mare, carnes à mulieribus originem habere.

Quomodo conceptio fiat. Cap. VI.

ARISTOTELES fieri matrice sursum attracta à purgatione, menstruisq; attrahentibus ab vniuersa mole aliquid puri sanguinis, qui áccidat semini maris. Non concipi, ob impuritatem vuluæ, aut inflationem, metum, ægritudinem, infirmitatémve mulierum: aut quia viri languent.

Quomodo mares nascătur, quomodo feminæ. Cap. VII.

EMPEDOCLES causam calori & frigori adscribit. itaq; narrant primos homines è terra enatos ad ortū Solis & meridiem sitis in partib. extitisse, ferè mares, feminas in septentrionalibus. PARMENIDES

contrà in his exſtitiſſe mares, quia plus his denſitatis ineſt. in meridionalibus autem feminas ob raritatem. HIPPONAX pro eo atque ſemen vel conſiſtat & validum ſit, vel diffluat & infirmius ſit. ANAXAGORAS, PARMENIDES, ſemen à dextra parte in dextram vteri partem coniici, à ſiniſtra in ſiniſtram. quòd ſi ſecus fiat, feminas concipi. LEOPHANES, cuius Ariſtoteles meminit, illos è dextro teſticulo, has è ſiniſtro ſeminari. LEVCIPPVS ſecundum variationem membrorum, quòd mas ſolem, matricem femina habet. tantum enim duntaxat dicit. DEMOCRITVS communes partes, ex vtro contigerit: peculiares, provt prævaluerint. HIPPONAX, ſi ſemen prævaluerit, marem: ſi alimentum, feminam cõcipi.

Monſtra vt naſcantur. Cap. IIX.

EMPEDOCLES vel abundantia vel defectu ſeminis, aut à motus initio, aut diuiſione in plura, aut quod aliò vergat. ſic videtur ferè omnes cauſas complexus. STRATO propter additionem, aut deminutionem, tranſpoſitionem, inflammationem. Medicorum quidam, quòd tunc matrix flatibus illapſis pervertatur.

Cur mulier ſæpius concumbens non concipiat. Cap. IX.

DIOCLES medicus cauſam eſſe putat, quòd vel omnino nullum, vel iuſto minus ſemen emittat, aut proli gignendæ non aptum ob calorem, aut frigus, aut humiditatem, aut ſiccitatẽ deficientẽ, aut ob reſolutionẽ vteri. STOICI, obliquitatem veretri, quod nõ poſsit rectà eiaculari ſemen: aut quia membra coëuntium nõ ſint inter ſe legitima proportione condita ad matricis diſtantiã. ERASISTRATVS, vbi vulua callos contraxerit: aut carnoſior, rariórve, aut minor fuerit quàm natura exigat.

Quomodo gemini & tergemini naſcantur. Cap. X.

EMPEDOCLES, ob abvndantiam & diuiſionem genituræ.

nituræ. ASCLEPIADES, ob corporum differentiam: ſicvt hordei ſpicę exiſtunt duobus aut etiam tribus granorũ ordinibus, eſſe enim femina fecundiſsima. ERASISTRATVS ob conceptiones, vt in brutis. cùm enim matrix purgata eſt, tunc ſuperfetationem admittit. STOICI ob loca quæ ſunt in vtero: cũ enim in primum & ſecundum inciderit ſemen, tunc fieri ſuperfetationem & tergeminos naſci.

Quæ cauſa, quòd proles parentum aut etiam progenitorum ſimilitudinem refert. Cap. XI.

EMPEDOCLES ſimilitudinem defert ſemini prævalenti: diſsimilitudinem evaporationi caloris qui in ſemine erat. PARMENIDES, ſi à dextra vuluæ parte ſemen excernatur, patrum: ſi à ſiniſtra, matrũ ſimiles naſci. STOICI, à toto corpore & anima ferri ſemen, exprimíq; imagines & effigies ex eadem gente, perinde atque ſi pictor rei conſpectæ ſimilitudinem coloribus ſimilibus referat. præterea à muliere quoque ſemen emitti: quod ſi prævaleat, matri: ſi viri, patri ſimilem naſci fetum.

Quomodo aliorum, non parentum forma ſimiles fiant. Cap. XII.

MEdicorum plerique fortuito caſu refrigeratis maris & feminæ ſeminibus diſsimilẽ gigni prolem putant. EMPEDOCLES imaginatione mulieris inter concipiendũ formari fetum. ſæpe enim imagines etiam & ſtatuæ ſunt à mulieribus adamatæ, ſimiliſq; earum proles in lucem edita. STOICI ob conſenſum quendam ac ſimilem animi affectionem, fluxuum & radiorum, non imaginum, inſertione ſimilitudines effici.

Quomodo cùm mulieres, tum viri ſteriles reddantur. Cap. XIII.

STerilitatis in muliere cauſas medici vtero imputant, ſi aliquid horum ei accidat. puta vt fiat denſior, rarior, durior, obſtruatur callo, aut carnea mo-

le. item animi languorem, defectum nutritionis, corporis vitiosam constitutionem, perversionem figuræ, aut devulsionem. DIOCLES steriles mares fieri, siue quòd omnino nullum emittant semen, aut minus iusta quantitate, aut quia semen sit sterile, aut ob resolutionem membri, aut obliquitatem colis rectà semen eiaculari non valentis ad matricis distantiam. STOICI causantur dissimlitudinem naturæ & qualitatum in his qui corpora commiscent: nam quando separantur, & cum suæ naturæ familiaribus coëunt, tum fetum procreari.

Cur mulæ steriles. Cap. XIV.

ALCMAEO mulos steriles esse dicit ob seminis tenuitatem siue frigiditatem: mulas, quia matrices earum non hient. EMPEDOCLES, ob exilitatem, humilitatem, angustiámq; vuluæ, inversè ventri annatæ, vt neq; rectà ad eam semen eiiciatur, neque si id fiat, excipiatur. Huic DIOCLES testimoniũ perhibet, tales se matrices mularum in dissectionibus sæpenumero deprehendisse inquiens: ac fieri posse, vt iisdem de causis mulieres quoque sint steriles.

An fetus in vtero sit animal. Cap. XV.

PLATO animal censet, quia & moueatur in vtero & alatur. STOICI partẽ ventris, non animal. vtq; fructus, qui stirpium partes sunt, vbi maturuere, defluunt: ita rem quoque habere de fetu. EMPEDOCLES fetum non esse quidem animal, spiritu tamen præditum in vtero. primam autem animalis respirationem fieri cùm partu editur, decedente humore qui est in fetu, & in exhausti locum succedente in vasa relata aëre externo. DIOGENES inanimata nasci animalia, sed cum calore. atque insitum calorem simul atque natum est animal, animam in pulmones attrahere. HEROPHILVS naturalem fetui in vtero, non animalem motũ permittit, motúsq; causam edit neruos. animalia autem tum demum fieri, cum ex vtero effusa aliquid aëris accipiunt.

Quos

Quomodo alatur fetus. Cap. XVI.

DEMOCRITVS, EPICVRVS, fetum in vtero per os ali: itaque statim atq; natus est, ore ad mammam ferri. nam & in vtero esse vbera quædã & oscula quibus alatur. STOICI per secundinam & vmbilicum: itaq; hanc statim ab obstetricibus à partu ligari, & os infanti aperiri, vt de alio cogitet alimento. ALCMAEO ali per totum corpus, quod spongiæ in morem recipiat quæ alendo sunt idonea.

Quid primum in vtero absoluatur. Cap. XVII.

STOICI, plerisq; fieri * ARISTOTELES primùm lumbos, tanquam carinam nauis. ALCMAEO caput, partem scilicet principem. MEDICI cor, in quo sint venæ & arteriæ. Alij magnum pedis digitum. Alij vmbilicum.

Cur fetus qui septima mense in lucem editur, vitalis sit. Cap. XIIX.

EMPEDOCLES, quo tempore humanum genus è terra est enatum, propter tarditatem motus Solis, tantam fuisse longitudinem vnius diei, quanta nunc est decem mensium. progressu temporis contractam fuisse ad quantitatem septem mensium. itaque & decimo mense & septimo editos fetus vitales esse, natura mũdi hoc meditata, vt in vna die infans augescat & nascatur. TIMAEVS non decem inquit menses, sed nouem censeri ab inhibitione menstruorum postquam conceptus est fetus. sic etiam septimestria censeri quæ non sunt, cùm aliquando mulier post conceptum menstruis purgetur. POLYBVS, DIOCLES, Empirici etiam octauum mensem aptum partui agnoscunt: sed fetum esse tum imbecilliorem, ideóque multos perire. ac tametsi ferè in vniuersum nemo octauo mense natam prolem alendam censet, tamen multos sic natos in viros evasisse. ARISTOTELES & HIPPOCRATES dicunt, si vterus impleatur septem mensibus, tunc fetũ se exerere, ac in lucem edi. quòd si se exerens non alatur

Universidad de Deusto Biblioteca

ob vmbilici languorem, laborioſè geſtato fetu, tunc eum non nutriri: ſi verò nouem menſes in vtero maneat, tunc ſe promere, integrúmq; naſci. POLYBVS vitalem prolem naſci diebus poſt cõceptũ CXXIIS. hoc enim eſſe ſex menſium tempus, quanto etiã Sol à tropico ad tropicum decurrat. Dici autem ſeptimeſtrem, cum dies qui huic ſexto menſi deſunt, à ſeptimo adſumuntur. Octauo autem menſe natam non viuere, quando fetus ex vtero ſe exerens grauius vmbilicum adfligit, vt ab eo nutriri non poſſit. MATHEMATICI octo menſes ad quenvis partum inſociabiles aiunt, ſeptem ſociabiles. Signa porrò cœli inſociabilia ſunt, quæ incidunt in ſtellas domibus cœleſtibus dominantes, & ſub ſe natis vitam infelicem, ac non longæuam portendunt. Sunt autem inſociabilia quorum vnum ab altero octauum numeratur, vt Aries ad Scorpium, Taurus ad Sagittarium, Gemini ad Capricornum, Cancer ad Aquarium, Leo ad Piſces, Virgo ad Arietem. & cætera. Hinc fieri vt ſeptimo & decimo menſe edita in lucem vitalia ſint: octauo nata ob diſſidium mundi pereant.

Signa inſociabilia.

De ortu animalium, quomodo exſtiterint, & an caduca. Cap. XIX.

QVi mundum ſtatuunt ortum, iis orta etiam habentur animalia, atque interitura. EPICVREI, quibus non videntur nata, mutua permutatione naſci ea cenſent. Partes enim eſſe huius mundi. Quod idem ſenſit ANAXAGORAS & EVRIPIDES:

Mutationum ſed uiciſſitudine
Aliis ſubinde formis illa prodeunt.

ANAXIMANDER prima animalia in humore nata, corticibus contenta ſpinoſis: adultiora autem facta, ad ſiccitatem deſciuiſſe, ruptóq; cortice nõ multum temporis ſupervixiſſe. EMPEDOCLES primò animalia ac plantas nequaquã integro ortu extitiſſe, ſed membris quæ nondum coaluiſſent: deinde partes coaluiſſe, ita vt ſpectri formam compages referret. tertium ortum fuiſſe ex his quæ viciſsim naſcuntur. quartum non iam ex ſimilibus, vt ex terra & aqua: ſed proinde viciſsim, cùm alimentum aliorum eſſet denſatum, aliis mulierum formæ venuſtas incitamentum emittendi ſeminis attuliſſet. Animalium porrò omniũ genera diſcreta fuiſſe certorum ratione temperamentorum: ob quam alia aquâ expetant, alia aerem, quæ plus ignei habeant: alia quæ grauiora ſint, ad terram ſuo appetitu ferantur. quæ autem æquabili ſunt temperamento, ea vocem è pectore emittere.

Genera animantium quot ſint, & an omnia ſenſu ac ratione prædita. Cap. XX.

EST opus ARISTOTELIS, quo in opere quatuor ſtatuit animalium genera, Terreſtria, aquatica, volucria, cœleſtia. nam & in his dici animalia ratione prædita immortalia. DEMOCRITVS, EPICVRVS, cœleſtibus rationem tribuunt. ANAXAGORAS omnia animalia habere mentem agentem: non item patientem, qui eſt mentis quaſi interpres. PYTHAGORAS, PLATO, animas omniũ etiam bruta quæ dicuntur animalium eſſe rationis compotes, non tamen ea agere ſecundum rationem. idque fieri ob incommodum corporum temperamentum, & quia loquela deſtituuntur. quod in canibus & ſimiis appareat, vocem, non articulatam tamen eam, emittentibus. DIOGENES, rationis & aëris partem ea percipere, ſed vel ob craſsiciem, vel ob abvndantiam humoris neque intelligere neq; ſentire: ac ferè affecta eſſe eo modo quo ſunt inſanientes, qui de mentis exiuerunt poteſtate.

Quantum tempus ad formandum in vtero animalis ſetum requiratur. Cap. XXI.

EMPEDOCLES hominum membra incipere conformari ait à die XXXVI, perfici membra die vn-

dequinquagesimo. Asclepiades masculorum, quòd sint calidissimi, initium vigesimæ sextæ diei defert, nonnullos etiam maturiùs auspicari dicens: perfici membra die quinquagesimo. Femellarum initium bimestre, finem conformationis exitum quarti mensis, ob inopiam caloris. Brutorum perfici fetus contemperatione elementorum.

Quibus ex elementis constet in nobis vniuscuiusq; generis membrum. Cap. XXII.

Empedocles arbitratur carnes nasci ex interna elementorum contemperatione: neruos ignis & terræ duplicibus portionibus admixtis: vngues, neruis vbi aëri occurrerũt refrigeratis. ossa ex aqua & interna terra. quatuor autẽ ignis & terrę contẽperatis portionib. sudorẽ & lacrymã corporis fieri sic.

Quando & quomodo incipiat homo perfici. Cap. XXIII.

Heracletvs & Stoici sub annũ decimumquartum, cùm iam etiam genitalis vrina secerni incipit. nam & arbores tum incipere perfici, cùm gignere semina incipiunt: immaturas antè esse & imperfectas, dum fructu carent. Prætereà eo natu homo iam in noticiam boni ac mali venit, eorúmq; disciplinæ capax exsistit.

Quæ causæ sint somni & mortis. Cap. XXIIII.

Alcmaeo somnum existere ait sanguinis in concursum venarum receptu: eiusdémque diffusione nos evigilare: plenum autem abscessum, mortis esse causam. Empedocles moderata caloris qui in sanguine inest refrigeratione somnum, perfecta mortem accidere. Diogenes, si vniuersus sanguis in venas diffusus contentum in eis aërem in pectus subiectúmque ei ventrem contrudat, somnum fieri, ac thoracem incalescere. quòd si vniuersus aër venas deserat, mortem consequi. Plato & Stoici somnũ fieri remissione sensitiui spiritus, non relaxatione, sicut in terra: sed cùm is ad intervallum super-

superciliorum, id est partem principem, fertur. qui spiritus si omnino remittatur, mortem subsequi.

Ad animámne, an verò ad corpus pertineant somnus & mors. Cap. XXV.

Aristoteles somnum corpori cum anima facit communem. esse enim evaporationem humidi è pectore in caput, & refrigerationem caloris in corde ab alimento subiecto. mortem esse absolutam refrigerationem: soliúsq; corporis esse, animam esse immortalem. Anaxagoras somnum accidere putat functionibus corporis: non enim animæ esse, sed corporis adfectionem. mortem esse animæ divulsionem. Levcippvs solius corporis esse somnũ: cúmq; ob tenuitatem partium plus iusto excerni- tur animati caloris, eo mortẽ effici. corporis hęc esse, nõ animæ affectiones. Empedocles mortẽ esse igneæ naturæ secretionem ab his ex quibus homo coaluit. ideóq; communẽ esse animæ corporíq; mortem. somnum autẽ evenire secretione naturę igneę.

De plantarum incremento, & an sint animalia. Cap. XXVI.

Plato, Empedocles, stirpes quoq; anima prædi- tas esse, & in animalium numero censent: eo argumento, quòd & nutent, & ramos habeant directos, qui inflexi si remittantur, suum repetant locum atque rectitudinem. Aristoteles viuere dicit, animalia esse negat. quòd animalia appetitu, sensuque, & quædam porrò ratione sint prædita. Stoici & Epicvrei animam iis derogant: quòd animata alia appetãt, concupiscentiáq; incitentur, alia etiam ratione vtantur: plantæ autem fortuitò natæ sint, nõ animæ effectione. Empedocles primo inter animalia loco arbores è terra enatas ait, antequã Sol circũvolueretur, nóxq; à die discerneretur. & ob concinnitatẽ tẽperamenti sexus masculi ac feminei rationẽ continuisse. incrementũ eis obtigisse à caloris terræ inclusi distributione. itaq; terrę esse

partes, sicvt fetus in vtero matricis sunt partes. Semina, excrementa esse terræ & ignis abvndantium & quæ humoris satis non habeant, earum sub æstatem defluere folia exsuccatarum: pleraſq; durare, vt laurum, oleam, palmam. Discrimina succorum esse ob diversitatem partium & causarum varietatẽ, maximè nutrimentum: vt in vitibus. non enim harum differentiæ vinum vino præstantius efficiunt, sed soli, quo aluntur, diuersitas.

De nutritione & incremento. Cap. XXVII.

EMPEDOCLES animalia nutriri subsidente eo quod iis est natura accommodatum: crescere ob caloris præsentiam: decrescere & tabescere vtriusque defectu. nostræ ætatis homines priscis comparatos, infantium instar esse.

Vnde appetitus animalia, vnde voluptas intercessat. Cap. XXIIX.

APpetitum EMPEDOCLES animalibus obtingere defectu elementotum quibus conficiuntur: voluptates autem ex humiditate, & periculorum similiúmque motus: inter turbationes autem & * *

Febris vt fiat, & an ea sit affectio alius affectionis appendix. Cap. XXIX.

ERASISTRATVS febrim sic definit. Febris motio est sanguinis illapsi in pulmonis vasa, non proficiscens à nostra voluntate. sicvt enim mare nemine commouente quiescit, vento autem cótra naturam incidente violento totum exagitatur, ínque circulos torquetur. sic & in corpore vbi commotus fuerit sanguis, incidit in vasa spiritui destinata, ibiq; excandescens calorem toti corpori adfert. placet autem ei febrim morbi esse appendicem. DIOCLES inquit: Quæ videntur, cõspectui nobis exhibent ea quæ in obscuro sunt. Hoc autem apparet, febrim vulneribus, ardẽtib. abscesibus, & bubonib. comitari.

De

De sanitate, morbo, senectute. Cap. XXX.

ALCMAEO sentit, causam bonæ valetudinis continentem esse æquabilitatem facultatis humidi, calidi, sicci, frigidi, amari dulcis, ac reliquarũ qualitatum. contrà si qua harum qualitatum sola prævaleat cæteris, morbum gigni. verbi gratia, si nimium possit calor aut frigus, aut reliquorum aliquid desiciat vel abvndet: vt cũ sanguinis aut cerebri non est satis. ideóq; sanitatẽ esse temperiem qualitatũ concinnam, hoc est certa invicem proportione invicem respondentium. DIOCLES plerosq; morborũ existere ait ob inæqualitatem elementorum corporis, eiúsque constitutionem. ERASISTRATVS morbos ob multitudinẽ alimenti, cruditatem, & corruptionem existere: victus rationem moderatam & sufficientem corpori, esse sanitatem. STOICI vno ore dicunt senectutem accidere ob caloris defectũ. quibus enim plus est caloris, ij senectuti morã longiorem producunt. ASCLEPIADES ait Aethiopes celeriùs senescere, anno scilicet trigesimo: idq; propterea, quòd eorũ corpora nimio Solis æstu exvranter. In Britannia contrà senium anno CXX incohari: & corpora ob frigiditatẽ istarũ regionũ igneã in se se contineãt naturã. Et corpora Aethiopum rariora esse, quòd relaxẽtur calore Solis. in septẽtrionalib. regionibus corpora dẽsiora, ideóq; etiã viuaciora.

PLVTARCHI Parallela. id est historiarum Græcarum cum Romanis coniuncta recensio.

PLERIQVE existimant veteres rerum gestarum narrationes figmenta esse & fabulas, propterea quòd alienæ sunt à communi opinione. Ego qui obseruas-

ee

sem posterioribus temporibus eveniſſe germana eo
rum quæ priſcis tẽporibus perhiberentur cõtigiſſe,
collegi cuivis antiquæ rei geſtæ reſpondentẽ recen
tiorẽ hiſtoriã, ſimúlq; autorib. nominatis expoſui.

I. Datis Perſarum ſatrapes, exercitu trecentorum millium ad Marathonẽ Atticæ planiciem adducto, poſitíſq; caſtris, incolis bellum denunciauit. Athenienſes ſpreta barbarorum multitudine, nouem millia hominum miſerunt, ducibus Cynẽgiro, Polyzelo, Callimacho, Miltiade. Collatis ſignis cũm pugnaretur, Polyzelus aliquid humana conditione auguſtius conſpicatus, eſt luminibus captus. Callimachus multis transfixus haſtis, etiam mortuus ſtetit. Cynægiro, dum Perſicam nauim receptui ſe dãtem retinet, manus ſunt amputatæ.

Asdrvbal rex Sicilia occupata, bellum Romanis indixit. Metellus à ſenatu bello gerendo præfectus, vicit. in prœlio L. Glauco patricius, dũ nauim Aſdrubalis detinet, vtranque amiſit manum. Narrat hoc Ariſtides Mileſius, primo libro rerum Siculaarum: à quo deſumptum hoc argumentum Diodorus Siculus tractauit.

II. Xerxes ıɔɔɔɔ hominum exercitu inſtructus ad Artemiſium appulit, eiúſq; regionis incolas tum hoſtilia abs ſe exſpectare iuſsit. Athenienſes cõturbatis animis, Ageſilaum Themiſtoclis filium miſere explorãtum, quanquam pater eius Neocles in ſomnis vidiſſet illum ambabus truncatum manibus. Is Ageſilaus vbi pervenit habitu Perſico ad barbaros, Mardoniũ quendam de regis ſtipatoribus, Xerxem ratus eſſe, interfecit: compræhenſúſq; à circũſtantibus, vinctus ad regem eſt adductus. Boue tum litaturus erat rex ad aram Solis. Ibi Ageſilaus igni in ara excitato dextrã impoſuit manum, cruciatũq; abſque vllo pertulit gemitu. vinculis proinde ſolutus, dixit: Tales ſunt omnes Athenienſes: quod ſi nõ credis, etiã ſiniſtrã impoſuero. Xerxes metu conceptο, in

pto, in cuſtodia eũ iuſsit adſeruari. Narratio eſt Agatharchidæ Samij, libro Perſicarum rerum ſecundo.

Porsena Etruſcorum rex trans Tiberim poſitis caſtris Romanos oppugnabat, cõmeatũq; interceptο fame eos vrgebat. Inopia cõſilij tum laborante ſenatu, Mvcivs de viris illuſtrib. vnus, quadringentis conſulum permiſſu aſſumtis æqualibus, habitu priuati hominis indutus amnem trãſit: cúmq; ſatellitẽ regis videret militibus neceſſaria diſtribuere, regem ipſum eſſe ratus interfecit. Adductus deinde ad regem, igni, vt erat ibi paratus, dextrã impoſuit manũ, doloribúſq; animosè toleratis ſubridẽs: Soluar, inquit, Barbare, etiam te invito. ſcito enim in caſtris cccc eſſe qui te ad necem quærunt. Territus Porſena pacem cum Romanis fecit. Refert Ariſtides Mileſius tertio hiſtoriarum libro.

Argivis & Lacedæmoniis de agro Thyreatico altercantibus, Amphictyones pugna vtrinq; lectorum hominum rem decernendam cenſuerũt, victoriq; agrũ detulerũt iſtum. Lacedæmonij à ſua parte Othryadem ſummę rei, Argiui Thersandrvm præfecerũt. Prœlio de Argiuis duo ſuperſtites fuerunt Agenor & Chromius, qui de victoria ciuibus nuncium attulerunt. Facta autem quiete, Ohryades etiamnũ viuens, fultúſq; haſtilibus ſemifractis, mortuorum ſcuta abſtulit, trophæum erexit, ſuóq; ſanguine id Ioui trophæorũ tutori inſcripſit. Integrata lite Amphictyones in rem præſentem venerunt, litémq; ſecundum Lacedæmonios dederũt. Sic Chryſermus libro tertio rerum Peloponneſiacarum. *Stratagema.*

III.

Romani bello Samnitico ducem exercitus creauerunt Poſtumium Albinũ. Is in anguſtiis, quæ Caudinæ furcæ dicuntur, circumventus hoſtium inſidiis tres legiones perdidit, & ipſe vulnere graui acceptο cecidit. Intempeſta nocte, iamiã moriturus, hoſtibus occiſis ſcuta ademit, trophæum ſtatuit, manúq; in ſanguinẽ intincta inſcripſit, Ioui trophæorũ

vindici de Samnitibus Romani posuerũt. Fabius autem Gurges cognomento missus cum copiis, vt ad locum venit, viso trophæo omen arripuit, cõmissõque prælio vicit hostes, regémq; eorum captũ Romam misit. Ex Aristidis Milesij Italicorum tertio.

IV. Cùm Persæ in Græciam adduxissent ɔɔɔɔɔɔ hominum exercitum, missus est Leonidas à Spartanis, cum ccc militibus. Is ingruente prandentibus barbarorum multitudine, iis conspectis dixit ad suos: sic prandete, vt cœnaturi apud inferos, factóque in barbaros impetu, multis confixus hastis in ipsum Xerxem cõtendit, eíq; diadema avellit. Mortui cor barbarus secans, hirsutum reperit. Aristides primo Persicarum rerum.

Romani bello punico trecentos miserunt, duce Fabio Maximo. Is conserta pugna omnes amisit: ipse lethali affectus vulnere in Annibalem irruit, diadema ei detraxit, cúmque eo mortuus est. Ita Aristides Milesius.

V. Ad Celænas Phrygiæ vrbem hiatu terræ cum aquæ illuuie orto, multæ domus vnà cum habitatoribus in profundum abreptæ sunt. Midas autem rex oraculo accepto, si preciosissimum iniiceret, fore vt hiatus coiret, auro argentóq; iniectis nihil profecit. Anchvrvs autem Midæ F. cogitans pretiosius anima humana esse nihil in vita, amplexu dato genitori & vxori suæ Timotheæ, eques in hiatum sese deiecit. Cùm autẽ in se coiuisset terra, auream Midas eo in loco posuit aram, eámque manu tangens Ioui Idæo consecrauit. Hæc ara circa id tempus, quo hiare terra solebat olim, lapidea fit: stato isto tempore elapso, aurea visitur? Autor Callisthenes libro Transformationum secundo.

Per medium forum fluens Tiberis ob iram Iouis Tarsij, ingentem aperuit hiatum, multásque absorpsit domos. Oraculo moniti finem fore, si pretiosam rem iniicerent, aurum & argentũ iniecerũt.

Sed

Sed Cvrtivs vnus de primariis iuuenibus sententia oraculi intellecta, animámq; istis præstantiorem sentiens, eques seipsum inhiatum immisit, suósq; calamitate soluit. Aristides xl. Italicorum.

VI. Ducibus qui cum Polynice erãt conviuantibus, aquila devolans, hastam Amphiarai raptã in sublime advexit, inde dimisit. ea terræ infixa, in laurum est mutata. Postridie bellum cùm gereretur, eo loco Amphiaraus vnà cũ curru terra haustus est, vbi Harma vrbs nunc est à curru sic dicta. Sic Trisimachus lib. tertio de conditis vrbibus.

Romanis bellum adversus Pyrrhum Epirotam gerentibus, oraculo victoria promissa est Aemilio Paulo, si aram posuisset eo loco, quo videret virum illustrem aliquem vnà cũ curru hiatu terræ hauriri. Triduo pòst Valerivs Conatus, homo diuinus, per somnium iussus vestem pontificiam sumsit, & in aciem suos eduxit, ac magna hostium cæde edita à terra absorsptus est. Aemilius aram statuit, victoriáque potitus clx turrigeros elephantos Romã misit. Ara ista vaticinatur sub id tempus, quo Pyrrhus est victus. Scribit hoc Critolaus tertio Epiroticarum rerum libro.

VII. Pyraechmes Euboënsium rex bellum in Bœotos gessit. Hunc Hercules etiamnum adolescens vicit, pullísq; equi alligatũ in duas partes discerpsit, insepultúmq; abiecit. Locus pulli Pyrechmæ dicitur. situs est ad flumen Herculeum, & hinnitũ equi bibẽtib. edit. vt scriptũ est libro de fluminib. tertio.

Tvllvs Hostilius Romanorum rex bellum gessit contra Albanos, quorum rex erat Metius Suffetius, ac prœlium sæpius distulit. Semel victo eo Albani se ad conviuia dederunt. quos Tullus vino captos adortus, regem eorum duobus pullis equinis alligatũ discerpsit. Alexarchus quarto Italicorũ.

IIX. Philippvs Olynthum & Methonem oppugnaturus, dum traiicere Sandanum fluuium vi conten-

dit, sagitta ictus est ab ASTERE Olynthio, qui & dixit,

Aster lethale Philippo mittit spiculum.

Philippus retrò ad suos natando evasit. amisso ex eo vulnere oculo. Callisthenes tertio Macedonicorũ.

PORSENA Etruriæ rex positis trans Tiberim castris bellum Romanis intulit, interceptáq; commeatus subvectione, fame eos pressit. Horatius autem COCLES dux creatus sublicium occupauit põtem, hostésq; transire volentes inhibuit: multitudinéq; eorum superatus, suis mandauit vt pontem rescinderent, hostiúmq; turbá transitu prohibuit. sagitta autẽ oculum ictus in amnem sese abiecit, & ad suos tranauit. Theotimus secundo rerum Italicarum.

IX. FABVLA de Icario, cuius hospitio Bacchus est vsus, ab Eratosthene in Erigona refertur. SATVRNVS apud agricolã diversans, filiam eius Entoriam insigni forma compressit, & filios ex ea genuit Ianum, Hymnum, Faustum, Felicem. Cum autem vini vsum & vitis cultum tradidisset Icario hospiti suo, mandauit vt eo vicinos quoque impertiret. Quod cum factum esset, vicini insolito potu in grauiorem consueto delapsi somnum, putauerũt sibi venenum esse propinatum, lapidibúsq; Icarium obruerunt. filiæ filij præ mœrore seipsos suspenderunt. Cum autem Romam pestilentia invasisset, respondit Apollo Pithius finem mali fore, si Saturni iram placassent, & genios iniustè occisorum. Itaq; Lutatius Catulus vnus de principibus viris, Saturno templum prope Tarpeium montem cõdidit, arámq; in eo collocauit quatuor habentem facies: siue ob nepotes Icarij, siue quòd anni partes sunt quatuor. mensem quoque Ianuarium statuit. Saturnus autem vniuersos in fidera retulit: quorũ alij Protrygeteres vocãtur, quasi vindemiã antecedentes, Ianus autẽ prior oriẽs cernitur stella ante pedes Virginis. Critolaus libro quarto eorum quæ in cœlo visuntur.

PER-

PERSIS Græciam populantibus Pausanias Lacedæmoniorum dux acceptis à Xerxe 10 talentis voluit Spartam prodere. Re cõperta, pater Agesilaus eum vsque ad fanum Mineruæ Chalcioeci persecutus est, obthuratísq; fani foribus latere cocto, fame necauit. mater etiam insepultum abiecit. Chrysermus historiarum secundo libro. *seueritas parentum in liberos.*

X. ROMANI bello Latino P. Decium imperatorem designauerunt. Quidam autẽ patricius iuuenis pauper, nomine Cassius Brutus, hostibus pro certa mercede portas aperire instituit: deprehensúsq; ad templum Mineruæ auxiliariæ confugit. Pater autẽ eius Cassius Signifer ibi eum inclusit, saméq; interemtum inhumatum abiecit. Clætonymus in Italicis.

XI. DARIVS Persa prœlio congressus cum Alexãdro ad Granicũ, amissis septem satrapis, ac falcatis curribus 1011, postridie instaurare pugnam volebat. Ariobarzanes autem filius eius, vt qui Alexandro faueret, promisit ei, se patrem ipsi proditurum. Pater autem indignitate rei cõmotus, filio ceruices præcidit. Aretades Cnidius tertio Macedonicarũ rerũ.

BRVTVS ab vniuersis ciuibus cõsul creatus, Tarquinium Superbum, qui tyrãnicè se gesserat, in exsulem egit. Is ad Etruscos confugit, eorúmque opera Romanis bellum fecit. * filij patrem prodere voluerunt, réq; detecta securi sunt perculsi. Aristides Miæsius Italicis.

XII. IPAMINONDAS Thebanorum dux bellum contra Spartanos gerens, ad comitia in vrbem est profectus, cùm priùs iniunxisset hoc Stesimbroto filio suo, re cum hoste confligeret. Spartani eius absentia cognita, iuueni timiditatem exprobrauerunt. quod ille indignè ferens, oblitus paterni mãdati pugnam conseruit & vicit. Pater autem iratus ei coronato collum abscidit. Ctesiphon tertio libro rerum Bœoticarum.

ROMANI bello aduersus Samnitas præfece-

runt Manlium Imperiosum cognomento. Is cùm ad comitia creandis consulibus indicta Romam proficisceretur, filio mandauit ne pugnam committeret. Samnitæ re percepta, conviciis iuuenē iritauerunt, & ad prœlium elicuerunt. Ex eo is victor discessit: pater autem eum securi percussit. vt narrat Aristides Milesius.

XIII. Hercvles Iolæ coniugiū petens, passus repulsam oppugnauit Oechaliam: Iole se de muro præcipitem dedit: casu autem vestem vento sinuante nihil mali passa est. Refert Nicias Maleotes.

Romani bello in Etruscos ducem præfecerunt Valerium Torquatum. is cùm vidisset filiam regis Tuscorum Clusiam, eam petiit: cúmq; non impetraret, vrbem obsedit. Clusia de turri seipsam deiecit. veste autem sinuata (curauerat hoc Venus) incolumis ad terram delata est. cui cum vitium Torquatus obtulisset, ob isthæc facta communi Romanorum decreto deportatus est in Corsicam, quę est insula ante Italiam. Theophilus Italicorum tertio.

XIV. Cvm Pœni societatem cum Siculis adversus Romanos machinarentur, Metellus Romanorum dux soli Vestæ rem sacram non fecit: ea ventū classi adversum immisit. C. autem Iulius aruspex cessaturum edixit, si filiam suam dux immolasset. Coactus itaq; hic filiam Metellam produxit mactatum. Vesta eius miserta, buculam eius in locū submisit, ipsámq; *Lauusium detulit, & draconis qui ibi colitur antistitam fecit. Sic Pythocles tertio Italicorum.

*fortè Lanuuium.

Avlide, quæ est Bœotiæ vrbs simile quip»iam Iphigeniæ accidisse, Meryllus scribit primo Fœoticorum.

XV. Brennvs Gallorū rex Asiā a[illegible]ans ad Ephesum venit, ibiq; puellā plebeiā adamauit. ea se corporis sui vsuram ipsi concessurā. Ephesúmq; traditurā pollicita est, pacta mercedis loco armillas & mundum muliebrem. Brennus militibus mandauit, vt quid-

Proditionis et auaritiæ exitus.

quid

quid auri haberent, id in sinum auaræ coniicerent. itáque illa multitudine auri obruta periit. Tradit hoc Clitophon primo libro rerum Gallicarum.

Tarpeia vna de nobilibus virginibus Capitolij custos, bello Sabinorum contra Romanos, Tatio promisit, se aditum ei in montem Tarpeium patefacturum, si monilia mercedis loco acciperet quę Sabini gestabant. Sibini hoc sentientes: viuam eam monilibus obruerunt. Aristides Milesius in Italicis.

XVI. Cvm diuturnum fuisset inter Tegeatas ac Pheneatas bellum, placuit vtrinq; mitti fratres tergeminos, qui de summa rei decernerent. Tegeatæ Reximachi, Pheneatæ Damostrati filios delegerunt. Conserta pugna, duo de filiis Reximachi ceciderūt. Tertius Critolaus calliditate duos fratres hostes vicit. simulata enim fuga eos dum invicem divulsi insequuntur interfecit. Redeunti cum omnes gratularentur victori, sola soror eius Demodice gaudio abstinuit, ob interfectum ea pugna à fratre Demoticū, cui desponsa fuerat. Quod indignè ferens Critolaus, sororem trucidauit: cædisq; postulatus, à matre absolutus est. Demaratus Arcadicorum secūdo.

Romani & Albani bello conflato, tergeminis rem decernendam permiserunt, Albani Curiatiis, Romani Horatiis. Vt ventum est ad conflictum, Curiatij duos de Horatiis obtruncauerunt. Tertius superstes simulatæ fugę auxilio Curiatios singulos insequentes trucidauit. Gaudentibus omnibus sola victori non est gratulata soror Horatia, cuius sponsum Curiatium frater necasset, ab eóq; ipsa est interemta. Aristides Milesius in rerum Italicarum commentario.

XVII. Apvd Ilium ardente templo Mineruæ, Ilus accurrens cœlo delapsum Palladium eripuit, ac captus est luminibus, quòd illud videri à viro nefas erat. Postmodo tamen placato numine visum recepit. Hoc Dercyllus libro primo de conditis locis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

METELLVS vir primarius in subvrbium pergens à coruis retentus fuit alis eum plangentibus. Eo ostento territus in Vrbem rediit: cúmq; videret Vestæ ædem flagrare, Palladio inde rapto excæcatus est: posteáque temporis expiata ira numinis vsum oculorum recuperauit. Aristides Milesius Italicis.

XVIII. THRACIBVS, cùm bellum aduersus Athenienses gererent, oraculum victoriam promiserat, si Codro parcerent. Ille autem vili amictu ad hostes venit, fálcem gerēs, & vno interfecto occisus ab alio est: itáque vicerunt Athenienses. Socrates, autor libro Thracicarum rerum secundo.

P. Decius Romanus contra Albanos belligerans per quietem imaginatus est, se sua morte Romanis vires additurum. Itaq; in medios hostes irruit, multisq; occisis interfectus est. Eodem modo filius eius Decius bello Gallico rem Romanam conseruauit. autor Aristides Milesius.

XIX. *Ebrietas.* CYANIPPVS Syracusanus cum diis sacrificaret, solum Bacchū prēteriit. Iritatus deus ebrietatem ei immisit, per quā in obscuro loco filiā Cyanem compressit. ea patris digito detractum annulum nutrici adseruandum tradidit, agnitionis argumento futurum. Peste oborta, cum Apollo Pythius respondisset incestum hominem esse diis auerruncatoribus malorum immolandum, Cyane sensum oraculi alios fallentem percipiens, crinibus arreptum patrem protraxit, ac eum, séque insuper ipsam iugulauit. Dositheus tertio rerum Sicularum.

ROMAE cū celebrarētur Liberalia, Aruntius, qui ab ortu suo fuerat abstemius, vim Liberi patris despicatui habuit. A quo in ebrietatē cōiectus, filiæ suæ Medullinę virginitatē per vim eripuit. Ea ex annulo violatorē agnoscens, maius ætate sua meditata facinus patrē inebriauit ac coronauit, adductúmq; ad ārā Fulminis, illacrymās interfecit eū qui suæ virginitati insidias struxerat. Aristides tertio Italicorū.

ERE-

ERECTHEVS bellum contra Eumolpum gerens, doctus victorem se fore si filiam loco victimæ immolasset, re cum vxore Praxithea communicata, filiam hostiæ in morem mactauit. Meminit Euripides Erechtheo. XX.

VICTVS bello Cimbrico Marius, somnio monitus est victorem se fore, si filiam suam Calpurniam immolaret. Fecit hoc ille, ciuium saluti naturæ vinculo posthabito, ac vicit. atq; etiamnum duæ sunt in Germania aræ, quæ sub id tempus sonum tubarum edunt. Dorotheus quarto Italicorum.

CYANIPPVS genere Thessalus identidem venatum exibat. Vxor eius, quam recēns duxerat, eum cum alia muliere consuescere suspicata, quod sępenumero in syluis maneret, vestigia mariti secuta in quodam locō arboribus consito delituit, eventúmque præstolata est. Ramis autem agitatis, canes ferā esse rati impetum fecerunt, mulierémq; maritī āmantem instar brutæ bestiæ dilaniauerūt. Cyanippus insperatæ rei spectaculo oblato seipsum iugulauit. Autor Parthenius poēta. XXI. *Zelotypiæ exitus.*

SYBARI, quæ Italiæ vrbs est, Aemilius rarę formæ iuuenis, deditus erat venationibus. Mulier, cum qua nuper nuptias peregerat, cum alia rem ei feminа esse opinata, nemus intrauit. ramis autem agitatis canes accurrerunt, eámque discerpserunt. Maritus super ea clade sese confodit. Cletonymus secundo Sybariticorum.

SMYRNA (quam Myrrham Latini vsurpant) ob iram Veneris Cinyram patrem deperiit, & amoris tormentum nutrici aperuit. Hæc dominum astu subiuit, narrans in vicinia virginem esse, quæ ipsum adamaret, palàm autem adire præ pudore non posset. ita pater cum filia ignota concubuit. quodā verō tempore cernere amasiam cupiens, lumen popposcit. & filiam agnoscens, stricto ense incestam secutus est. illa Veneris providentia in arborem myr- XXII. *Incesti exēpla.*

rham mutata est. Theodorus in Transformationib.

VALERIA Tusculanaria propter iram Veneris amore patris Valerij correpta, rem cũ nutrice communicauit. hæc fraude dominum ad filiæ concubitum induxit, à virgine eum deperiri inquiens vicina, & quæ cum ipso vereatur concumbere si agnoscatur. Pater cum filia congressus, per ebrietatem lucernam postulauit. nutrix Valeriam excitare occupauit. quæ profuga cum ruri degeret, vterúmq; gereret, aliquando deiecta est per præcipitium, incolumis tamen, saluo etiã fetu, quem suo tempore peperit, nomine Syluanũ. (Græci Aegipanem vocãt.) Valerius prę mœrore de eodem se præcipitio deiecit. Aristides Milesius tertio Italicorum.

XXIII. POST Ilij excidium Diomedes in Africam maris fluctibus eiectus est. Regnabat ibi Lycus Martis F. qui peregrinos de more patri immolabat. Sed filia huius Calliroë Diomedis amore capta, patrem prodidit, Diomedéq; vinculis exsoluit. Hic benefactri cis nulla habita ratione avectus cùm esset, Calliroë fune sibi mortẽ conscíuit. Ex Iubę tertio Libycorũ.

Filiæ patres produnt.

CALPVRNIVS Crassus vir illustris Reguli legatus, in Massylos missus vt Garętium castellum superatu difficile oppugnaret, captus fuit. cúmque esset Saturno immolandus, Bysatia regis filia adamans eũ victorẽ prodito patre fecit, ac seipsam ob ipsius discessũ iugulauit. Hegesianax tertio rerũ Africarũ.

XXIV. PRIAMVS Polydorum in Thraciã expositum cum auro apud Polymestorem affinẽ, cùm iam excidium Ilio impenderet. Polymestor Troia capta Polydorum necauit, vt auro potiretur ipse. Hecuba eò loci delata, astu eum circumvenit vt aurũ datura, captiuisque adiuuantibus oculos ei manibus eruit. Euripides tragœdiæ scriptor hoc perhibet.

Auaricia.

ANNIBALE res Campanorum agente & ferente, L. Thymbris Rustium filium vnà cum pecunia deposuit apud Valerium Gestium necessarium suum. Hic cum

eũ hostem rebus potiri intellexisset, præ cupiditate pecuniæ naturæ iura violãs, puerũ interfecit. Thymbris iter per agros faciens, reperto filij cadauere nec essarũ istũ suũ ad se vocauit, thesauros ei se ostensurum prætendens: nactúsq; hominem oculis priuauit, ac in crucem sustulit. Aristides tertio Italicorũ.

PHOCVM Aeaci è Psamathe filiũ, dilectúmq; patri Telamon eduxit venatum: apróq; oblato hastam in fratrem quem oderat cõtorsit, eúmq; interfecit. Pater exsulio mulctauit Telamonem. Scribit hoc Dorotheus primo Transformationum libro. XXV. *Fratricidia.*

C. MAXIMVS cum filios haberet Similium & Resum, hũc quidem ex Ameria, Cononem cognomento: hic in venatione fratrem interfecit, domúmque reversus fortuitò, non consultò rem ita confectam dixit. Pater verò eũ re comperta vt erat, extorrem egit. Aristocles tertio rerum Italicarum. *

MARS ex Althæa Meleagrum procreauit * ex Euripidis Meleagro. XXVI. *

SEPTIMIVS Marcellus ducta in vxorem Syluia, plerunq; venationibus operam dabat. Nouam autem vxorem Mars sub pastoris specie stuprauit vi, atque fetu impleuit. fassúsq; quis esset, stipitem dedit, in quo futuræ prolis fatum contineri diceret. Interfecit autem Septimius Tuscinum. Mamercus autẽ cùm fertilitatis telluris gratia diis sacrificaret, solam neglexit Cererem. ea aprũ ipsi immisit. Hunc is aprum multis collectis venatoribus interfecit, capúrq; & pellem desponsæ sibi feminę tradidit: Scimbrates autem & Muthias auunculi ea virgini ademerunt. quos cum ille iritatus trucidasset, mater stipitem cremauit. Sic Merillus tertio Italicorum.

TELAMON Aeaci & Endeidis F. in Eubœam cum venisset, Peribœam Alcathoi filiam vitiauit, noctúque fugit. Pater sentiens hoc, & factum ab aliquo ciuium suspicatus, filiam cuidam satellitum in mare abiiciendam mandauit. qui motus miseratione, eam XXVII.

vendidit. cúmque mulier esset ad insulam Salaminam naui advecta, Telamon eā emit. peperit autem Aiacem. Reperies historiam hanc apud Aretadem Gnidium libro de insulis secundo.

L. TROCIVS filiam habuit ex Patride Florentiā, cuius cùm à Calpurnio Romano pudicicia esset imminuta, satelles, cui propterea in mare demergendam pater tradiderat, eam misericordia adductus vendidit. naui autem bona fortuna ad Italiam applicata, Calpurnius Florentiam emit, ex eāque Contruscum sustulit.

XXIIX. *Incestus.* AEOLVS Etruriæ & vicinorum locorum rex, ex Amphithea filias sex, totidémque filios habuit. Horum minimus natu Macareus cum sororum vna corpus miscuit. ea cùm puerulum peperisset, misso à patre ad prolem necandam ense, impium hoc rata, interfecit seipsam. Idem fecit Macareus. Adductū ex Sostrati libro rerum Etruscarum secundo.

PAPIRIVS Tolucer ducta in vxorem Iulia Pulcra, sex filios, totidémq; filias progenuit. filiorū natu maximus Papirius Romanus Canuliam sororem amore victus grauidam fecit. pater re cognita, gladium filiæ misit, ea se confodit. idémq; fecit Romanus. Historia est apud Chrysippum primo Italicarum rerum.

XXIX. ARISTONYMVS Ephesius filius Demostrati mulieres exosus asinam iniit: quæ suo tempore filiā peperit formosissimam, Onoscelin nomine, quod sonat Asininis cruribus præditam. Ab Aristotelis libro paradoxorum secundo.

FVLVIVS Stellus à mulieribus animo alieno cū eqūa rem habuit. ea suo tempore filiam edidit perpulcram, cui pater Eponæ nomen indidit. atq; hæc dea est equorum procurationem gerens. Agesilaus tertio Italicorum.

XXX. SARDIANI bello cū Smyrnæis contracto, Smyrnam obsederunt, missisque legatis denunciarunt se non

non antè obsidionem solutūros, quàm suārum vxorum copiam ipsis Smyrnæi fecissent. Malè tum cum Smyrnæis actum fuisset, necessitate circumventis, nisi quędam formosa ancilla ad dominum suum Phi larchum accurrens subiecisset hoc consilij, ancillas ornatas loco liberarum esse mittendas. Quod cùm exsecuti essent Smyrnæi, hostes ab ancillis defatigati, in potestatem Smyrnæorum venerunt. Itaque hodiéque Eleutheria festiuitas, quasi liberarum diceres, apud Smyrnæos celebratur, in qua seruæ liberarū ornatu decoratæ incedunt. Dositheus tertio Lydiacorum.

ATEPOMARVS Gallorū rex bello Romanos infestans, professus est non antè se recessurum, quàm Romani suas vxores Gallis cognoscēdas misissent. Romani consilio ancillarum obsecuti, has pro liberis miserunt: & barbari nimio rei Venereæ abvsu fatigati in somnum sunt soluti. Retana (ea princeps consilij fuerat) caprifico conscensa in murum evadit, rémq; consulibus indicat. Ita Romani facta eruptione vicerunt. atque hinc festus ancillarum dies sumsit initium. Aristides Milesius autor, primo Italicorum. XXXI.

Bello Athenienſium cōtra Eumolpum, cùm non sufficeret commeatus, Pyrander publicus quæstor parcè annonam administrans, aliquid de mensura deminuit. Ciues eum proditionis ideò insimulantes, lapidibus obruerunt. Callisthenes tertio Thracicorum. XXXI.

ROMANIS bellum contra Gallos gerentibus, & rebus ad victum quæ pertinent non suppeditantibus, Cinna mensuram, qua populo solebant frumentum dimetiri, contraxit. estque propterea à ciuibus, quasi regnum si affectaret, lapidibus obrutus. Aristides III Italicorum.

Bello Peloponnesiaco durante Pisistratus Orchomenius infensus nobilitati, tenuib. fauebat. Ita- XXXII.

que senatus eum per insidias necauit, discerptúmq; in frusta in sinubus egesserunt, erasa (ne vestigia cædis apparerent) terra. Plebeia autem turba, suspicione facti concitata ad curiam concursum, vt fecit, Tlesimachus iunior regis filius, coniurationis conscius, mulitudinẽ avertit, quòd diceret à se conspectum patrem suum, qui forma quàm humana est augustiore ad Pisæum montem se proriperet. itáq; deceptus est populus. Theophilus secundo Peloponnesiacorum.

PROPTER bella cum vicinis gesta senatus Romanus frumenti in populum dimensionem sustulerat: quod Romulus ægrè ferens populo restituit, multis potentiorum multatis. Itaq; à primariis est in senatu occisus, frustáq; discerpti in sinubus egesta. Romani autem cũ igni ad curiã concursum fecerunt: crematuri, nisi Iulius Proculus vnus de procerum numero dixisset, visum abs se in monte Romulum, quovis homine ampliorem, ac deum factum, quod credidere Romani, & se receperunt. Aristobulus tertio rerum Italicarum.

XXXIII. PELOPS Tantali & Euryanassæ F. ducta Hippodamea filios procreauit Atreum ac Thyestam. & è Danaide nympha Chrysippum, quem & maiore atque genuinos amore est prosecutus. Laius autem Thebanus cupiditate impulsus Chrysippũ rapuit, compræhensúsq; ab Atreo & Thyesta, à Pelope dignatus est venia, quòd amor raptionis causa fuisset. Hippodamia verò Atreo & Thyestæ hortatrix fuit, vt interficerent Chrysippum, sciens eum inhiatum regno. cúmq; id detrectarent, ipsa flagitio manus admouit, ac nocte intempesta, dum Laius dormiret, stricto eius gladio Chrysippum sauciauit, gladio in eum defixo. Laius cum in necis suspicionem venisset propter gladium, liberatus ab ipso est Chrysippo, qui semimortuus iam veritati tulit testimonium. Pelops filio sepulto, Hippodameam solum

Nouercalia.

lum vertere coëgit. Dositheus in Pelopidis.

EBIVS Toliex duos filios ex vxore Nuceria sustulit, aliúmque forma eximia Firmũ è liberta. quem legitimis habuit cariorem. Nuceria, quæ in priuignum animo esset infenso, filios hortata est vt Firmum interficerent. quod cùm illi piè recusassent, ipsa cædem peregit, ac noctu eius, cui Firmi corporis custodia erat mandata, mucrone stricto lethale vulnus priuigno intulit, inq; eo pugionem reliquit. puer custodem suum suspicione liberauit, re vt acta erat explicata. Ebius sepulto filio, vxorem extorrem egit: Dositheus tertio Italicorum.

THESEVS verè Neptuni F. suscepto filio Hippolyto ex Amazone Hippolyta, ei superinduxit nouercam Phædram Minois filiam. quæ priuignũ deperire orsa, ad incestum per nutricem internũciam solicitauit. ille relictis Athenis Trœzenem se contulit, ibique venando incubuit. Impura autem ista cùm spe sua decidisset, mendacibus de casto priuigno exaratis litteris, vitam laqueo finiit. Theseus fidem litteris habens, à Neptuno petiit, vt Hippolytum perderet. nam ab eo ius trium votorum habebat. Neptunus Hippolyto ad oram maris currũ agitanti taurum immisit, quo territi equi Hippolytum contriuerunt. XXXIV.

COMMINIVS Super Laurẽtinus ex Aegeria nympha filium sustulit Comminium. Gidicã deinde nouercam ei superinduxit. quæ cùm deperiret priuignum, & repulsam esset passa, suspendio sese vita exuit, calumniosis post se relictis litteris. Comminius cognitis criminibus, fidémq; habens obtrectationi, Neptunum invocauit. Is puero curru vehenti obiecit taurum, quo consternati equi eum raptando perdiderunt. Dositheus tertio Italicarũ rerum.

Pestilentia Lacedæmonem vrgente, diuinitus significatum est cessaturam luem, si pro more generosam immolarent virginem. Helena autem cũ esset XXXV.

Universidad de Deusto
Biblioteca

aliquando sorte ducta, & ornata produceretur, a
Victimæ humanæ. aquila devolans gladium abripuit, & in armentum deferens buculæ imposuit. quo factum est vt cæde virginis abstineretur. Aristodemus tertia congerie fabularum.

FALERIIS grassante peste, oraculo indicatum est finem fore mali, si quotannis Iunoni virgine litarent. Ea superstitio cùm perduraret, sorte lecta victimæ loco Valeria Luperca, strictum ab ea gladium rapuit aquila, depositóque in ea quæ comburenda ignierant bacillo, cui exiguus erat præfixus malleus, gladium iniecit buculæ cuidam propter templum pascenti. Id intelligens virgo, bucula mactata rem sacram fecit, sublatóque malleo secundum domos circumiuit, leniq; ictu excitauit ægrotantes, Valere vnicuiq; dicens. Atq; hinc est, quòd illa sacra in hunc vsq; diem peraguntur. Aristides XIX libro Italicorum.

XXXVI. PHILONOME Nyctimi & Arcadiæ filia, venatum cum Diana solebat proficisci. Illam Mars pastoris sumta forma vitiauit, ac fetu impleuit. Geminos cùm partu edidisset, patris metu in Erymanthum eos abiecit: ij fatali quodam prouidentiæ decreto incolumes delapsi sunt in excauatam quercum. Lupa autem, quæ ibi suum habebat lustrum, suis catulis
A feris nutriti. in fluuium abiectis, mammam infantibus præbuit. Tyliphus pastor, qui suis istud vidisset oculis, sustulit pueros, ac pro suis educauit, nominatos Lycastum & Parrasium, qui & in regnum Arcadiæ successerunt. Ita sanè refert Zopyrus Byzantius libro historiarum tertio.

AMVLIVS fratrem Numitorem tyrannicè tractans, filium eius Aenitum in venatione interfecit, & filiam Syluiam Iuliam Iunonis sacerdotem fecit. Hanc Mars prægnantem reddidit. cúmque gemellos partu edidisset, tyranno veritatem ipsa confessa est.

se est. Is in metum venit, proiecítque vtrunque ad ripam Tiberis. amne autem devecti sunt ad locum, vbi lupa catulos alebat. Lupa his abiectis nutriuit infantes. Faustus, qui spectandæ rei intervenerat, pueros educauit, Remi & Romuli nominibus impositis. Hi sunt qui Romam condiderunt. Narratio est Aristidæ in Italicis.

Post Ilij excidium Agamemno cum Cassandra XXXVII.
interfectus est. Orestes autem apud Strophium edu *Matricidæ.*
catus, necem patris vltus est. Pyrander IV. Peloponnesiacorum.

FABIVS FABRICIANVS, MAXIMI cognatus, diripiens Tuxium principem Samnitium vrbem, Venerem Victricem, quæ apud illos colebatur, Romam misit. Huius vxor Fabia stupro ta à formoso quodam iuuene Petronio Valentino, maritum dolo interfecit. Fabia autem fratrem Fabricianum etiamnum infantem periculo eripuit, & alio furtim educandum misit. is adultus matrem adulterúmque occidit, éstque senatus sententia absolutus. Dositheus tertio Italicorum.

BVSIRIS Neptuni & Anippæ Nilo genitæ F. prę- XXXVIII.
tereuntes simulata hospitalitate exceptos mactabat. Sed in eum mactatorum vltio vindicauit. Hercules enim insidias sentiens clauâ eum peremit. Ex Agathone Samio.

HERCVLES Geryonis boues per Italiam agens, *Inhospitales.*
hospitio vsus est Fauni regis, qui Mercurij fuit filius, ac patri immolare hospites solebat: is aggressus Herculem, ab ipso est trucidatus. Dercyllus tertio Italicorum.

PHALARIS Agrigentinorũ tyrãnus crudelis, ho- XXXIX.
spites torquebat & excruciabat. Perillus faber æra- *Malum inventum inventori pessimum.*
rius æream buculam confecit, tyrannóq; obtulit, vt in ea peregrinos viuos cremaret. Phalaris tum demùm tantæ iustus, ipsum iniecit. videbatur autem mu

Universidad de Deusto
Biblioteca

gitum edere bucula. E ſecundo libro quæſtionum ſiue cauſarum.

AEGESTAE, quæ Siciliæ vrbs eſt, ſæuus quidam fuit tyrannus Aemilius Cenſorinus, donis eos afficiens, qui noua inueniſſent tormenta. Erat quidam Aruntius Paterculus, qui equum æreum fabricatus dono dedit tyranno, vt in eum coniiceret cruciandos. Tyrannus tunc primùm ius ſecutus, ipſum tormenti auctorem in equum coniecit vt quos aliis parauerat cruciatus, ipſe primus experiretur. *cũ comprehenſum de monte Tarpeio deiecit. Et videntur qui crudeliter imperant, ab illo dicti Aemilij. Ariſtides quarto Italicorum.

XL. EVENVS Martis & Steropes F. ex Alcippa vxore, Oenomai filia, progenuit filiam Marpiſſam, eámque virginem adſeruauit. Idas autem Apharei F. ea rapta profugit. quem Euenus perſequens cùm non adſequeretur, in Lycormam fluuium ſeſe coniecit, immortaliſque eſt factus. Doſitheus primo rerum Italicarum.

ANIVS Etruſcorum rex cùm haberet filiam eleganti forma Saliam, virginem eam cuſtodiuit. Cathetus autem primi nominis homo cùm ludentem eam vidiſſet, amore captus atque victus rapuit, Romámq, abduxit. Pater inſecutus cùm nõ conſequeretur, in profluentem ſeſe ſaltu dedit, qui ab eo eſt dictus Anio. Cathetus è Salia Latinum ac Salium procreauit, nobiliſsimarum autores proſapiarum. Hæc Ariſtides Mileſius, & Alexander Polyhiſtor tertio Italicorum.

XLI. HEGESTRATVS Epheſius ciuili nece perpetrata Delphos fugit, ſcitatúſq; deum eſt vbínam locorum ſedem poneret. Reſpondit Apollo, ibi vbi ruſticos viſurus eſſet choreas ducere frõdibus oliuæ coronatos. Quod cùm ille in quadam Aſiæ regione deprehendiſſet, vrbem ibi condidit, & ab oleis Elæuntem appellauit. Hoc invenies ſcriptum in tertio

tio libro Pythoclis Samij de rebus ruſticis.

TELEGONVS Vliſsis è Circe F. miſſus ad indagandum patrem, monitus eſt vt ibi vrbem conderet, vbi ſerta gerentes agricolas ſaltare videret. cúmque in quendam Italiæ locum veniſſet, offendit colonos ramis illignis redimitos choreis vacare. itaq; vrbem ibi condidit, & ab eventu Priniſtum (eſt enim ilex Græcis prinos) nominauit. Romani eam vrbem voce detorta Præneſte appellant. Sic cõmemorat Ariſtocles libro rerum Italicarum tertio.

COMPENDIVM commentarij, quo oſtenditur Stoicos quàm poetas abſurdiora dicere.

REPRAEHENSVS fuit Pindarus, quòd Cæneum parũ probabiliter finxiſſet ferro inviolabilem, & corpore quod lædi non poſſet, terram ſubiiſſe nullo accepto vulnere, cùm

Recto pede ſcidiſſet ſolum.

At Stoicorum iſte Lapitha ex adamantina vacuitatis omnium perpeſsionum conflatus materia, non vulnerum duntaxat, morborum, dolorúmq; fingitur expers, ſed & metu & mœſticia carere, inſuperabilis manere, nullis cedere viribus: tum quidem, quando vulneratur, dolores patitur, torquetur, atque adeò etiam in patriæ excidio, aliisq; id genus ſummis calamitatibus. Ac Pindari quidem Cæneus duntaxat ictus nullo cum vulnere excipit. Stoicorum ſapiens incluſus non prohibetur, præcipitatus non patitur vim, in tormentis non cruciatur, ſi vratur non læditur, deiectus in palæſtra tamen invictus manet, munitionibus circumventus non obſidetur, ſi vendatur ab hoſtibus capi nequit. adeóque

similis est earum nauium, quibus cum inscribatur prosper cursus, prouidentia seruans, commodum ministerium, eę interim tempestatibus iactatur, colliduntur, euertuntur. Euripideus Iolaus ex imbecilli & decrepito voti cuiusdā vi subitò iuuenis & ad pugnā validus redigitur. At Stoicorum sapiens heri erat infensissimus ac pessimus, hodie subitò mutatus est in virum bonum: atque ex rugoso, pallido, & vt ait Aeschylus)

Heraclidis.

Languente lumbos, conuulsio doloribus
Silicernio misello— decorus, dei similis, forma eximia. Sanè Vlissi Minerua rugas, caluiciem & fœditatē adimit, vt pulcer videatur. Istorum sapiens non relinquente corpus senio, sed grauius etiā vrgente, molestiámq; alia molestia cumulante, currus (si ita res tulerit) edentulus, vno oculo captus dum manet, neq; turpis tamen est, neq; fœdo adspectu. Amor enim Stoicus, instar scarabeorū, (qui perhibentur vnguento suauiter fragrante omisso, malè olentia sectari) cum turpissimis & fœdissimis versans, hos aversari, vbi sapientia eos formosos reddidit, docet. de Stoicorū sententia is qui manè fuit deterrimus, sub vesperam optimus est: & qui somnò se dedit stolidus, ineptus, iniustus, luxuriosus, immò seruus, pauper, inops: ea ipse die surgit, rex diues, beatúsq; factus, prætereáq; temperans, iustus, constans, opinionū vt quisquam maximè vacuus. non ille barba aut pubertate nata in adolescente & tenero corpore: sed in imbecilla teneráq; anima, adde effeminata & inconstante, adeptus mentem perfectā, extremè probam prudentiam, affectionem diuinæ æqualem, scientiam ab omni opinione purgatam, habitúmq; qui labefactari nullo queat modo. nō quòd pristinæ aliquid decesserit prauitati, sed repentè heros (vt sic dicam) aliquis, genius, aut deus è bestia factus pessima. Licet enim sumenti è Stoicorum schola virtutem dicere.

Odyss. 8. initio, et alibi.

Optato

Optato quod uis, assequēris omnia.

virtus iis diuitias confert, regnum parat, fortunam conciliat, felices facit, nullius rei indigentes, totos ex se aptos, etiá si ne denarius quidem sit in patrimonio. Etenim poëticæ fabulæ rationi quod est cōsentaneum perpetuò retinentes, nusquam Herculem inducunt immunem necessitatum, sed ei ac familiaribus quasi è fonte quodam semper aliquid earum affundūt. At qui Stoicorum nactus est Amaltheam, is diues factus est, tametsi alimenta ab aliis emendicet: rex est, vtvt interim mercede conductus syllogismos soluat: omnia solus habet, quanquam & conductis precio habitet in ædibus, & farinam emat sæpe sumta mutuò pecunia, aut ab inopibus mendicando exigat. Mendicat quidem Ithacensiū rex, vt quis sit latére possit, ideóque se ipsum facit quàm maximè

Mendico similem miſero.— At Stoica qui est à secta, alta contentáque voce proclamans, Ego solus sum rex, ego solus sum diues, sæpenumero conspicitur apud alienas fores, dicens

Da pallium Hipponactii. nam rigeo gelu,
Tremôrq; membra quaſſat. —

DE VNIVS in republica dominatione, populari statu, & paucorum imperio.

QVAM heri vobiscum habui disputationem, ad vos disceptatum adducturus, visus sum mihi non per somnium, sed reipsa ciuilem virtutem dicere.

Nunc iacta fundamenta ſacris
Aurea ſunt equidem camœnis.

Hortatus & diuideus ad rempublicam explicādam

* proponi, si Attico quidem debitam doctrinam ex-
* hortationi superstruentes. debetur autem recepto
* exhortatio ad capessendam rempublicam. ex qua
* sumptis præceptis, quantum humana fert, conditio
vtilis in publicum sit, tutò simul & cum honore me- 5
rito suas res rectè componens. Quod autem ad se-
quentia maximè cõducit, & ab his pendet, quæ iam
dicta sunt, id consideremus. nimirum quæ reipubli-
cæ forma sit optima. Sicvt enim homo plures vitæ
degendę rationes habet propositas, ita & de formis 10
reipublicæ, quæ sunt quasi vita ciuitatis, deligere
oportet optimam. hanc verò ciuilis homo aut ex o-
mnibus formis deliget, aut si non possit eam, simil-
limam saltem eius præferet reliquis.

Civilis ratio (sic enim politeam liceat expri- 15
mere) dicitur communicatio iuris quod in aliqua
est republica. quomodo dicuntur Megarenses Ale-
xandro ius ciuitatis decreuisse: cúmque is studium
ipsorum pro ridiculo haberet, respõdisse ipsos, Ne-
mini se hunc honorem vnquam nisi olim Herculi, 20
nunc Alexandro habuisse. itáque Alexandrum admi
ratum raritatem, quæ honorem secum traheret, bo-
ni æquíq; id decretum consuluisse. Vita quoq; ho
minis ciuilis, & qui rem administrat publicam, po-
litea dicitur. vt cum Periclis aut Biantis in gerenda 25
republica occupationem (politeam) laudamus: Hy-
perboli & Cleonis vituperamus. Sunt qui vnicam
illustrem & reipublicæ causa susceptam actionem,
quæ scopum attigerit, politeam appellant: vt pecu-
niæ elargitionem in ciues, belli in pacem mutatio- 30
nem, decreti alicuius promulgationem. quomodo
certos homines dicimus gessisse rempublicam, id
est tractauisse politeam, si quid eorum confecerint,
quæ optimo publico prosunt. Denique politea ap-
pellatur ordo & constitutio ciuitatis, ad quam diri- 35
guntur actiones. quo modo tres politeæ, id est for-
mæ reipublicæ dicuntur: Monarchia, quæ vnius est
domi-

dominatio: Oligarchia, quæ paucorum: Democra-
tia, quæ penes populum summã gubernationis po-
nit. Has etiam Herodotus libro tertio inter se com
parauit, videntúrque esse præcipuæ. reliquæ enim
5 intentione aut remissione harum ortæ, vitia potiùs
sunt & corruptelæ quàm formæ reipublicæ. quomo
do in musico concentu modis seu tonis principi-
bus nimium aut non satis contentis error incidit.
Has principes formas potentissimæ gentes delege-
10 runt. Persæ regnum cum mera potestate, nulli ob-
noxia iudicio. Spartani paucorum optimatum libe-
ram dominationem. Athenienses legibus suis con-
tentam puram populi administrationẽ. Hæc formæ
vbi vitiantur, deprauatus sit & confusus reipublicæ
15 status: quales sunt tyrannis, paucorum potentia, ple
bis licentia. existunt enim quando regnum libidi-
nem ingenerat nullis subiectã iudiciis, aut cùm pau
corum potentia contemtum aliorũ fastúmq; secum
trahit, vel populi dominatione ordo magistratúsq;
20 abolentur, aut æqualitatem iuris immodica licen-
tia consequitur. omnia isthæc rationi sunt aduersa.
Ergo quemadmodum vir musicæ peritus quovis in-
strumento oblato vti artificiosè, idq; tractare affa-
brè nouit, vt pro sua conditione vocem concinnam
25 reddat: nihilominus tamen Platonis cõsilio parens,
omissis pectidibus, sambucis, psalteriis, barbitis, tri
quetris, aliis instrumẽtis quę varias edũt voces, lyrã
& citharam iis præfert. sic ciuilis vir probè admini-
strabit oligarchiam Laconicã. qualis à Lycurgo in-
30 stituta fuit, æquales dignitate & potentia viros pla-
cidè ad societatem gerendæ reipublicæ invitans:
probè etiam se accommodabit democratiæ, tan-
quam variis neruis & sonis instructo instrumento,
aliquando remittens, interdum intendens, tempe-
35 stiuéq; fræna laxans, & rursum contrahens, vbi mul-
titudini resistendi locus datur. Quod si ei detur o-
ptio formam reipublicæ tanquam musicum instru-

Monarchia optima forma reipublicæ.

mentum suo arbitratu capessendi, nullam profectò delegerit aliam quàm Monarchiam, Platonis fidem secutus. Ea enim sola potest perfectum istum & orthium siue rectum virtutis tonum & contentionem sustinere, & vtilitatem neque necessitatis, neq; gratiæ causa inflectere. Reliquæ id habent, quòd ferè is qui imperat, sub imperio & potestate est, & qui gerit eas, ipse geritur fertúrque, quòd non habet vim solidam & stabilem qualis est in monarchia. sed sæpe cogitur Aeschyleum illud exclamare, quo vsus est Demetrius Poliorcetes amisso imperio:

Tu me creasti, tu fers exitium mihi.

BRVTA animalia ratione vti.

Colloquuntur Vlisses, Circe, Gryllus.

VLISSES. Hæc quidem, ô Circe, percepisse me atque memoria tenere arbitror. Sed libet ex te quærere, an inter hos, quos de hominibus lupos & leones redegisti, aliquos habeas Græcos. CIRCE. Ac quidem multos, suauissime Vlisses. Sed quorsum istuc interrogas? VLIS. Quia magnam me mihi apud Græcos paraturum mehercle opinor gloriam, si hosce rursum tuo beneficio vitæ humanæ restituam, neque patiar vt ob meam incuriam ita misere fœdéque vitam tolerantes, in bestiarum forma contra naturam consenescant. CIRCE. Hic homo non sibi modò & sociis, sed etiam nihil ad se pertinentibus præ stulticia vult suam ambitionem esse calamitosam. VL. Hoc tu iam alterum poculum monstrosæ orationis misces, omnino me in bestiam mutatura, si tibi hoc adsentiar, calamitatis loco habendum si quis è bestia fiat homo. CIR. Quasi verò non peius iam antè tibi consulueris, qui immortali & senectutis immuni vita, quam apud me licebat degere, dimissa, ad mulierem mortalem

talem, adde etiam vetulam, per infinita quæ te manent mala contendis? scilicet vt celebrior ac nobilior quàm adhuc es factus, inane bonum & imaginem veritatis loco consequare. VL. Sint isthæc ita vti dicis, ne de eadem re sæpius altercemur. Istos tamen tu mihi viros restitue & largire. CIR. Non per Proserpinam, non hoc ita simpliciter fiet, sunt enim non vulgares. Sed priùs ex iis quære, an fieri hoc velint. quod si negent, disserendo iis tu, homo præclare, persuade. si verò non persuadeas, sed disputando ab iis vincare, satis tibi sit de tuis amicorúmque rebus malè statuisse. VL. Cur me, beata, rides? quomodo enim cum iis colloquar, quomodo respondeant, dum asini, sues, ac leones sunt? C. Bono es animo, hominum ambitiosissime. ego tibi eos præbebo & intelligentes & differentes. aut potiùs hoc, vnum sufficiat audire voces, & reddere loco omnium. En tibi huncce, habes qui cum disputes. V. Quo autem, mea Circe, hunc nomine compellabo, aut quisnam hic est hominum? C. Quid hoc ad rem? vocetur tibi, si videtur, Gryllus. ego autem vos relinquam, ne quid videatur in meam gratiam dicere præter animi sui sententiam. GRYLLVS. Salue Vlisses. VL. Et tu per Iouem Grylle. GR. Quid vis interrogare? V. Intelligo vos fuisse homines. itaque miseror vniuersos, qui hanc in conditionem deciderit is. par autem est eorum me habere rationem maiorem, qui cùm fuerint Græci, huc miseriæ pervenerunt. Exorauí itaque Circen, vt quicunq; ex vobis ita velit, eum illa restitutum pristinæ formæ mecú dimittat. GR. Desine Vlisses, neq; verbum addideris vlteriùs. vsque adeò à nobis tu omnibus contemneris, qui frustra callidus, reliquisque multò prudentior hominibus iactabare: cùm tu tamen per imprudentiam & incogitantiam mutationem de statu deteriore in meliorem reformidaueris. quo modo pueri solent subter-

fugere remedia, eáque reformidāt pati, quæ de morbosis & fatuis saniores ac vsu rationis valentiores efficiūt: eodem tu pacto mutari ex alio in alium renuisti: núncq; cùm ipse horres ac metuis ne si cum Circe degas, ea te imprudentem rei in lupum aut suem convertat: tum nobis auctor fis vt relicta vita omnium rerum copia affluente, simúlq; iis quæ nobis ista bona parat desertis, tecum discedamus rursum homines facti, quo animali nullum est quod ad miserias facilius feratur. VL. Videre mihi, Grylle, non formam tantùm, sed animum quoq; perdidisse poculi istius veneficio, ac repletus esse absurdis & fœdis vsquequaq; opinionibus. nisi fortè quædam consuetudinis voluptas ad hoc corpus te prę̃stigiis suis devinxit. GR. Neutrum horum est, ô rex Cephalleniæ. Quod si colloqui placet, non conviciari, facilè nos, qui vtrunque vitæ genus callemus, in eam te sententiam traducemus, rectè nos hanc isti vitam anteferre. VL. Enimverò, Grylle, paratus sum isthæc è vobis audire. GR. Proinde nobis quoque in promtu est dicere. Ordiamur autem à virtutibus, quarum gratia videmus vos superbire, vt qui iusticia, prudentia, fortitudine, aliis q; virtutibus bruta maiorem in modum præstetis. Responde igitur mihi hominum sapientissime. Memoria teneo te aliquádo Circæ narrasse de agro Cyclopum, quòd is neque arante quoquá neq; plantante quicquam, tamen ea sit soli præstantia, vt vltrò omnis generis fruges edat. Vtram ergo præfers, háncne terram, an capris compascuā istam Ithacam & asperam, quæ magno culta labore & molestiis diuturnis, vix tandem paucos quosdam & nullius precij fructus cultoribus reddit? Ac caue sis, ne molestū tibi sit aliter respōdere, quàm patriæ amor postulet. V. Atqui mentiendum non est. Magis quidem amo & amplector meam patriam. istam autem Cyclopum regionem laudib. & admiratione maiore dignor. G. Sic ergo

ergo rem habere dicemus, sicvt prudentissimus hominum censet: alia magis laudanda & approbanda, alia magis deligenda & diligenda esse. Atque hoc ipsum etiam de anima abs te responsum esse censeo. eadem est enim ratio animæ, vt melior sit ea, quæ absque labore virtutem tanquam sponte enatū fructum edat. V. Concessum sit tibi hoc quoque. G. Proinde id simul iam das, animam brutorum ad virtutem esse natura feraciorem, ac perfectiorē. Nam absque imperio & disciplina, tanquam terra nō arata neque consita, naturæ instinctu producit augétque vnicuique conuenientem virtutem. V. Et qúænam sit ea virtus, Grylle, cuius bestiæ sint participes? G. Immo nulla est virtus, qua non magis præditæ sint, quàm hominum aliquis sapientissimus. Ac, si placet, primo loco fortitudinem considera, ob quam tu superbis, neque pudori tibi ducis quòd audax & domitor vrbis appellaris: cùm quidem dolis improbissime, & technis homines simplicem ingenuúmq; belli modum callentes, fraudes & mendaciorum rudes, deceperis, ac virtutis nomen versutiæ indas, quæ minimè versutiam admittit. Atqui brutorum inter se & aduersum homines certamina vides vt sine arte ac fraude aperta & nuda cum virium fiducia peragantur, vt suo freta robore se defendant, neque legem vocantem ad pugnam, neque actionem desertæ militiæ metuentia: sed quia natura metuunt superari, vsque ad extremum perdurantia inuicta. non enim vincuntur quando corpore superantur, neque despondent animum, sed inter pugnandum moriuntur. ac multis, dum moriuntur, robur & iræ ardor in vnam aliquam corporis partem recedentia atque coëuntia, interficienti resistunt, subsultántque & fremunt, donec ignis instar prorsum exstinguantur & pereant. nulla hîc deprecatio, nulla misericordiæ imploratio, neque victa se fatentur, neque leo leoni ob fortitudinem seruit, aut

Brutorum fortitudo.

equus equo: sicvt homo homini seruit, ac facilè amplectitur timiditatis affinem seruitutem. Quæ verò homines tendiculis aut dolo ceperunt, ea si iã adulta sunt, inedia ac siti mori malunt quàm seruire. Pulli & catuli ob ætatem tenelli ac deceptu faciles, multis usque fallacibus illecebris atque invitamentis tanquam veneficio, deliniuntur, vt contra naturam gustatis voluptatibus elanguescant tempore, sustineantq; eã quæ cicuratio dicitur, cũ sit effeminatio ferociæ natiuæ. Vnde maximè patet bruta natura ad audaciã procliuia, hominũ verò confidentiam præter naturã esse. quod vel hinc potissimum, Vlisses optime, addiscere possis. In brutis natura paria ad robur momenta in vtroque posuit sexu, vt femina mari nihil concedat vel in tolerandis necessariis laboribus, vel in propugnando pro fetu. sed & suem quandam Cromyoniam celebrari audis, quæ multum negocij Theseo exhibuit: & illam in Phicio Sphingem desidentẽ, ac ænigmata & griphos texentem, non tutata esset sua sapientia, si non viribus & fortitudine Thebanis multũ antecelluisset. circum quæ loca etiam vulpem Teumesiam fuisse aiunt, animal pernicioſum, & in vicinia serpentem semellam, quæ apud Delphos cum Apolline de oraculo certamine singulari decreuerit. atq; Aethiam rex vester à Sicyonio illo accepit mercedis loco vt eum immunem militiæ faceret. optimo sanè consilio, vt qui homini timido equam bonam ac certandi cupidã anteponeret. Ipse pantheras ac leænas sæpius vidisti, nihilo masculis ferocia & robore inferiores. cum tua vxor te belligerante domi ad focum desideat, & ne tantum quidem, quantum hirundines, moliatur contra eos, qui ipsam familiámq; oppressum eunt: & quidem ea Spartana est, ne Caricas tibi aut Mæonidas mulieres obiiciam. Ex his tamen quæ dixi, liquet viros non naturali esse præditos fortitudine (alioquin hæc etiam mulieribus adesset) sed legum

Ael. l. 296.

legum necessitate coactos, non sponte vestra, moribus, reprehensionibus, adventicijsque opinionibus seruientem, verbisque effictam meditari fortitudinem, laboresque & pericula subsistere, non quòd animos aduersum ea geratis confidentes, sed quòd alia his magis metuitis. Sicvt itaque tuorũ sociorum qui reliquos antevertit, is remum leuem arripit, nõ quòd hunc contemnat, sed quòd sibi à grauiore mẽtuit. ita qui ictum sustinet ne vulneretur, & hostẽ vlciscitur ne cruciatum aut mortem perferat, nõ animosus aduersum illa, sed ad hæc timidus est. Itaq; apparet fortitudinem vestram: prudentem esse timiditatem, confidentiam autem metũ cum scientia coniunctum alia per alia euitandi. Deniq; si fortitudine vos præire brutis putatis, cur poetæ vestri eos qui optimè in hostem pugnant, luporum, leonum, aut apri robore similes perhibent? cum vicissim nemo leonem homini animo vel robore similem dicat. Sed nimirum sicvt veloces aiunt ventorum celeritatem in pedibus habere, & formosos deorum formæ æquales, re nimis exaggerata dicunt: sic etiam pugnacium similitudinem à præstantiore ducunt. Cuius rei causa est, quòd fortitudinis tanquam acies & induratio est animi feruor, quo puro vtuntur bruta in certaminibus. vobis cum ratione commixtus, velvti aqua dilutum vinum, cedit periculis, & occasionem dimittit. Sunt quidam vestrũm qui omnino in pugna negant debere animum excandescere, sed hoc feruore excluso sobria vtẽdum ratione. rectè dicentes, quod ad salutem tutandam attinet: pessimè quod ad vltionem & robur exserendum. Quî enim non sit absurdum, quod cùm naturam incusetis, quæ corporibus non adiecit stimulos, neque dentes ad vlciscendum paratos, aut curuos vngues, ipsi arma animæ à natura data aufertis aut eneruatis? VL. Papæ Grylle, videre mihi egregius factus sophista, qui etiam nunc ex suilla loquẽs

cute tam strenuè de proposito argumentaris. Sed cur non deinceps de temperantia disseruisti? GR. Quia dicta existimabam te prius reprehensurum. Sed tu festinas ad auditionem de hac virtute, quia & pudicissimam habes vxorem, & ipse videris documentum edidisse temperantiæ, Circes concubitu spreto. Atqui profectò nihil hac in re antecellis animalibus brutis. Nam hæc quoque voluptates & amores captant à sui generis animalibus. Itaque admiratione dignum non est, si quemadmodum Mendesius in Aegypto caper inclusus cum multis ac formosis mulieribus coitu abhorret, & capras desiderat: ita tu venere consueta vtens, homo cum sis, concumbere cũ dea noluisti. Cæterùm Penelopes tuæ castitatem innumeræ cornices crocitantes ridiculam esse ostendent atque contemtui exponent, quarum vniuscuiusque si moriatur mas, viduitatem non per exiguum tempus, sed per nouem ætates hominum seruant. vt si libeat comparare, vnaquævis cornix nouies castitatem tuæ superet Penelopes. Sed quando obseruauisti me esse sophistam, agedum dispositione quadam vtar orationis, expositáq; temperantiæ definitione, concupiscentiarum genera persequar diuidendo. Est ergo temperantia contractio quædam cupiditatum, & ordo, perimens supervacaneas & adscitias, tempestiuè autem & mediocriter cum decori ratione obsequens necessariis. Iam in appetitionibus nónne cernis inesse infinitum differentiarum numerum? Potus & à natura desideratur, & à necessitate flagitatur. Res venerea quanquam suum habet à natura principium, tamen sunt qui ea nullo cum incommodo careãt. itaque naturalis hæc, non etiam necessaria vocatur. Sed eæ appetitiones, quæ neque à natura neq; à necessitate oriuntur, ob imperitiam autem recti foris exmani quadam opinione intrò superfusæ sunt, parum abest quin vestras naturales obruerint cupiditates

De temperantia.

tes sua multitudine vniuersas. itáque se gerunt, vt turba peregrinorum conuena vi vrgens ciues atq; indigenam populum. At enim omnes bestiæ animis præditæ, quæ inaccessæ sint omnibus foris introductis affectionibus, & à vanis opinionibus tanquam à mari longè remotam vitam agant, elegantia & supervacaneo vitæ degendæ cultu vobis sunt inferiores: temperantiam præclarè tuentur, appetitionésque rectis legibus regunt, quæ iis adsunt neq; multæ neq; alienæ. Me quidem ipsum, non minùs quàm nunc te, aurem perculit, vt cui nulla res dignè posset comparari. ad se trahebãt me ebur & argentum: qui horum posideret plurimum, mihi felix & diis charus videbatur homo, siue Phryx esset, siue Car, & vel Dolone ignobilior, vel Priamo calamitosior: huc ego semper meis accommodatis cupiditatibus, nullam neq; gratiam neq; voluptatem aliis ex bonis vitæ percepi, cùm quidé essent abundè, quòd me maximorum indigum & exsortem bonorum esse arbitrarer. Itaque memoria recolo me, quo tempore te in Creta vidi amictum veste ad solennem fãcta ostentationem, non admiratum fuisse prudentiam aut virtutem tuam, sed amiculi textum tenuitatis eximiæ, & coruscationem in læna coloris purpurei, attonitúmque fuisse ob pulcritudinem vestitus. sed & fibula aurea habebat, si rectè memini, aliquid operis elegantis cœlo parati subtilissimè. denique mulieris in modum præstigiis captus te sectabar. Nunc inanibus istis opinionibus evacuatis, aurum & argentum sicvt quosvis lapides contemno & super ea incedo, tuis autẽ lænis & tapetibus non per Iouem suauius indormiam, quàm plenus cibi alto mollique cœno. Ac huiusmodi quidem foris adscitarum cupiditatũ nulla in animo habitat nostro: sed maior pars vitæ nostræ necessariis appetitionibus atque concupiscentiis temperatur & voluptatibus. non necessariis, sed naturalibus duntaxat ne-

Odyss. τ, 225

Odoratus.

que incompositè, neque profusè indulgemus. Atq; has quidem primo loco perpendamus. Voluptas ea, quam ex fragrantibus, & odore suo exhalante olfactum adficientibus percipimus, præterquam quòd simplicem sui præbet, eámque gratis vsuram, simul etiam discernendo alimento conducit. Nam lingua & est & dicitur norma saporum, vt dulcis, acris, austeri, reliquorum: quãdo ij confusi offerũtur sensui. Olfactus autẽ noster ante saporem depræhendens vim vniuscuiusque alimenti, longéque accuratiùs quàm regij solent præguſtatores sensu eam percipiens, id quod naturæ conveniens est admittit, alienum amolitur, neq; gustare id sinit aut gustatum offendere: sed vitium rei olfactæ defert atq; accusat, antequam iniuriam ea attulerit. De cætero autẽ mo lestus nobis non est odoratus sicvt vobis, quos cogit suffitus, cinnoma, nardos, malobathra, calamos Arabicos, cum subtili quadam medicatrice arte aut seplasiaria conquirere & vnà vorare, magna pecunia parum virilem, ac potiùs puellas decentem, nul láq; omnino vtilitate comitatam delectationem redimentes. Et verò is odoratus, quanquam hoc modo affectus, corrupit tamen nõ mulieres tantùm omnes, sed & plerosq; viros, vt ne cum suis quidem coire velint vxoribus, nisi vnguenta eæ ac odoratos pulueres redoleant. Atqui porcæ sues, & capros capræ, aliæq; feminæ sui generis mares proprio odore alliciunt, purúmq; rorem, prata, herbásq; vbi redolent, communi amore ad miscendum corpora cientur. Non hîc, vt inter homines, feminæ simulatione recusationis ludunt, aut libidini fraudes præstigias, denegationésq; prætexũt: neq; mares stimulo & luxuria agitati, mercede, labore atq; obsequiis coitũ redimunt. sed doli expertem ac sine mercede tempestiuã sectamur venerẽ, quæ stato anni tẽpore cupiditatem animalium velvti germen aliquod excitans, illicò restinguit, neq; femella marẽ à conceptu admittente, neq; aggrediente mare. Adeò exilem & imbecillum honorẽ apud nos voluptas obtinet, omnia naturę deferuntur. Itaq; in hunc vsq; diem inter nos neq; mas marem, neque feminã femina amauit. qualia multa memorabiles, & præclari viri apud vos cõmiserunt: vt viles missos faciam. Agamemno quidem Bœotiam perlustrauit Argæum venãs subterfugientem, falsisq; mare & ventos onerans criminibus, tandem pulcrè pulcrum sese in lacum Copaidem demersit, vt ibi amorem exstingueret, ac se cupiditate liberaret. Itidem Hercules imberbem sectans amasium, deseruit optimos socios, classémque & institutũ prodidit. Et in tholo Apollinis Ptoi quidam vestrũm expertus scripsit, Achilles pulcer: cùm iam Achilles filium haberet. audióq; durare adhuc eam scripturam. At gallus si gallum conscendat absente gallina, viuus cõbvritur, aruspice aliquo pronunciante graue atróxq; id esse ostentũ. Ita ipsi homines hoc confessi sunt, castitate à brutis se superari, eáq; naturę vim non facere voluptatũ percipiendarũ causa. Vestras libidines natura, quanquã legis auxilio fulta, tamen intra suos non potest coercere fines: quin eæ instar fluuij exvndantes atrocem fœditatem, tumultum, confusionémq; naturæ gignant in re venerea. Nam & capras, porcas, equas inuerũt viri, & feminæ insano mascularum bestiarum amore exarserunt. ex huiusmodi enim coitib. vobis sunt Minotauri, Siluani seu Aegipanes atque (vt mea fert sententia) etiam Sphinges, & Centauri nati. Enimverò fame coactus canis aut auis aliquando cadauere humano vescitur. ad coitum nullus vnquã est homo à bestia solicitatus. bestias verò cùm ad hãc, tum ad alias voluptates vos vi trahitis ac contra ius vsurpatis. Porrò homines ita vitiosi & incõtinentes cũ sint in dicto cupiditatis genere: tamen evinci potest, multo adhuc brutis intemperantiores eos esse quod attinet ad appetitus necessarios, id est potum

Fœdi amores.

ac cibum. Hîc nos voluptatem ſemper cum aliquâ vtilitate captamus. Vos, qui voluptatẽ potiùs, quàm naturæ cõueniens alimentũ perſequimini, multis ac diuturnis multamini morbis, qui tanquã vno aliquo è fonte hauſti abundantia, corpus omnis generis ſta tibus expurgatu difficilibus replent. Primùm enim vnicuilibet animalis generi ſuum eſt quoddam cognatum naturæ alimentum: aliis herba, aliis radix, aut fructus. & quæ carne veſcuntur, nullum alium fructum ea appetunt, neque infirmioribus alimentum eripiunt: ſed & ceruum paſci ſinit leo, & lupus ouem, quantum natura ſtatuit. Homo autem gulæ ſtudio ad omnia ſe ferens, omnia tentans, omnia guſtans, vt ſui & naturæ ipſius conuenientis ignarus etiamnum nutrimenti, ſolus inter omnia animalia omnibus veſcitur. Primùm vtitur carnibus, nulla cogente inopia, nulla penuria: cùm liceat ei quouis tempore alios è ſeminibus & plantis decerpere cibos, multitudine nunquam defectura. ſed luxuria, & ſatietate neceſſariorum, alienas & pollutas cædibus animalium eſcas ſectatur, immanitate etiam ſeuiſſimas vincens feras. Sanguis enim & cædes ac carnes miluo, lupo, draconi conueniens ſunt cibus, homini autem obſoniũ. Deinde cùm omnibus vtatur generibus, non ſicvt beſtiæ à pleriſq; formis abſtinet homo, paucis ob neceſsitatem nutrimenti infeſtus eſt: ſed neq; auis vlla, neq; in aquis degẽs, aut in terra viuẽs animal vllum effugit veſtras illas, quę benignæ hoſpitaléſq; dicũtur, menſas. Eſto: his vos obſoniis dulciores reddere cibos. Quid ergo ad hęc ipſa * Sed animaliũ brutorũ nullam invtilem aut inanem admittit artẽ prudentia. neceſſarias non ab aliis importatas, aut mercede data cognitas, vel cura glutinante ſingula, parcéq; oblatis contemplationibus compingente nanciſcitur, ſed à natura habet genuinas & cognatas, atq; profert. Aegyptios vniuerſos aiunt eſſe medicos. At verò quodvis brutum

Homo in alimenti vſu peccat.

Artes brutorum.

tum animal non tantùm ex ſeſe arte ad ſanandũ eſt præditum, ſed etiam alimenti quærendi, robur parandi, adverſa declinandi, conuenientia quęrendi, atq; etiã ad muſicen, pro modo cuiq; animalium à natura præſcripto. Nã à quo didicimus porci, quando ægrotamus, ad fluuium deſcendere cancrorum capiendorum gratia? Quis docuit teſtudines deuoratis viperis origanũ poſtea edere? quis capris Cretenſibus præcepit, vt ſagittis ictæ dictamnum quærant, quo comeſto cuſpides éxcidunt. Si enim dicas verum eſſe, harum rerum magiſtram eſſe naturam, brutorum intelligentiam refers ad principium pręcipuum atq; ſapientiſsimũ. Tum ſi iſtam intelligentiam non dignamini ratiõnis aut intelligentiæ nomine: tempus eſt vt circumſpiciatis de nomine alio honeſtiore & auguſtiore. ſicvt nimirum reipſa oſtendit maiorem admirabiliorémq; facultatem ſibi eſſe, non rudis aut indocta, ſed à ſeipſa docta & nihil extra ſe deſiderans, nõ ob imbecillitatem, ſed naturalis virtutis perfectionem ac vigorem, iuſſa valere ea diſciplina, qua velvti collecta ſtipe alivnde diſcitur. Quæ enim homines ludentes aut luxuriãtes diſcũt ac meditantur, hæc noſtra intelligentia etiam cõtra corporis naturã adſequitur, freta vi percipiendi innata atq; copioſiſsima. Non dicam de catulis feras indagantibus, aut pullis equorum ad certum numerum gradi diſcentibus. ſed & corui loqui, & canes * per obverſos ſaltare orbes diſcunt: & equi ac boues * in theatris mirabiles addiſcunt motus, ſeſsiones, in- * ſtitiones, choreas, itáq; meminerunt artis, eámque * exercent, hominum maximo ſtudio atq; induſtria. quæ ipſa docilitatis ſunt documentũ, nullam aliam ad rem proſunt. Quòd ſi negas diſci à nobis artes, etiam doceri eas à nobis audi. Perdices ſuos pullos docent inter fugiendum occultare ſeſe, & glebã pedibus pro ſe obtendere, poſtquã ſupini corruerunt. & vides vt ciconiæ ſuos pullos volare doceant, pri-

mùm id tentãtes. Luſciniæ quoque ſuos pullos can tare docent: & capti ante tempus, enutritique inter hominum manus, deteriùs canunt, quia præpropere à magiſtro ſunt remoti. Ego iã, ex quo in hoc corpus ſum illapſus, miror rationes iſtas, quibus mihi à ſophiſtis perſuaderi paſſus ſum omnia animalia, homine demto, eſſe bruta & rationis expertia. VL. Nunc ergo tu Grylle à mutatione tua etiã oui atq; aſino rationem tribuis? GR. Mi Vliſſes, ex his ipſis colligere par eſt, beſtiarum naturam non eſſe mentis atque intelligentiæ expertem. Sicvt enim nõ eſt ſtirps alia ſtirpe magis exſors ſentientis animæ, ſed eodem omnes modo deſtituũtur ſentiẽdi facultate, quia nihil eorum, quorum ſtirpes terra continẽtur, anima eſt prædituin. ita animalium quoque nullum altero ignauius aut ad diſcendum ineptius diceretur, niſi vniuerſa rationem atque intelligentiam, ſed alia minùs vel ampliùs, haberent inſitam. Atq; mihi hoc conſidera, ſtupiditatem ac fatuitatem quarundam beſtiarum, acumine & verſutia aliarum demonſtrari. verbi gratia, ſi compares cum vulpe, lupo, aut ape aſinum vel ouem, perinde eſt ac ſi tecum compo nas Polyphemum, aut cum auo tuo Autolyco Glaucum illum Corinthium, de quo eſt apud Homerum. *Iliad. ſ. 152.* Non enim exiſtimo tanto differre beſtiam à beſtia intervallo, quanto homo ab homine diſiungitur, quod ad intelligendum, ratiocinandum, memoriáque tenendum attinet. VL. Attamen Grylle hoc vide, ne improbum ſit & violentum, rationẽ iis adſcribere, quæ noticia dei carent. GR. Non ergo dicemus te, Vliſſes, ita ſapientem ac curioſum, Siſypho genitum fuiſſe? *

PLV-

Commentarius Ne ſuauiter quidem viui poſſe ſecundum Epicuri decreta, docens.

COLOTES Epicuri familiaris librũ edidit, hoc indice, Ne viui quidem poſſe iuxta aliorum philoſophorum decreta. Contra quem quæ pro philoſophis diſſerere nobis ſubiit, ea iam antè conſcripſimus. Quoniam autem ſoluto qui diſputationi interfuerat cœtu, in ambulatione complures ad eam ſectam ſe dederunt, viſum mihi fuit hos quoque in viam reducere: ſi nullam aliam ob rem, ſaltem vt his qui in alios inquirunt, demonſtrarem debere ab his eorum quos arguunt aut refellunt ſcripta non obiter percurri, neque eos voces hinc inde avulſas & dictiones abſque ſcriptura adoriri, itáq; fraudem imperitis facere. Progreſſis enim nobis more noſtro in gymnaſium è ſchola, Zeuxippus: Mihi, inquit, ſermo fuiſſe videtur habitus aliquanto molliùs, quàm libertas conveniens rei exigeret. abit quidem Heraclides nos culpans, & in Epicurum ac Metrodorum aſperiùs invectus, cùm nos ei huius rei cauſam præbuerimus nullam. Hoc verò, inquit Theo, non dicis, quòd cum his comparatus Colotes, hominum in dicendo videri poteſt modeſtiſsimus. Congeſta enim in vnum quæ inter homines habentur fœdiſſima vocabula, ſcurrilitates, ampullas arrogantias, ſcortationes, homicidia, graues gemitus, multorum perditionem, cerebri grauedines: in Ariſtotelem, Socratem, Pythagoram, Protagoram, Theophraſtum, Heraclidem, Hipparchum, denique neminem non virorum illuſtrium effuderunt vniuerſa, vt ſi alioquin omnia ſapienter ſtatuiſſent, certè

Universidad de Deusto
Biblioteca

ob maledicta hæc, háſque criminationes longiſimè
ſuerint à ſapientia arcendi. Invidentia enim exclu-
* denda eſt à diuino ſapientum choro, & obtrectatio
quæ ob imbecillitatem id quod dolet diſsimulare
non poteſt. Hęc verba excipiens Ariſtoteles, Hera-
clides, aiebat grãmaticus cùm ſit, poëticæ turbæ (vt
Epicurei appellant) & Homericorum deliriorũ gra
tia Epicuro hanc rependit mercedem: vel eo cõmo-
tus, quòd Metrodorus tã multa ſcripſit ad ignomi-
niam Homeri pertinentia. Sed hos, Zeuxippe, omit
tamus. Quod autem initio diſputationis adverſum
Epicureos dictum fuit, Ex eorum præſcripto ne vi-
ui quidem poſſe, cur non potiùs, quando hic defeſ-
ſus eſt, ipſi adſcito Theone ad finem perducimus.
Theo ſic reſpõdit: Atqui ante nos hoc iam alij pere-
gerunt certamen.

Odyſſ. χ. 6. *Nunc alius ſcopus eſt,* —

ſi placet, collocandus: & ſic vlciſcamur philoſophis
factas iniurias, vt demonſtremus, ſiquidem fieri po-
teſt, Secundum Epicureos ne poſſe quidem iucun-
dè viui. Papæ, ego riſu edito dixi: Videre mihi iſtis
hominibus in ventrem velle inſilire, litémq; de car-
nibus moturus: qui voluptatem detrahas homini-
bus clamantibus,

Odyſſ. θ. 246 *Non pugiles ſumus,* —

non rhetores, non ciuitatũ præſides, non principes:

Semper ſola iuuant ſed nos conuiuia, —

omníſq; carnem ſuauiter afficiens motio, anima ad
voluptatem quandam atque gaudium excitata. Ita-
que mihi videris non voluptatem auferre, ſed vitam
illis, vbi ſuauem vitam eis non relinquis. Quid er-
go, inquit Theo, ſi ipſe orationem probas, qua opus
eſt re * præſenti vtar, inquit, audiens & reſpon-
dens vbi requiretis. principatum autem vobis tra-
do. Cùm itaq; parumper tergiverſatus eſſet Theo:
Ariſtodemus, Quàm, inquit, compendioſa & plana
nos

nos intercluſiſti via, dum non ſinis ſectam illam de
honeſto cauſam priore loco dicere. Nam homines,
qui finem vitæ ſtatuunt voluptatem, non facile eſt
ſuaui vita depellere. ſed ſi honeſta vita exciderint,
iucunda ſimul exciderunt. ipſi enim dicunt, Impoſ-
ſibile eſſe ſuauiter viuere ſine honeſtate vitæ. Tum
Theo. Hoc ergo, inquit, in progreſſu ſermonis, ſi ita
videbitur, reponemus. Nũc iis vtemur, quæ ab ipſis
dantur. Exiſtimant Epicurei, circa ventrem eſſe bo-
num, reliquóſq; meatus carnis vniuerſos, per quos *Voluptas E-*
voluptas, non dolor ſe inſinuat. omnéſq; pulcras & *picureorũ.*
ſapientes inventiones exſtitiſſe ob voluptatem quæ
circa ventrem verſatur, & ſpem bonam de eo, vt ſa-
piens dixit Metrodorus. Itaque ab initio ſtatim, ami
ce, videntur ieiunam, putridam, & inſtabilem boni
cauſam ſtatuere: & quæ cum meatib. iſtis, per quos
voluptates introducuntur, etiam ad dolores per-
inde perforetur: aut potiùs, quæ voluptatem pau-
cis, dolorem omnibus partibus admittat. Omnis e-
nim voluptas circa artus, neruos, manus, & pedes
eſt: quibus partibus ſubeunt atroces atq; miſeri af-
fectus, fluxus podagrici & phagedænici, corroſio-
nes, putrefactiones. Iam odorum & ſaporum ſuauiſ-
ſimos corpori ſi offeras, exiguum planiſsimè in eo
locum offendes qui leniter & iucundè afficiatur: re-
liquæ plerunq; averſantur & ægrè ferunt. at nulla
interim pars eſt, cui igni, ferro, morſu, ſcutica non
ſenſus doloris inferatur. ſed & æſtus, & gelu, & fe-
bris totum corpus pervadunt. Voluptates aurarum
inſtar ad alias atque alias corporis extremitates re-
nidentes, ſtatim diffunduntur. neq; multum durant
temporis, ſed inſtar ignium in aëre ſubitò diſcur-
rentium, ſimul & oriuntur in carne & exſtinguun-
tur. De dolore teſtimonium Philoctetæ Aeſcylei
ſufficit. qui ſerpentem non immiſiſſe pedi, ſed tan-
quam ſedem in eo fixiſſe morſu ait dolori * neque *
alia talia, mouens ac titillans corpus. * Sed ſicvt Me-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dicæ herbæ ſemen multis flexibus & per obliquum terræ innaſcés, ob aſperitatem multo tempore perdurat: ſic dolor vncinos ac radices diſſeminans, carníque implicatus, adhærénſq; non diem modò aut noctem, ſed & annos aliquot atq; luſtra, ægrè aliis doloribus tanquam clauis violentioribus expulſis diſcedit. Quis enim tantũ temporis edendo bibendóve extraxit, quanto ſitiunt febricitantes, & eſuriunt obſidione circũventi qúænam animi relaxatio & cum amicis oblectatio tanta eſt, quanti ſunt cruciatus & torturæ à tyrannis immiſſæ? Hoc ipſo ſcilicet corpus quàm ſit prauum, & natura ad iucundè viuendũ ineptum intelligitur, quod magis perſert dolores quàm voluptates: præditúmq; adverſus illos robore ac viribus, in his imbecillum eſt ac ſatietati faſtidióq; obnoxium. Neq; verò nos aggreſſos de iucunda vita dicere, plura patiuntur ipſi proferre, vtpote qui fateantur vltrò voluptatem corporis exiguam eſſe, adeóq; momentaneam. ſi quidem non nugatur aut vana in dicendo vtitur iactantia Metrodorus, dum ait ſæpenumero nos exſpuere in deſpectum voluptatum corporis. itémq; Epicurus, qui ſapientem ægrotantem inquit ſæpe ridere ob morbi quo vrgetur corpus magnitudinem. Quibus ergo dolores corporis ita ſunt faciles atq; leues, qui ſint voluptates alicuius momenti? nam vt neq; tempore neq; magnitudine doloribus ſint minores, certè circa dolores verſantur, finémq; voluptatib. extremum hunc communem præſcripſit, omnis doloris ſublationem. nimirum quòd natura vſq; ad dolorem abolendum augeat voluptatem, vltrà autem progredi huius nequeat magnitudo, variari dunta-xat modis non neceſſariis poſsit, cùm non in eo eſt vt doloris vacuitatem conciliet. Quæ autem cum appetitu eò tendit via, vtpote menſura voluptatis, breuis admodum eſt ac compendioſa. Itaque hoc loco ſentientes rei exilitatem, è corpore tanquam ſterili

ſterili agro finem bonorum in animum transferunt. nimirum quòd ibi voluptatibus paſcua & ampla prata ſuppeditent: quando

Non eſt aptus equis Ithacæ locus, ut neque planis Odyſ. δ, 601
Porrectus ſpaciis:—

quando ſcilicet nõ facilis eſt in carũcula hac voluptatũ perceptio, ſed aſpera, admixtis multis alienis & quæ pulſando exagitent. Sub hæc Zeuxippus: Itáne, inquit, non tibi rectè videntur iſti facere homines, qui initio facto à corpore, in quo primùm ortus voluptatis cõſpicitur, inde ad animã tranſeunt. rémq; in ea abſoluunt? Rectè, inquã ego, & naturæ cõvenienter: ſi quidem melius aliquid hæc & perfectius re vera indagant atq; inveniunt, ſicvt homines faciunt in contemplatione rerum verſantes ac ciuiles. Cùm verò audias ipſos teſtari ac vociferari, nulla re animam gaudere poſſe, nulla tranquillitate frui, niſi vel adſint vel exſpectentur voluptates corporis, haſq; bonum eius eſſe: nónne videntur tibi animam pro corporis colo vſurpare, voluptatem vini inſtar è corpore tãquam prauo & perfluente vaſe diffundentes per colum iſtud, ætatémq; ei conciliantes, vt fiat aliquãto melior & honeſtior. Quanquam vinum quidem diffuſum à tempore conſeruatur, fitq; ſuauius. voluptatis præter memoriam conceptam tanquam odorem quendam, nihil animus aliud conſeruat, quæ in carne vt efferbuit ita exſtinguitur. Ipſaque eius memoria obſcura eſt, ac nidoris ſimilis. perinde ac ſi quis pridie quæ edit bibítve, eorum ſibi imaginationes ſuggerat, ínque animo recondat, ſcilicet his vſurus cùm recentia non ſint ad manum. Vide autẽ, quanto modeſtiùs Cyrenaici, quanquam ex eodem cum Epicuro poti poculo: qui re venerea vti adhibita lucerna nequaquam cenſuerunt debere homines, ſed tenebras prætendere: ne animus è cõſpectu ſimulacra actionis cõcipiens evidentia, crebriùs appetitũ inflammet. At qui hac maximè re ſapientem

Recordatio voluptatũ qualis.

excellere sentiunt, quod evidenter recordatur, ſaque ſeipſo continet voluptatum imagines, affectiones, motus: ne dicamus nihil eos ſapientia dignum profiteri qui voluptatum eluuiem quaſi quandam è corpore in animo relinqui putant: ſtatim quidem manifeſtum eſt, Ex his viui ſuauiter non poſſe. Fieri enim poteſt, vt abſq; voluptate ſit hæc voluptatis recordatio, quæ præſens quoq; exigua interdũ eſt, & moderatè percepta facilè effugit: quando etiam iſtis, qui attoniti corporeas mirãtur magniq; faciũt voluptates, his finitis non remanet delectatio, ſed vmbra quædam & ſomniũ relinquitur in animo voluptatis quæ avolauit, quo ſomnio quaſi fomite ignis cupiditatum excitatur. Et quemadmodum qui per ſoporem ſitiunt aut amant, eorum imperfectæ voluptates ac perceptiones acriùs exſtimulant libidinem: ita & his non iucunda eſt voluptatum perceptarum memoria, ſed reliquiæ voluptatis inanes ac languidæ multum habent ſtimulorum atq; aculeorum, quibus pungant palàm ſe efferentem cupiditatem. Neq; probabile eſt, modeſtos ac temperantes homines huiuſmodi cogitationibus immorari, aut ea facere, ob quæ Carneadem ſubſannat ille, tanquam ex ephemeridibus repetentem, Quoties cum Hedæa aut Leontio rem habuiſſet, vbi Thaſium vinum bibiſſet, quib. Idibus ſplendidiſsimè cœnaſſet. Atrocem enim ac belluinam in fruendis aut exſpectandis voluptatibus exagitationẽ animi ac rabiem deſignat tanta ipſius ad recordandũ bacchatio atq; adhæſio. Vnde & ipſi videntur mihi hæc abſurda animadvertentes, ad vacuitatem doloris & firmã affectionem carnis defugere. ac ſi in eo ſita ſit vitæ iucunditas, vt cogites iſta vel ad futura vel affuiſſe. ſummum enim & conſtantiſsimum gaudium adferre iis qui ratiocinari poſsint aiunt, carnis firmam affectionem, eiúſq; exploratã ſpem. Hæc primùm conſidera quam rem agant, iſtam ſiue voluptatem, ſiue indo-

indolentiam hinc inde transferentes, è corpore in animum, ex hoc rurſum quia contineri eo non poſſit, in corpus dilabentem. Itaq; coguntur ad principium redire, delectationem carnis (ſic enim aiunt) gaudio animæ vt fundamentũ ſubſternentes, ac rurſus læticiam ſpe voluptatis finientes. At quî fieri quit, vt fundamento concuſſo, non id ſimul concutiatur, quod ei inſiſtit? aut qui explorata ſpes poteſt, gaudiúmq; illabefactabile eſſe de re tot iactationibus ac mutationibus obnoxia? quale eſt corpus, cui & foris imminent plurimæ neceſsitates, plurimi ictus: & in ſe intus habet principia malorum, ratione averti vlla quæ nequeunt. aliâs non accidiſſent cordatis hominibus difficultates vrinæ, inteſtinorum morbi, tabes, aquæ intercutes: quorum cũ quibuſdam ipſe conflictatus eſt Epicurus, alia Polyænum, Neoclem, Agathobulum è vita eduxerunt. Neque nos illis hæc exprobramus, qui & Pherecydem & Heracletum nouimus in grauibus fuiſſe morbis. ſed hoc poſtulamus, vt ſi fateri libet ipſis ſuorum perpeſsiones corporum, neque vanis vocibus ferocien do & auram popularem captando vltrà arrogantis futilitatis culpam incurrere, aut non ſtatuant carnis firmam affectionem principium omnis gaudij, aut non dicant gaudere & inſultare doloribus eos, qui in grauiſsimis morbis ſunt aut cruciatibus. Sæpe enim affectio corpori firma cõtingit: ſed de ea ſpem exploratã ac ſtabilem animus ſanæ mentis compos nunquam concipit. verùm ſicvt in mari (vt eſt apud Aeſchylum)

De voluptatibus corporis ſpes nulla certa.

Nox incutit gubernatori, qui ſapit,

Dolorem,— immò etiam in tranquillitate metu non vacat: (futurum enim incertum eſt) ſic animum corpore benè affecto & in ſpe de eius bono ſtatu felicitatem collocantem, non licet abſque metu & fluctuatione degere. Non enim foris dun-

taxat vt mare, ita corpus etiã tempestatibus & procellis potest exagitari: sed plus turbarum, earumq; maiorum, intus alit atque effert. ac rectiùs tranquillitatem hybernam aliquis quàm carnis incolumitatem sperauerit sibi constanter adfuturã. Quid enim aliud poëtas mouit, vt homines animalia dicerent in diem viuentia, instabilia, incerta, foliorum similia, quæ anni statis tẽporibus nascuntur ac pereunt: quàm natura corporis tot calamitatibus, damnis, morbis obnoxia? cuius etiam optimam affectionem metuere iubent, ac deminuere. Est enim, inquit Hippocrates, ad summum progressa corporis bona affectio periculosa. Et Euripideus ille,

Humani corporis miseria.

Modò qui nigebat carne cœlitus uel ut
Delapsa stella extinctius est.——

Et formosos putant lædi fascino & invidia contuentium: quia vigor corporis ob imbecillitatem celerrimè admittit mutationem. Omnino autem res ipsorum esse ad vitam doloris vacuam parandam malè accommodatas, ex his intellige, quæ contra alios ipsi dixerunt. Flagitiosos aiunt omne tempus vitæ misere & in metu exigere: quod etsi fallere possint, tamen spem latendi certam atque indubitatam sibi sumere nullo modo possint: itaque futuri metum identidem incumbentẽ non sinere eos gaudere, aut præsentibus confidere. Non animadvertũt hoc adversum seipsos esse ab ipsis dictum. Sæpe enim potest corpus bono in statu esse, ac sanitate frui: explorata spes fore vt semper eo in statu maneat, fieri potest nulla. necesse est ergo, semper vt perturbẽre anxiúsque sis de corpore propter futura, ac quid sit exspectandum, neque vnquam te certã posse ac stabilem animo inducere fiduciam. Iam nihil peccare non eò facit, vt bono esse animo, & fidere rebus possis. Non enim hoc formidamus, ne quid iustè patiamur: sed ne quid omnino patiamur. neq; molestum est, esse

Metus felicitati aduersatur.

est, esse iniustum: non molestum aliorum iniusticiam experiri. sed si non maiori, non minori quidem certè malo fuit Athenienſibus Lacharis, & Syracusanis Dionysij importunitas, quàm ipsi Lachari & Dionysio. hi enim turbantes perturbabantur, & malè se tractatum iri suspicabantur, quia iniurias & maleficia vltrò aliis intulerant. Iam turbarum iras, latronum crudelitates, hęredum iniusticias, tum pestilentias aëris, maris pericula, quo se Epicurus cùm nauigaret Lampsacum pœnè fuisse absorptum scribit, quorsum attinet referre? sufficit ipsa carnis natura, materiam morborum in se continens, & (quod proverbio dicitur) loris ex ipso boue petitis, doloribus è corpore, vitã bonis malisq; iuxtà periculosam reddit, metúsque plenam: siquidem de carne duntaxat & eius spe discant, nulla alia de re gaudere aut fiduciam cõcipere. quemadmodum Epicurus cùm aliis multis in libris scripsit, tum in iis, quos de Fine composuit. Ergo non tantùm infidum atq; inconstans principiũ suauiter viuendi sumunt, sed omnino contemtu facile ac exiguum: siquidem gaudendi materies & bonum ipsis est malorum evitatio, neq; aliud se excogitare posse, aut omnino in natura esse aiũt, in quo bonum collocetur, eo vno excepto, vnde malum eius expellitur, vt Metrodorus scripsit in his quæ adversus sophistas disputat. Est ergo Bonum ipsum fuga mali: vbi enim ponatur bonum nihil est, nisi vnde nihil porrò potest exigi dolorem molestiámve faciens. Similia sunt hæc Epicuri, dicẽtis naturam Boni exsistere ex evitatione mali, memoriáq; & reputatione ac gratulatione, quòd sibi ita evenerit. Quod enim, inquit, facit incomparabile gaudiũ, est magnũ malũ evitatũ quod imminebat. Atq; hæc est natura boni, si quis rectè adsequatur, deinde cõsistat, neq; inaniter obambulet de bono nugãs. O ingentem hominũ istorũ voluptatem & felicitatem, qua fruuntur gaudentes quod nihil mali sint passi,

Bonũ quid Epicureis.

Ridet Epicureorũ iactantiam.

neque molestiâ aut dolore afficiantur. Nónne iurè suo ob ista & sentiunt de se & dicunt quæ dicunt? immortales dum seipsos & diis æquales iactant, atque ob nimiam bonorum excellentiam præ voluptate in fremitus atque vlulatus bacchando effe-runtur: quòd scilicet aliis spretis soli diuinum invenerint bonum cum vacuitate omnium malorum. adeò vt iam neque porcis cedant, neque ouibus, in eo felicitatem statuentes, vt carni, & animo de carne procuranti benè sit. Enimverò animalium quæ sunt natura elegantiore & venustiore, iis finis non est fuga mali. sed & ad canendũ præ satietate aguntur, & natatione aut volatu se oblectant, ac voluptate & animi elatione instigata omnis generis voces ac sonos imitari aggrediuntur, sibique invicem blandiuntur & exultim ludunt: natura eò ducente, vt evitato malo bonum quærant, aut potiùs, vt omne molestum atque alienum propulsent, vtpote impedimenta sui boni & prẽstãtioris naturæ. Quod enim necessarium est, id bonum non est: sed vltra fugam mali situm est id quod appeti & deligi debet: immò autẽ id quod suaue est, & naturæ conveniens ac vernaculum. Hoc enim Plato pronunciauit, qui prohibuit etiam ne dolorum aut molestiarum evitationem voluptates putaremus, sed veluti quãdam adumbrationem seu mixtionem vernaculi & alieni, tanquam albi & nigri ab imis partibus ad medium sese efferentium: quæ imperiti atque inscientes imi & medij, pro summo extremóque habeant. Quo in errore Epicurus est & Metrodorus, substantiã summúmque gradum Boni ponentes mali fugam, gaudiúmque gaudentes mancipiorum quoddam aut captiuorum, qui è vinculis sint dimissi, ac post contumelioſam tractationem flagellorúmq; verbera pergratum habeant vngi & lauare: cùm quidem liberalem, puram, sinceram, & vibicum expertem lætitiam neque degustauerint vnquam, neque spectauerint.

uerint. Non enim si alienum est carnem scabie, oculos lippitudine laborare: ideò scabere & detergere ex oculis defluentem humorem, res est suspicienda. neque si malum est dolere, & deos timere, perturbarique ob ea quę apud Manes esse putãtur: ideò harum opinionum vacuitas beatum aliquid aut præclarum haberi debet. Immò exiguum quendam plane arctum gaudio locum (in quo versetur ac voluteur eò vsque, vt malis quæ apud inferos creduntur esse non perturbetur) attribuit istorum opinio, aliquantulum vltra vulgo receptas progrediens, húncque finem sapientiæ præfigens, quem citra dubium apparet omnibus brutis esse. Si enim ad indolentiam corporis nihil interest, ex sesẽne an à natura vacuitatem habeat doloris: ne ad perturbationis quidem animi vacuitatem referret, per sẽne, an à natura adeptus is hoc sit, vt ne perturbetur. Et quidem non absque ratione dici potest affectionem à natura profectam, quæ perturbationes excludit, validiorem esse ea, quæ has ratione & industria subterfugit. Deferatur tamen vni tantum, quantum alteri. certè sic liquebit, nihil eos brutis antecellere, quod attineat ad vacuitatem perturbationis propter ea quæ de diis & inferis dicuntur, & non extimescendos dolores aut cruciatus infinitos. (Ipse profectò Epicurus dixit, Nisi nobis molestias exhibuissent ea quæ in sublimi sunt, & quæ de morte ac doloribus feruntur, nihil ad hæc amolienda nobis opus fuisse philosophia naturali) nam bruta neque de diis in malam suspicantur partem, neque opiniones habent de iis quæ mortem subsecutura sint sinistras quibus conturbentur, atque omnino his de rebus nihil vel cogitant vel norunt metuendũ. Quòd si Epicurei in anticipata dei notione tradenda prouidentiam reliquissent, videri poterat homines prudentes plus bonę spei de vita iucunda habere quàm belluas. Quoniam autem finis disputationi de deo

Mali fugæ an sit bonum.

ab iis hic proponitur, vt non metuamus deum, desinamúsq; turbari: constantiùs ego arbitror teneri hoc ab iis, quæ omnino deum esse non intelligunt, quàm ab iis, qui didicerunt deum censere qui non lædat. Illa enim non liberantur superstitione, sed ne capta quidem ea vnquam fuerunt: neque deponunt cogitationem de numine perturbantem, sed ne venerunt quidem vnquam in eam. Eadem de inferis sunt dicenda: Inde enim bonũ aliquid sperare, neutris contingit. Suspicari autem & metuere aliquid post mortem, minùs evenit iis quæ omnino anticipata mortis noticia carent, quàm iis qui præcipiunt mente nihil ad nos mortẽ pertinere. certè enim eatenus ad eos pertinet mors, quatenus de ea ratiocinantur & considerant: belluæ prorsus vacant cura rerum ad se nó pertinentiũ. & cùm verbera, vulnera, cædem fugiunt, eatenus mortem fugiunt, quatenus & isti. Talia sunt, quæ sibi sapientia comparata Epicurei dicunt. Consideremus porrò qualia sint, quibus seipsos priuãt, & à quibus sese abigunt. Animæ delectationes, quæ eis ob iucundam corporis affectionem áccidunt, si mediocres sunt, magni aut præclari habent nihil. Sin excellentes sint, præter quàm quòd vanæ & instabiles, importunas etiam & proteruas, non profectò animi voluptates aut gratos motus, sed corporeas dixerit aliquis voluptates, animo velvti arridente iis simúlq; luxuriante. Quas verò dignũ æquúmq; est lætitias & gaudia animi dici, eæ contrarij sunt vacuæ, neq; palpitationem aut morsum admixtũ vllum, vllámve pœnitentiam habent. Eæ delectationes bonũ habent animo familiare, eíq; verè conveniens, & genuinũ, non adsciticium, sed summè consentiens rationi, enatũ ea ex animi facultate, quæ contemplando vero, discendíq; studio, aut quæ agendo & honesti tractationi est destinata. Quàm multas, & quantas voluptates harum vtraq; proferat, dicendo enumerare frustra quisquam

Animi voluptas.

quisquam conetur: breuiter mentionem earũ subiicere licet. In promtu sunt historiæ, quæ cùm multas habeant animum oblectantes tractationes, perpetuum veritatis studium nunquã explent, nunquam explent, nunquam exsatiant voluptate: quæ voluptas etiam falsis aliquam conciliat gratiã, vt cùm figmentis & poëmatis fidem non adhibeamus, tamen insit his quædã persuadendi vis. Cogita enim apud animum tuũ, quem morsum sentiamus, vbi Platonis Atlanticũ, aut Iliadis postremã partẽ legimus: velvti tẽplo clauso aut theatro desiderantes fabulæ reliquum. Ipsius autem veritatis cognitio ita est amabilis, ita desiderabilis, vt ipsum hoc viuere & esse propter cognitionẽ data videantur: & quæ mors habet tristissima, obliuio sunt, ignoratio, & tenebræ. Itaq; ergò mẽ hercle omnes ferè vno ore reclamant iis qui mortuos sensu priuant: quod in sola animæ sentiente ac cognoscente vi ponunt vitam, esse, & gaudere. Licet enim etiam eorum quæ molesta nobis sunt quædam interdum cum voluptate audire: ac sæpe turbati aliorum sermone & lacrymantes, tamen dicere iubemus, vt ille:

Historiæ. Fabulæ.

Cognitio veri.

A. *Ehcu, mali ipsius est dicendi iam locus.*
B. *Et audiendi mihi. Sed audire est opus.*

Verùm hoc quidem videtur voluptatis omnia cognoscendi quædam esse intemperantia ac fluxus vim rationi faciens. Cùm verò nihil in se habẽs molestum aut damnosum historia, vel narratio de rebus pulcris ac magnis, adsciuerit orationem vi elegantiáq; præditam: (vt cùm res Græcas Herodotus, Persicas Xenophon exponit,

Et quos diuinus numeros cantauit Homerus,

aut Eudoxi de conversionibus orbium cœlestium, Aristotelis de cõditis vrbib. & de rebus publicis libri, Aristoxeni vitæ virorum) non modò ingens & copiosa ibi exhilarandi animi materies offertur, sed & pura, pœnitentiæque secura. Quis enim vel esu-

riens edere, vel sitiens bibere malit ea quæ apud Phæaces fuerunt proposita: quàm Vlissis recensionem suorum errorum cognoscendo percurrere? aut quem magis iuuet dormire cum formosissima muliere, quâ invigilare iis quæ de Panthea Xenophon, de Timoclea Aristobulus, de Tisba scripsit Theopõpus. Verùm ab his delectationibus Epicurei animum avocant. Adde, quòd etiam à mathematibus profectas inde exturbant. At enim historiis simplex quædam & plana ac læuis adest delectandi occasio. Quæ à geometria, astrologia, & harmonica veniũt voluptates, iis acres & variæ illecebræ aditum parant, neq; vlla deest inescandi occasio. descriptionibus enim suis mathemata tanquâ illicibus quibusdam ad se trahunt. quarum qui gustum percepit, si quidem rerum imperitus non sit, obambulat Sophoclea ista cantillans:

Voluptates è mathematis.

* *Musarum exagitat me ualidus furor.*
* *Nec curæ mihi, nunc quàm lyra, quàm modi,*
* *Est quidquam.*

non Thamyras alia de Musis operam impendit, ac me hercle ne Eudoxus quidem, Aristarchus, & Archimedes. Quando enim picturæ dediti adeò suorũ afficiuntur operum specie, vt Nicias pingens Necyam sæpe è seruis quæsiuerit, Pransúsne esset: & opere absoluto cũ Ptolemæus rex eius emendi gratia mitteret LX talenta, non acceperit pecuniã, neque tabulam vendiderit. quas & quantas credemus voluptates è Geometria & Astrologia decerpsisse, Euclidem cùm scriberet Dioptica, Philippũ demonstratione de figura Lunæ litteris mãdata, Archimedem cùm anguli ministerio deprehendisset, diametrum Solis tantam esse maximi circuli portionem, quanta est angulus ille de quatuor angulis rectis? quod idem volo intelligi de Apollonio & Aristarcho aliarum id genus rerum inventoribus, quarum hodiéq;

hodiéque consideratio magnas voluptates & mirabilem animorum alacritatem apud discentes excitat. Indignum verò est è culinis & prostibulis accersitas voluptates cũ his contendendo, dedecus inferre Musis & Heliconi,

Vbi neque pastor pascere conatur pecus,
Ferroq; sunt intacta loca. ——

Nam mathematicæ hæ voluptates verè sunt pascuâ apum vitij exsortia: istæ porcorum & caprorũ pruritibus sunt similes, porrò animi facultatem quæ omnis generis affectionibus est opportunissima opplentes. Sanè res est varia & proterua, studium voluptatis. Neq; tamen in hunc vsque diem quisquam amica potitus præ gaudio solenne sacrificium fecit: aut statim mori optauit, si daretur obsoniis bellariisq; regiis impleri. At verò Eudoxus Phaethontis modo combvri vouit, ea lege, vt sibi antè liceret ad Solem adstanti, figurã, & magnitudinem, formámq; astri perdiscere. Et Pythagoras bouem immolauit, delineationis gemeotricæ causa. sic enim perhibet Apollodorus.

Pythagoras celebri diagrammate quando reperto,
Mactato fecit splendida sacra boue.

siue id pertinet ad hoc, quòd in rectangulo triquetro longissimi lateris quadratum reliquorum laterum quæ angulum rectum conficiunt quadratis in vnũ conflatis æquale esse demonstrauit, siue ad quæstionẽ de area parabolæ. Iam Archimedem à descriptionibus geometricis vi avulsum serui vnxerunt. ille interim strigili lineas in ventre ducebat. & inter lauandum cum ex aquæ (vt traditum) supra labrum solij elisæ effluxu excogitasset coronæ dimensionem, tanquã furore quodam aut diuino instinctu exagitatus prosiluit, vociferans, Reperi. hácq; voce sæpius repetita perrexit ire. Neque verò audiuimus, vel gulæ addictissimum quenquam clamare,

Voraui: vel lasciuissimum, Amaui. cùm quidem & sint & fuerint innumeri intemperantes. sed & vt impuros aversamur eos, qui cœnarū vehementiori cū affectione animi recordātur: vt qui nimiū delectentur exiguis & nullius precij voluptatibus. At Eudoxi & Archimedis ac Hipparchi instinctu diuiño cōcitatorū comites esse volumus, Platoniq; credimus, qui de mathematibus pronunciauit, ea ob insciciam hominum imperitiámq; neglecta, vt tamen ob venustatem suā incrementa facere. Enimverò has tot tantásq; voluptates velvti perenni è fonte manātes Epicurei devitant atq; aversantur, neq; patiuntur earū gustum percipere quicunq; se ad ipsos contulerint. sed aliis mandant, vt citatis lembis eas fugiāt: & Pythoclem omnes ab ea secta viri, omnes mulieres per Epicurum orant atq; obsecrāt, ne disciplinam, quæ liberalis dicitur, magnificere sectarive studeat. & Apellem quendam mirantur ac maiorem in modum amplectuntur, quòd (vti scribunt) à mathematibus iam inde ab initio abstinendo purum sese conseruauerit. De historiis, vt cætera omittam quæ hac in re eorum ruditatem arguūt, verba duntaxat apponam Metrodori, qui in libro de poëtis sic scripsit. Proinde ignorare te dicens ab vtra parte fuerit Hector,

,, ignorare etiam primos Homeri versus aut quæ in
,, medio sunt, non est quod trepides. Iam corporis vo
,, luptates Etesiarum in morem post vigorem elangue
scere ac definere, non fugit Epicurum. Dubitat itaque an sapiens iam senex factus & ad coitū ineptus, pulcrarum adhuc tactibus & cōtrectationibus gaudeat. sanè non cum Sophocle sentiens, qui libenter à voluptate hac tanquam à domino agresti & furioso se profugisse dixit. At enim voluptatibus fruendis deditos oportebat, cùm cernerent multas voluptates senectute aboleri, & quo est apud Euripidem,

Ac ate grandibus Venerem aduersarier:

huiusmodi, quales retuli, voluptates potissimū conquirere, & quasi obsidionis metu frumentum quod corrumpi & perdi non posset congerere. atque ita postquam Veneris per vitam sacra coluissent, præclaras eius festiuitatis appendices conficere, versando in historiis aut poëmatibus, & musicas ac geometricas tractando quæstiones. Non enim in animū inducere subiuisset cæcas istas & edentulas contrectationes, si didicissent vt nihil aliud, saltem de Homero aliquid & Euripide scribere, vt fecerunt Aristoteles, Heraclides, Dicæarchus. Illi verò nimirum hoc commeatu neglecto, cùm reliqua ipsorum tractatio delectationis expers & arida esset, (quomodo ipsi virtutē appellant) & omnino tamen voluptate affici vellent, corpúsque ad eam rem deficeret, fatentur turpiter se & intempestiuè agere, dum & pristinas in memoriam sibi revocant voluptates, & antiquis penuria nouarum vtuntur, tanquam muria cōditis & mortuis, aliásq; rursum exanimas in carne, velvti in frigido cinere ignem, contra naturam succendunt. quippe nihil proprium in animo paratum qui habeant, quod alicuius momenti oblectationem gaudiúmque conciliare possit. Ac cætera quidem à nobis, ita vt in buccam venerunt, dicta sunt. Musicam verò (quantarum voluptatum & elegantiarum fertilem?) eos vitare & fugere, ne si velis quidem, ignorare possis: ita absurda sunt quæ hac de re Epicurus tradidit. Pronunciat enim sapientem spectaculis debere esse deditum in publico, scenicisq; actionibus & musicis auditionibus ita vt quenquam alium gaudere. sed musicis quæstionibus, & eruditis disquisitionibus eorum qui iudicium sibi de hac re sumunt, ne inter pocula quidem locum concedit. immò regibus Musarum studiosis autor est, vt in conviuiis narrationes militares, & importunas scurrilitates potiùs tolerent, quā disputationes de musicis aut poëticis quę-

Musica ab Epicuro posthabita.

stionibus institutas. Hæc enim ausus est scribere in libro de regno: tanquam si ad Sardanapalum scriberet, aut Naratum Babylonis satrapam. Non enim Hieroni, Attalo, aut Archelao persuasisset, vt iussis è conuiuio surgere Euripide, Simonide, Melanippide, Cratete, Diodoto, Cardaces secũ collocarent, & Agriatas, & Callias scurras, ac Thrasonidas aliquos & Thrasyleontas, vlulatus & plausuum tumultum excitaturos. Quod si Ptolemæus qui primus musicos conduxit in præclara ista & rege digna incidisset præcepta, nónne dicturus erat Samiis: O Musa, quæ inuidia? Nam Athenienſiũ quidem nemini conuenit ita infensum Musis esse, iisque bellum facere.

Pindarus Pythiorũ I.

Sed quæ cara Ioui non sunt,
Consternantur, ubi audiunt
Pieridum uocem.

Quid ais Epicure? prima luce in theatrum progrederis, citharœdos auditurus & tibicines? in conuiuio si Theophrastus de concentibus vocum disserat, aut earum de mutationibus Aristoxenus, & Aristophanes de Homero, manibus aures occupabis indignans & abominans? Nónne magis scitus fuit Atheas ille Scytha, qui cùm Aminias tibicen captus inter pocula fistula cecinisset, iurauit suauius se auditurum equum hinnientem? Nónne profitentur se pulcras adversum res bellum susceptisse nulla pace finiendum, idque non indictum, qui nisi voluptas adsit, nihil purum, nihil egregium amplectuntur & amant? Nónne æquius erat suauiter viuendi gratia vnguentis eos & suffitibus, cantharorum & vulturum in morem esse iniquos, quàm criticorum & musicorum sermonẽ impurum ducere eúmque fugere? Quæ enim tibia aut ad cantum concinnata tibia, aut

Quis clarum chorus ex probè

Doctis

Doctis artificum gutturibus sonum
Depromens——

ita delectauit Epicurum & Metrodorum: vt Aristotelem, Theophrastum, Hieronymum, Dicæarchum disputationes & doctrinæ de choris, & quæstiones de tibiis, numeris, ac concinnatione sonorum? Verbi gratia, Cur æqualium tibiarum ea quæ angustior est, grauiorem edit sonum? cur fistula sursum elata omnes sonos acutiores, inclinata rursus graviores profert? cur cum alia si coniũgatur, grauiùs, sola autem acutiùs sonat? Cur si in orchestra theatri paleæ spargantur aut puluis, populus cæcatur? cur Alexandrum Pellæ proscenium æreum facere volentem inhibuit artifex, corrupturum eum vocem histrionum dicens? Cur inter musices genera chromaticum animum maximè diffundit, harmonicum componit? Iam poëtarum singularia ingenia, figmenta, & formarum discendi discrimina, ac quæstionum difficilium solutiones, cum decoro & nitore conuenientem rei propositæ probabilémq; habentes rationem, videntur mihi (quod Xenophon aiebat) etiam amoris obliuionem inducere, tantam adferunt voluptatem: cuius neque fiunt, & nolle etiam se fieri participes aiunt Epicurei. Qui sanè cùm facultatem animi contemplatricem intendant corpori, & quasi plumbeis molibus in carnis cupiditates detrahant, nihil absunt ab equisonibus & pastoribus fenum aut calamũ aut herbam aliquã prædicantibus, quod suis ista pascere & edere pecoribus conueniat. Nónne enim ita volunt animam voluptatibus corporis porci in morem pascentis saginari, quantũ spes aliqua suppeditat de carnis suaui affectione, eúmve recordatione? cùm non sinant peculiarem sibi eam ex sese capere aut petere delectation. At verò quid potest absurdius fieri, quàm, cùm duæ sint è quibus homo componitur partes, corpus & anima, quarum quidem hæc principatum

Hominis duæ partes.

obtinet, corporis proprium quoddam, domesticũ, & naturæ conveniens esse bonum, nullum animæ? sed eam desidentẽ in corpus habere conversos oculos, eiúsq; affectionibus arridere, vnáque voluptate & gaudio frui? ipsam ab initio immobilem, omnísq; affectionis vacuam, nihil omnino habere quod deligat, quod appetat, quo gaudeat? Aut enim oportuit eos simpliciter sententiam suam revelantes hominem totum carneum facere, quod nonnulli audent animæ substantiam negantes, aut duas naturas diuersas in nobis si relinquunt, proprium vtriusque etiam relinquere bonum & malum, familiare & alienum. quo modo scilicet sensuum vnusquisq; suo est destinatus sensili, & omnino simili invicem afficiuntur modo. Est autem animæ proprium sentiendi instrumentum mens, cui nullam rem peculiarem subiicere quam spectet, qua moueatur, nullam cognatam affectionem qua soleat gaudere, omnium est absurdissimum. nisi fortasis aliqui hoc illis falsò & per calumniam imputantes fallunt? Respondi tum ego in hæc verba. Non equidem nos talem sententiam feremus. itaq; intrepidè reliquum orationis persequere. Quî? aiebat. Non enim in dicendi partes nobis Aristodemus succedet, si tu planè fessus es? Omnino, inquit Aristodemus, si itidem tu vt ille est defatigatus fueris. Verùm tu, bone vir, qui etiamnum viges, vtere teipso, neque ob molliciem detrectantis opinionem de te excita. Et quidem, subiiciebat Theo, id quod restat admodũ est facile. supereſt enim vt enarretur, quâta actionibus concilietur homini voluptas. Cæterùm ipsi hoc Epicurei dicunt, suauius esse afficere quàm affici beneficio. Non abnuerim etiam verbis beneficium posse conferri. sed certè in actione pars maxima & potissima consistit: quod & benefaciendi vocabulum indicat, & ipsi fatentur. Paulò enim antè audiuimus istum dicentem, quales voces emiserit Epicurus, quales

Actionum voluptas.

quales ad amicos litteras dederit, prędicans & summis vehens laudibus Metrodorum, quòd is præclarè & egregio conatu ex Astu in Pæeum descendisset Mithro Syro opem laturus. cum quidem nihil tum egerit Metrodorus. Quas ergo & quantas fuisse existimatis Platonis voluptates, cùm ab ipso profectus Dio evertit Dionysium, & Siciliæ libertatem reddidit? aut Aristotelis, quando patriam humi prostratã erexit, ciuésq; postliminio reduxit? aut Theophrasti & Phædiæ, vbi patriæ suæ tyrannos exciderunt? quid enim apud vos, quibus isthæc sunt notissima, commemorem quàm multis subvenerint viris, non tritico mittendo, aut farinæ modio: sicvt Epicurus misit quibusdam. sed exsulibus reditũ conficiendo, vinctis liberandis, reddendísq; vxoribus & liberis his qui eos amiserant? Sed ne si cuipiam quidẽ, posim præterire ineptias hominis, qui cùm Miltiadis & Themistoclis res gestas sub pedibus collocasset & extenuasset, de seipso ad amicos hęc scripsit. Strenuè ac magnificè res nostras in frumento comparando administrauistis, vestræq; erga me benevolentiæ signa ad cœlum vsque pertinentia edidistis. Quod si quis ex epistola philosophi modicum illud frumenti exemisset, verba opinionem poterant excitare, scriptam esse causa agendarum pro tota Græcia aut Atheniensi populo liberato gratiarum. Mittamus in præsentia hoc, quòd ad corporis voluptates natura multiplici sumtu atq; impendiis indiget, neque in iure & lente dulcissimum inest: sed appetitiones deditorum fruendis voluptatibus obsonia requirunt, & Thasium vinum, & vnguenta, & cupedias, & placentas melle largo rigatas: præterea formosas & ætate integra mulieres, quales circa hortum Epicuri versabantu Leontium, Boidium, Hedæa, Nicedium. Id quidem in confesso est animi lætitiæ subiectam oportere esse actionum magnitudinem, & pulcritudinem

facinorum memorabilium, si non vana, ignobilis, & puerilis, sed pŏderosa debeat esse, stabilis, ac magnifica. Quòd autem Epicurus ob suauem affectionem animo effertur nautarum instar Aphrodisia (ea sunt festum Veneris) agentium, & magni sese facit, quòd in morbo se exercuerit, conuiuia amicorum quædam instituerit, aquæ intercuti humorem superinducere non inuiderit, & extremorum Neoclis verborum recordatus sua peculiaris modi voluptate cum lacrymis contabuerit: hæc nemo sanæ mentis vera gaudia appellauerit. sed si quis est animæ Sardonius risus, is in huiusmodi est violentis læticiis ac permixtis fletu risibus. Siquis tamen læticiæ nomine ista dignabitur, considera mihi excellentiam harum voluptatum:

Epicuri iactantia.

Consiliis nostris laus est attonsa Laconum. &:
Hic patriæ est, hospes, Romæ memorabile sidus. &:
Ambigo, tene hominem, uel numen dicere par sit.

Cum autem mihi ante oculos pono Thrasybuli & Pelopidæ illustria facta, & apud Platæas, Aristidem, Miltiadem Marathonæ. ibi (secundum Herodotum vt loquar) cogor hanc proferre sententiam, Vitæ in agendo occupatæ plus voluptatis quàm honesti esse. Testimonium mihi etiam Epaminondas præbet, qui hoc sibi (vt fertur) iucundissimum euenisse dixit, quòd parentes ipsius viuentes trophæum ipso duce apud Leuctra erectum conspexerunt. Contendamus ergo cum Epaminondæ matre matrem Epicuri, gaudentem quòd filius in hortulum sese abdidit, & communi iure cum Polyæno meretrice Cyzicena ad sobolem procreandam vtitur. Matrem enim & sorores Metrodori nimio ob eius nuptias gaudio fuisse evectas, rescripta ad fratrem, quæ in libris exstant, abundè docent. vociferando enim in clamorem erumpentes isti homines produnt suauiter se vixisse, florere, & vitam suam summis vehunt laudibus. Serui cùm Saturnalia cœnant, aut Liberalia in agro vagantes celebrant, vlulatum eorum & tumultus ferre non possis, præ gaudio & imperitia rerum pulcrarum talia agentium & loquentium:

Quid desides? quin bibimus, & capimus cibos? *
Sunt hæc, misselle, in promtu: cur tibi inuides?
Vocem statim hi dedere. tum Bacchi liquor
Infunditur, & corona aliquis ornat caput.
Lauriq; puleram ad frondem turpiter canit
Indigna Phœbo, ianuamq; alius domus
Pulsam operiens, excludit caram coniugem.

Nónne verò horum similia sunt ea quæ ad fratrem scribit Metrodorus. Nihil attinet, o Timocrates, Græcis salutem parare, aut ob sapientiam ab iis coronas accipere: sed edere & bibere vinum ita vt ventri non noceat, eíque sit gratum. Et rursum iisdem in litteris scribit. Gauisus sum vehementer, & ferocire cepi, quòd ab Epicuro didici rectè ventri gratificari. Et: Nam, ô naturæ indagator Timocrates, circa ventrem est bonum. Omnino autem isti homines totam voluptatem, eiúsque magnitudinem ventre quasi centro posito circũscribunt: splendida, & regali, ac magnitudinem animo, lumen, tranquillitatémque cõferente voluptate, quæ verè gaudio totum perfundat hominem, non possunt frui. quippe vitam exitus expertem, à rep. & humanitate alienam, & quæ nullo ad honorem elegantiámq; cieatur instinctu, cùm sibi delegerint. Enimverò animus res est minimè iners aut exilis aut abiecta, neq; cupiditates suas, quomodo polypi flagella sua, tãtùm vsque ea quæ esui sunt extendit. sed has celerrimè præcidit satietas momento temporis, & minima horæ portiuncula. Augescentibus autem impetibus quibus ad pulcrum incitatur, eiq; propositum honorem & gratiam, mensura eius non est vitæ tempus: sed honoris humanitatísque studium totam at-

Animi vis.

tentans æternitatẽ, certatim pulcris actionibus elegantibúsque factis contendit, voluptatem habentibus immensam. quas ne fugiendo quidem evitare possunt boni, vndiquaque occurrentes sibi & circumfusas, cùm lætitiam percipiunt ex eo quòd multis benefecerint.

Hunc veluti numen, quâcunq; incedit in urbe,
Suspiciunt cuncti.——

Qui enim sic alios afficit, vt & gaudeant eo viso & exsultent, tangeréq; & compellare desiderent, vel cæcus videat hunc magnas in se habere ac perfrui voluptates. Itaque etiam non defatigantur benefaciendo, neque animum despondent, sed huiusmodi eorum audiuntur voces:

Magni pater precij creat mortalibus. Item:
Non desinamus bene mereri de hominibus.

Et quid opus est de summè bonis dicere: Si cuipiam mediocriter malorum iam morituro, potestatem vitæ & mortis habens siue deus siue rex vtiam proroget horam, vt ea vsus vel ad honestum facinus vel ad fruitionem voluptatis, statim vita decedat: quis isto tempore mallet cum Laide concumbere, aut vinum bibere Ariusium, quàm Archia occiso liberare Athenas? Equidem puto neminem. Nam gladiatores etiam video qui non planè sunt belluini sed Græci, in arenam intraturos, multis ac preciosis propositis cibis, libentiùs isto tempore mulierculas suas amicis commendare, & seruos libertate donare, quàm ventri gratificari. Immò si quid magnum habent voluptates corporis, commune id est iis qui in agendis rebus versantur. Nam hi quoque

Iliad. 1. 341. *Vescuntur Cerere, & Lenæi rore rubentis,*

& cum amicis conviuia agitant. idque multo ni fallor alacriùs certaminibus & actionibus obitis, vt Alexander, vt Agesilaus, ac mehercle Phocion & Epaminõdas: quàm hi ad ignem vncti, & lecticarum gestatio-

gestatione sensim concussi. Verùm illi has contemnũt voluptates, quia in maioribus istis sunt. Quid enim referam noluisse cœnare Epaminondam, cùm cœnam vidit quàm pro re familiari sumtuosiorem, ac dixisse amico: Putabam te sacrificare, non insolenter luxuriare? quando Alexãder etiam Adæ coquos reiecit, Meliores inquiens se obsoniorum conditores habere, nocturnum iter ad prandij, & huius exilitatem ad cœnę suauitatem. & Philoxenum qui per epistolam emine vellet formosos pueros interrogaret, parum abfuit quin procuratione commissa deiiceret. & verò cui magis licebat? Sed sicvt inquit Hippocrates è duobus doloribus minorem à maiore obscurari: sic voluptates etiam corporeæ à voluptatibus agendo & honesti studio partis ob animi læticiam ingentem ac incomparabilem obliterantur & exstinguuntur. Quod si ergo, vt aiunt, memoria pristinorum bonorum maximè facit ad iucunditatem vitæ: Epicuro quidem nemo, puto, nostrùm fidem habebit, eum inter maximos dolores & grauissimis in morbis animam agentem recreatum fuisse memoria perceptarum olim voluptatum. Imaginem enim visus in profundo conturbato & fluctu faciliùs aliquis animo concipiat, quàm voluptatis memoriam renidentem in tanta corporis exagitatione atque laniatione. Memoriam verò actionum nemo, ne si id conetur quidem, potest amoliri à se. An enim, aut quomodo Arbelorum Alexander oblitus fuisset; aut Pelopidas Leontiadæ, aut Salaminis Themistocles? Marathoniam ẽnim pugnam hodiéque Athenienses, Leuctricam Thebani, & nos Daiphanti apud Hiampolin, vt nostis, celebramus solenniter, sacrificiisq; & honoribus Phocis repletur. neq; quisquã nostrùm cibo & potu quibus vescitur ita delectatur, vt eorum rebus gestis. Cogitari verò potest quãta in lętitia gaudióque & hilaritate ij vixerint, qui horũ autores fuerũt

Memoriæ voluptatũ.

facinorum: cùm memoria 10 & amplius annorum delectationem non amiserit. Porrò à gloria etiam quasdá proficisci voluptates Epicurus fatetur. Quî verò non hoc faceret? ita insano flagrans atque æstuans gloriæ studio, vt non modò negaret vllis se vsum præceptoribus, & cum Democrate decreta eius totidem verbis susurato altercaretur de syllabis & apicibus, nullúmque diceret exstitisse sapientem extra se & suos discipulos: sed scriberet etiam, sibi cùm explicaret naturam rerum ad genua accidisse supplicitérque ea tetigisse Coloten: Neoclem autem fratrem statim à puero pronunciauisse, neminem Epicuro sapientiorem vnquam fuisse: matrem quoque suam in se tot tantásque habuisse atomos, quarum congressu sapiens ederetur. Non igitur, sicvt Callicratidas aiebat Cononem mare adulterare, ita iure aliquis dixerit Epicurum turpiter ac furtim captare gloriam, víq; in eam se ingerere, cùm palàm ea non potiatur, sed amet tantùm ac totis viribus affectet? Sicvt enim præ fame corpora cibo destituta coguntur contra naturam ex seipsis alimentũ petere: ita ambitio hoc mali in animis ingenerat, vt laudum auidi, quando ab aliis eæ non conferuntur, ipsi sese laudent. Cæterùm qui hoc modo sunt erga laudem & gloriam adfecti, nónne fatentur se magnas dimittere voluptates, dum ob imbecillitatem vel molliciem fugiunt magistratus, reip. gubernationem, amicicias regum: quibus à rebus magna bona vitæ proficisci dixit Democritus. Nemini enim homini persuaserit Epicurus, se, qui Colotæ adorationem & Neoclis testimonium tanti fecisset, si à Græcis Olympiæ publico exciperetur plausu, non insaniturum præ gaudio & vlulatum fuisse editurũ: ac non potiùs ita præ lætitia se elaturum,

Inflata ceu ueteris lanugo cardui,

vt est apud Sophoclem. Quod si dulce est gloria esse præditum, nimirum molestũ erit esse inglorium.

Voluptates à gloria profectæ.

atqui

atqui nihil est ab omni gloria alienius, quàm amicis, actionibúsq; carere, deum nullum putare, soli vacare voluptati, omnes res negligere. quæ quidem omnes ipsis exceptis homines Epicureorum sectæ tribuunt. Dicat aliquis, immeritò hoc. Atqui non veritas hîc, sed fama spectatur. Et sanè libros ac decreta maledica ciuitatum cõtra Epicureos scripta non proferemus. odiosum enim hoc fuerit. Sed profectò si oracula, diuinatio, deorum providentia, parentum in prolem innatus amor & dilectio, si reip. administratio, principatus, magistratus, hæc inquam si cum gloria & laude sunt coniuncta: eos qui dicunt non esse salutem Græcis parandam, sed edendum bibendúmq;, ita vt ventri neque noceát & sit gratum, necesse est infamia laborare, malósque existimari, & cum tales habeantur, dolore affici, & vitam viuere turpem: siquidem dignitatẽ & gloriam pro re iucunda putant. Hæc locuto Theone, placuit finem deambulandi facere. & pro more nostro in subselliis considentes, dictáque considerantes silentium tenuimus nõ diuturnum. Zeuxippus enim iniecta è dictis cogitatione, Quis, inquit, reliquam orationis partem absoluet? nondum enim suo fine concluſa est, cùm modò diuinationis & prouidentiæ intulerit mentionem. quorum contemtum Epicurei aiunt non minimum conferre momentum ad voluptatem, tranquillitatem, & fiduciam vitæ. itaque etiam de his dicendum est aliquid. Aristodemus sub hæc ita locutus est. De voluptate quidem ferè dictum est hoc, Epicureorum sermonem, vt maximè id consequatur quod habet propositum, metum auferre quendam & superstitionem, nullam autem lætitiæ & gaudij deorum causa concipiendi præbere materiam: sed facere vt ita simus erga eos affecti neq; timendo neq; gaudendo, quomodo sumus erga Hircanos aut Scythas affecti, neque boni ab iis quicquam neque mali exspectantes. Si quid

Mortui an lugendi.

autem addendum est dictis, id ab ipsis sumemus. Primum est hoc, quòd dolores, lacrymas, & gemitus in morte eorum qui cari fuerunt excludentibus repugnant, dicúntq; indolentiam quæ affectionum vacuitatem efficit, à maiori malo proficisci, crudelitate nimirum aut immoderata arrogantia & rabie. itaque præstare affici, mœrere, oculos rigare, flendóque tabescere, & quæ alia sunt gestuum genera vsurpare, quibus homines vtentes volunt molles & suorum studiosi videri. Hæc enim Epicurus cùm aliis multis locis tradidit, tum inscripto super morte Hegesianactis ad patrẽ eius Dositheũ, & fratrem mortui Pyrsonem. nuper enim forte fortuna has epistolas pellegi. Ego autem contrà dico, opinionem quæ deorum naturæ est adversa, non minus esse immanitate & ambitione malum. quam ad opinionem ij nos ducunt, dum gaudium propter numen vnà cum eius iræ metu abolent. Præstat enim insitam esse opinioni de deo ac contemperatam affectionem quandam mixtam è verecundia & metu, quàm hoc dum fugimus, neque spem nobis, neque gratiam, neq; fiduciam bonis præsentibus, neq; rebus adversis conversionem ad deum relinquere. Equidem oportet omnino opinioni de diis superstitionem, tanquam oculo lemam, adimere. quod fieri cùm possit, non est vnà cum superstitione excidenda aut excæcanda fides, quam de diis plerique habent. Ea autem non est horribilis quædam aut tetrica persuasio, qualem isti fingunt, calumnia providentiam impetentes, quæ hominibus tanquam pueris ingruat, aut supplicio scelerum tragico sit inscripta. Verùm pauci homines deum ita timent vt non præstet non metuisse. Qui autem eum timent vt principem bonis benignum, malis infestum, vno illo metu liberati à studio peccandi, neque multis opus habentes liberatoribus, cùm malicia apud ipsos paulatim quasi contabescat, minus animo conturbãtur, quàm qui

Opinio de diis qualis esse debeat.

Metus deorum rectus.

qui indulgent vitiis audéntq; scelera, ac statim deinde metu & pœnitentia corripiuntur. Plerorumq; verò & indoctorum, neque penitus tamen prauorum hominum de deo sensus, habet is quidem cultui & honori permixtũ quendam tremorem & metum, quæ superstitio vocatur. innumeris verò modis antecellit bonæ spei copia, gaudij abundantia, omnisq; prosperitatis, vt à diis proficiscentis, votis atque exspectatione. Quod ipsum maximis ac certissimis ostenditur signis. Nam neque sacerdotum in templis consuetudines, neque solennitatum tempora, neque actiones aut spectacula alia magis nos delectant, quàm ea quæ ipsi facimus & cernimus orgia agentes, aut choros ducentes, aut sacrificiis mysteriisve vacantes. Non enim tũc animus in mœrore est, non languet, neque ei ægrè est: quod futurum erat, si cum tyrannis se aut atrocibus vindicibus agere putaret. sed vbi maximè opinatur ac ratiocinatur deum adesse, ibi potissimùm doloribus, metu, curisq; repudiatis, delectationi vsq; ad ebrietatem, risum, iocúmque indulget. Scripsit in Amatoriis poëta,

Annosum Cytherea uirum, uetulamq; suauis
Lætitia quandoque implet repetita trementem.

At in pompis & sacrificiis non vir modò senex aut anus, non pauper duntaxat & plebeius, sed &

Ancilla suras crassa in pistrino molens,

& vernæ & mercenarij gaudio lætitiáq; efferuntur. Diuitibus & regibus conuiuia sunt, & viscerationes quædam publicæ: sed multo maiorem iis voluptatem ac delectationem sacrificia & solennitates prębent, vbi cum veneratione & cultu proximè animo ad deos accedere vidętur. At enim in nullam huius voluptatis partem venit, qui de providentia spem opinionémque abiecit. Non enim vini copia, aut carnium assatio id est quod in sacrificiis delectat:

sed bona spes atque sententia de præsentia dei propicij,& qui grata habeat ea quæ fiunt.Sunt quędam sacrificia, quibus fistulæ & serta adimuntur.Sacrificium deo non præsente,tanquam solennitas conviuij expers,reliqua habet impia,festiuitatis & instinctus diuini expertia. immò planè totum insuaue & molestũ Epicureo relinquitur. Simulat enim se adorare & vota facere, non quòd sibi his rebus aliquid quærat, sed metu multitudinis impulsus: vocésque contrarias his quas inter philosophandum ederet, pronunciat. ac sacrificans quidem mactanti sacriculo tanquam coquo adfistit:operatus autem sacris discedit,inquiens:

Rem sacram inutiliter feci. neque enim diis
De me ulla cura est. ——

Sic enim Epicurus censet sacrificantem debere se componere, neque invidere aut infensum esse vulgo hominum qui cum gaudio ista agunt, ipsi molestè ferentes.

Quod facere est etenim cumq; necesse,graue est,

inquit Euenus. Itaque etiam superstitiosos arbitrantur sacris & mysteriis interesse non gaudentes, sed sibi timentes. nihil ipsi iis meliore conditione,siquidem ob metum eadem agunt, neque tantum bonæ spei,quantũ illi,animo concipiunt:id duntaxat animo perturbato metuentes,ne deprehendantur multitudinem hominum impostura circumvenientes. adversus quam multitudinem libros etiam suos de deo & diuina natura composuerunt,

Cuncta inuoluta,distorta,& sani nihil:

sed in quibus suam opinionem metu adducti omnis generis tegumentis operiunt atque occultant.Porrò post malos & vulgus hominum, tertio loco consideremus hominũ præstantius & diis amicissimum genus quantis in voluptatibus sit, de deo purè sentiens.nimirum hunc omnium esse bonorum principem, omnium pulcrarum rerum parentem, neque fas eum aut agere,aut pati mali quicquam. Bonus enim cùm sit, bono nullius rei vel invidia vel metus, non odium, non ira subit. vt enim caloris non est refrigerare, sed calefacere: ita boni quoque non est nocere. Iram porrò à gratia, bilem à benignitate, ab humanitate & benevolentia malevolentiam ac tumultus animi natura longissimè deiunxit: cùm altera virtutis sint ac potentiæ,altera imbecillitatis & vitij.Non igitur ira aut gratia numen tenetur:sed suapte natura beneficum & auxiliare, irasci & lędere non nouit.Verùm magnus in cœlo Iupiter,volucrem citans currum primus deorsum concedit omnia componens atque procurans. reliquorũ deorum alius est largitor,alius blandus, alius malorum depulsor, & Apollo damnatus est eo nomine,quòd sit (vt ait Pindarus) benignissimus erga homines. Cęterùm omnia sunt deorum,Diogeni si credimus, itémq; amicorum cõmunia omnia:& boni diis sunt amici. itaque fieri non potest diis chari qui sunt,vt felices non sint: & homo temperans aut iustus diis non carus esse nequit. Ergóne aliam mereri pœnam putemus eos qui providentiã tollunt,non satis hoc ipso puniri,quod tantum sibi voluptatis atque gaudij adimunt, quantum nobis contingit hoc modo erga deos affectis? Epicuro quidẽ Metrodorus,Polyænus, & Aristobulus præsidium fuere & gaudiũ: quorum ille plerosque vel ægrotantes curans, vel mortuos deplorans vitam exegit. Quid Lycurgus à Pythia sic compellatus,

Care Ioui,cunctisq; domus quibus altus Olympus.

& Socrates existimans genium secum præ benevolentia loqui: & Pindarus audiens à Pane carmen quoddam cantari à se compositũ, mediocriter sunt gauisi? aut Phormio Castores,Aesculapium Sophocles hospitio suo exceptum ipsi persuasum habentes,aliisque idem sentientibus ob factam apparitio-

nem? Sententiam verò Hermogenis de diis, par est
» verbis ipsius referri. Hi, inquit, qui & sciunt omnia
» dij & possunt omnia, ita mihi sunt amici, vt propter
» curam quam pro me gerunt, nunquam eos lateam
» neque noctu neque interdiu, quamcunq; rem ag-
» grediar aut acturus sim. vtq; præscire possim exi-
» tus singularum rerum, eos mihi significant mitten-
» dis nunciis suis, ominibus, somniis, auguriis. Con-
sentaneũ quidem est pulcra esse quæ à diis veniunt.
sed hoc ipsum, suggeri ea diuinitus, magnam volu-
ptatem cõciliat, fiduciámq; immensam & animi ela
tionem ac gaudium velvti arridens bonis. Aliter af-
fecti, rerum secundarum suauissimum quod est mu-
tilant, in adversis quò se avertant, nihil sibi faciunt
reliqui: sed fortuna vrgente, ad dissolutionem & sen
sus vacuitatem tanquam vnicũ refugium & portum
respiciũt. Perinde ac si tempestate in mari agitatum
aliquis consolaturus sic dicat: Neque gubernato-
rem habet nauis tua, neque ipsi Castores suo super-
ventu emollient vim maris ingruentis, celeréque
ventorũ impetus. nihil tamen mali est: iam iam enim
nauim mare deglutiet, aut statim ad scopulos iecta
conteretur. Talis est enim planè oratio Epicureorũ
in morbis atrocibus & doloribus ingentibus. Spe-
ras aliquid boni à diis ob tuam pietatem? animo es
inflato: beata enim & interitus exsors natura ne-
que gratia capitur, neque ira. melius aliquid post
vitam oblatum iri sentis quàm in vita? in errore es.
quod enim dissolutum est, sensu caret. quod sen-
su caret, nihil ad nos. Quomodo itaque mi homo,
edere me iubes, & gaudere? quia scilicet tempesta-
te iactato imminet naufragium. dolor enim excel-
lens morti tradet. Atqui è naui quidem elapsus ve-
ctor dissipata, cum spe tamen aliqua vehitur, tan-
quam terræ corpus applicaturus & enataturus. Ho-
rum philosophia animo

E *ponti canis nusquam datur exitus undis:*

sed

sed statim abolitus est ac dissipatus, & corporis in-
teritum antevertit: adeò vt summo afficiatur gau-
dio, sapiens hoc & diuinum decretũ arripiens, mi-
seriarum sibi finem esse interitum, inq; nihil abitio-
nem. Verùm enimverò (hæc dicens me adspiciebat)
Fatuum est de hoc disserere, qui nuper vos audiue-
rimus sufficienter disputantes contra eos, qui Epi-
curi doctrina putant nos ad mortem obeundam fa-
ciliores æquioréque reddi quàm Platonis de animo
tractatione. Ergo, inquit sermonem excipiens Zeu-
xippus, hęc propter illam imperfecta erit disputa-
tio, & oraculum metuemus, contra Epicurum dispu
tantes? Minimè verò, inquam ego. nam secundum
Empedoclis sententiam,

Quæ sunt pulcra, iterum atq; iterum est audire necesse.

Itaque rursum nobis Theo est exhortandus: quẽ &
interfuisse illi disputationi puto, & adolescens cùm
sit, non metuit ne adolescentes ei obliuionis dicam
scribant. Tum Theo quasi vi adactus, Si videtur, in-
quit, sic agendum, non imitabor te Aristodẽme. Tu
enim veritus es huius sermonem vsurpare: ego au-
tem tuo vtar. Videris enim mihi rectè homines in
tria diuisisse genera: iniustorum vnum & malorum,
secundum vulgi & plebeiorum, tertium bonorum
& prudentũ. De his iniusti & mali supplicia in vni-
uersum pœnásq; dum timent, earúmq; metu à flagi-
tiis sese cohibent ac faciliùs quiescunt, suauiùs vi-
uent, ac minus dabunt turbarum. neque enim Epi-
curus alia re existimat ab iniusticia arcendos homi-
nes, quàm supplicij metu. Ergo his vltrò propinan-
da est superstitio, concitãdáq; adversum eos omnia
terrorum genera, quæ cœlo & terra suppeditãtur,
hiatúsque, & metus, & suspiciones: siquidem his
perculsi, honestiùs viuent atque placidiùs. Magis
quippe in rem ipsorum est, vt metu eorum quæ mor
tem sunt consecutura sibi à flagitiis temperent:
quàm facinoribus malis perpetratis vitam in metu

Hominum tria genera.

Superstitionis vsus.

ac periculis traducant. Vulgo autem hominũ, quod metu eorum vacat quæ apud inferos esse perhibentur, fabulis adiuncta sempiternitatis spes, ac viuendi desiderium, quo nullus est amor vetustior aut maior, voluptates quasdam & delectationes subiicit, puerilémq; istum metum eximit. Itaque vbi libe-

Essendi desiderium.

ros, vxores, amicos amiserunt: esse alicvbi & durare etiam in miseria malũt, quàm omnino periisse & ad nihilum redacti videri. Iidem ergo libenter audiũt ista vocabula, quibus eum qui moritur notantes, migrare aut commutare dicimus, aut quæ alia mortem non interitum, sed mutationem animæ evenientem significant. & sic ipsi loquuntur:

Isthic rursus ero cari memor ipse sodalis, &:
Quid Hectori tu nuncias per me, tuo.
Vel quid seni marito? ——

Hinc adeo conversione orta, arma, instrumenta, vestésque mortuis frequentiùs vsitatas, & vt Minos Glauco

Membra himuleæ uariæ defunctæ Creticas
Vbi tibias ——

iuxtà sepeliuerũt, æquiore sunt animo. & si quid moriens petat aut desiderare videatur, læti tribuunt. vt Periander mundum muliebrem vnà cum vxore, rogante & algere se dicente, cremauit. Aeaci autem, Ascalaphi, & Acherontes non admodum perturbant: quibus ij & choros, & theatra, & Musicá qua se oblectarent omnis generis obtulerunt. Eam verò mortis faciem vt terribilem, tetricã, tenebricosam omnes reformidant, quæ sensuũ priuatione omniũ, obliuione, & ignoratione describitur: turbantúrq; cùm mortuum audiunt periisse, sublatum esse, non iam esse ampliùs: & animo ægro tales admittunt voces,

In tellure consita arboribus
Computrescet hic liræ,

Et con-

Et conuiuiorum exsors,
Omnigeniq; tibiarum
Suauium sonitus. Item:
Asi hominis post mortem obitam reparabilis arte Iliad. 1.
Non ulla est animus semel expiratus ab ore.

Et sunt alicvbi, qui sese in carorum iugulant funeribus, isthæc dicentes: semel nati sumus homines: bis nasci non datur: porrò æuum nostrum iam desinere oportet. Hi enim vitam præsentem vt exiguam, immò vt pro nihilo si cum æternitate comparetur deputantes contemnunt, itáq; exigunt vt ea nõ fruantur, negligúntq; virtutem & actiones, collapsis animis seipsos spernentes vt ad ad vnius diei vitam natos, instabiles, & ad nullam rem factos memorabilem. Nam sensuum abolitio, dissolutio, & hæc ratio id quod sensũ cassum est nihil ad nos pertinere, non tollit mortis metum: sed quasi demonstratione eius adiicit. Hoc enim illud ipsum est, à quo sibi natura metuit:

Sed uos in terram cuncti redeatis, aquamq;. Iliad. 11.

nimirum ab animæ dissipatione tali, quæ ei intellectum & sensum auferat. quam Epicurus dispersionem in vacuum & atomos faciens, tãto magis spem perpetuitatis exscindit. ob quam spem parum abest quin dicere ausim omnes vtriusque sexus homines paratos esse Cerbero se dilaniandos permittere, & in dolium Danaidum aquam congerere, ea lege vt esse detur, neque prorsus aboleantur. Et verò hæc, vt dixi, non admodum multi metuunt, matrum & nutricum opiniones, ac fabulosa commenta. & rursum qui timent, quasdã initiationes & expiationes putant opitulari, quibus purgati permaneant apud Manes ludo choreísque dediti inter eos, qui lucem, spiritum, sonúmque mundum retinent. Vitæ autem priuatio, iuuenes senésque perturbat. Videmur enim infelici amore torqueri. tamen non

facilè aut citra moleſtiam iſthæc audimus

Infra terrà abiit fulgor,—— vt Euripid. loquitur. Et,

Iſthæc eum loquentem, lucidum iubar
Solis perennis exacto liquit die.

ita Epicurei cum immortalitatis opinione iucũ diſſimas plerorumque hominum & maximas ſpes tollunt. Quid cenſetis de bonorum exſpectatione? qui cùm vixerint piè & iuſtè, nihil poſt mortẽ mali, ſed bona pulcerrima & diuiniſsima ſibi pollicentur. Primò omnium, ſicvt athletæ non niſi peracto certamine & parta victoria coronantur: ſic illi victoriæ viuendo impetratæ præmia bonis poſt vitam dari iudicantes, mirum dictu eſt quantum huius ſpei gratia ſibi de virtute plaudant. qua in ſpei copia videre eſt etiam eos qui nunc ob opes & potentiam inſolenter ſe ac impotenter gerũt, melioréſq; ſtultè deſpiciũt, dignas pœnas luere. Deinde nemo vnquam eorum qui veritatis indagationi ac contemplationi fuere dediti, cupiditatem ſuam in hac vita expleuit, per corpus tanquam caliginem aut nubem humida ac perturbata vſus ratione. ſed auis inſtar ſurſum ſpectant, vtpote evolaturi hoc ex corpore in magnum aliquem ſplendidúmque locum animúmque a rebus caducis liberatũ, facilem expeditúmq; reddunt, philoſophádo vtentes pro mortis meditatione. adeò ingens aliquod & verè perfectum bonum exiſtimant eſſe mortem, quòd ab ea veram vitam ſit adepturus animus, qui hæc non rebus ipſis, ſed tanquam ſomniis rerum adficitur. Quòd ſi amici memoria eſt, quod voluit Epicurus, vndiquaq; iucũda: iam hinc intelligi poteſt quanto ſeipſos gaudio ſpolient, imagines & viſa mortuorum ſociorum opinantes ſe accepturos & venaturos, mentis ſenſúſq; inania: cum ipſis autem rurſum ſe verè futuros, carũq; patrem, caram matrem, & vxorem alicvbi probã viſuros ſe non ſperantes, neque animo præcipientes conſue-

Exſpectatio bonorũ poſt mortem.

conſuetudinem iſtam & familiaritatem, quam exſpectant qui de animo idem cum Pythagora, Platone, & Homero ſentiunt. Cuius rei ſimilis ſit ipſorũ ſententia, Homerus obſcurè ſignificauit, Aeneæ velvt mortui ſpeciem in medium proiiciens præliantiũ, poſtea ipſum illum viuum &

Intrantem firmo greſſúq;, & robore fretum
Egregio——

oſtendens ſociis, gaudentibus quòd ſimulacro amoto ipſis præberetur. Nónne igitur nos quoq; ita de Epicureis rectè ſentiemus, ratione demonſtráte ſore vt revera cum vita functis poſsimus congredi, priſtinámq; amicitiã renouare, eos iudicij inopia amoliri & abiicere nõ poſſe viſa iſta atq; cortices, in quibus lamentando nouiſq; ſe affectibus animi perturbando omne vitæ tempus conterunt. Præterea qui mortem alterius vitæ melioris initium exiſtimant, ij & rebus proſperè fluentibus maiorẽ capiunt delectationem ob maiorum exſpectationem bonorũ: & ſi hîc non planè ex animi ſententia res ſuccedãt, non admodum ægrè ferunt: ſed ſpes de bonis mortem ſubſecuturis conceptæ, inexplicabilibus voluptatibus & exſpectationibus præditæ, omnem deſectum, omnem offenſionẽ ex animo eluunt atq; abolent, velvti in via, aut declinatione potiùs breui itineris facilè ac mediocriter obvia quæq; ferente. At quorũ vitæ finis deſtinatus eſt ſenſus omnis amiſsio & diſſolutio, his mors quia non adfert mutationem malorum, vtrique fortunæ moleſta eſt, magis tamen proſperè quàm miſerè viuẽtibus. his enim amputat ſpem felicioris vitæ, illis certum bonum ac ſtabile, vitam ſcilicet iucundam, adimit. Et quemadmodum medicamenta non cõmoda ſed neceſſaria ſubleuant quidem ægrotos, ſed ſanos lædũt atq; diu exant: ſic Epicuri doctrina neq; adverſa cõflictatis fortuna vitam pollicetur meliorẽ: & quorũ res ſecũdæ ſunt, iis

finem felicitatis denunciat animi interitum atque dissolutionem. prudentium autem, sapientum, & bonis vigentium omnino deiicit animi læticiam tranquillam, eos è vita beata ad vitæ amissionem & in nihilum revocans. Cæterùm in promtu est cogitationem de amissione bonorum tantum adferre doloris, quantum gaudij exhibent spes de bonis præsentibus firmæ, eorúmque fruitio. At enim dicunt cogitationem de futura dissolutione ipsis bonum stabilissimum & suauissimum in animo relinquere, quia scilicet eximat suspicionem de infinitis & innumeris malis: atque hoc præstare doctrinam Epicuri, mortis metum animæ dissolutione reprimentis. Quod si verò suauissimum est liberari exspectatione malorum infinitorum, quomodo non erit molestum priuari spe æternorum bonorũ, & supremam amittere felicitatem. Bonum enim ventris, sed omnibus in vniuersum quę sunt cõtra naturam est & alienum, non esse. & quibus malo mortis vitæ mala auferuntur, ea sensus vacuitatem ita solatij loco habent, ac si subterfugissent. Contrà autem quibus è bonis in nihilum mutatio imminet, eorum video terribilissimum exitum, quo beatitas finietur. non enim natura sensus amissionem metuit tanquã initium alterius rei alicuius: sed quia præsentium bonorum est abolitio. Etenim quod nihil ad nos pertinere dicitur, ortum ex omnium nostrarum rerum interitu, iam cogitando ad nos pertinet, & sensuum amissio eos, qui iam non sunt, non afficit sanè molestia: afficit profectò eos qui sunt, planè in nihilum eos demergens, non sub terram aliquò saltem detrudens. Itaque ergo non Cerberus, neque Cocytus infinitum mortis metũ reddidit: sed minæ istæ, nos in nihilum iri redactum, vnde ad Esse non datur mutatio aut reditus his qui interierũt. Bis enim non licet nasci: & Epicuri de sententia oportet æuũ aboleri. Si enim non esse æuum finit, non esse autem infini-

Animi interitus.

Amittendi bona metus.

infinitum est & immutabile: iam paratum nobis est æternum malum, priuatio bonorum & sensus nunquam desitura. Et sapientiùs Herodotus, qui Deum inquit dulcedine æternitatis gustata, apparere invidum suapte natura esse. maximè quidem his qui beati putantur, quibus dulcedo gustum præbens eorum quæ amissuri sunt, esca est doloris. Quam enim læticiam, quam perceptionem voluptatis, quam exsultationem non expellat & frangat continenter ad animum áccidens cogitatio, fore vt in infinitum is tanquam vastum in mare effundatur, apud eos qui pulcrum & beatitudinem in voluptate ponũt? Tum si, quæ est Epicuri opinio, pleriq; vsu venit vt cum dolore intereant: planè nullam admittit cõsolationem mortis metus, per mala ad priuationem bonorum ducentis. Præterea non defatigantur Epicurei pugnãdo & omnes homines cogendo, vt malorum evitationem pro bono ducant, pro malo autem bonorum abolitionem non reputent: interim fatentur, mortem omni spe ac gaudio carere, sed præcisa esse omnia iucunda & bona. quo quidem tempore multa pulcra, magna, diuináq; exspectant, qui animos interitus expertes esse sentiunt & immortales, aut qui longas quasdã temporis circuitiones aliàs in terrá aliàs in cœlo peragrando conficiant, donec vnà cum mundo dissoluantur, cum Sole & Luna in ignem mente præditum conflagrantes. Huiusmodi campum voluptatum tantarum Epicurus exscindit, & iis quæ diuinitus sperãtur, (vti docuimus) muneribúsq; deorũ sublatis, studio cognoscendæ veritatis facultati cõtemplatrici, actrici cupiditate honorum ademto, naturam in læticiam animi corporis gratia conceptam, nimis hanc angustam, ac ne puram quidem, coniicit atque includit: tanquam si natura maius aliud bonum, quàm est mali fuga, haberet nullum.

PLVTARCHI

Libellus, An rectè dictum sit, Latenter esse viuendum.

QVI ne is quidem, qui hoc pronunciauit, latére voluit: sed ne lateret hoc dixit, tanquam reliquis subtilius aliquid intelligens: & cohortando ad nominis obscuritatem, iniqua ratione gloriam captauit. Ego autem

Odi sapientem, qui ipsus non sapit sibi.

Philoxenum Eryxidis F. & Gnathonem Siculum obsoniorum nimia cupiditate impulsos, narium sordes emungere in patinas solitos ferunt, vt aliis ab edendo deterritis ipsi soli implerentur propositis cibis. Atq; sic etiam isti nimio gloriæ studio repleti, gloriam apud alios traducūt tanquam riuales suos, vt ipsi ea absq; certamine potiri possint. Qua in re imitantur remiges. vt enim hi ad puppim nauis obversis oculis proram propellunt, nimirum vt ex allisione refluxus ortus lembum vnà incitet: ita qui talia dant præcepta gloriā ij tanquam aversi sectantur. Quorsum enim attinebat hoc dicere, quid scribere, scriptúmq; ad posteros edere, si fallere voluit eos qui tum erant, cùm ne ab olim quidē victuris se vellet ignorari? Verùm ipsa res quì non sit praua, Viue ita vt ignoreris? scilicet viue, vt qui sepulcrū recluseris. An viuere est turpe, ita vt omnes sciamus te viuere? Ego sanè dicere nō verear, Ne si malè quidem vixeris, dandam tibi operam esse vt lateas. immò enim innotesce, redi ad sanitatem, corrige peccatum. Siue virtus tibi adest, noli esse invtilis: siue vitium, noli negligere medicinam. Quin tu potius hoc distingue ac defini, cuinā homini istud Latére tuū præcipis. Si enim indocto, prauo, & fatuo, perinde

Ambitio occulta.

perinde est ac si febricitantē aut insanientē ex morbo occultare se iuberes, ne agnosceretur à medico, & se aliquò in tenebras abiicere vbi lateret vnà cū suis morbis. Tu quoq;, dicis vitioso homini, cum viis tuis te abde, morbúmq; insanabilem & pestilentem perfer, celāq; invidiam vel superstitionē velvti palpitationes quasdam, & tradere te iis qui docere ac sanare possunt caue. At verò prisci ægrotos suos in publico proponebant, vt prætereuntium quivis si quid vel ipse eodem morbo conflictatus, vel similiter laborauti opitulatus medelæ nosset, id ægrotanti significaret. aiúntq; artem hoc modo experientia adiuuante creuisse. Hoc modo etiam vitæ vitia animíque prauas affectiones expediebat detegere, vt cuivis liceret iis inspectis & consideratis dicere, Iratus es? hoc caue. riualitate vexaris? istud facito. amas? ipse quoq; aliquando amaui, sed resipui. Nūc dum vitia sua negant, occultant, velant: penitus ea in sese defigūt. Si verò bonis suades vt lateant, Epaminondam iube bello gerendo, Lycurgum legibus ferendis, Thrasybulum tyrannis occidendis, Pythagoram instituēdis discipulis, Socratem disputationibus supersedere. Immò tu primùm ipse Epicure, nō scribe ad amicos in Asia, non ex Aegypto hospitibus te præbe, nō stipator esto Lampsacenis ephebis, non libros ad omnes vtriusque sexus homines dimitte sapientiā ostentans, neq; de sepultura manda. Quid enim sibi volunt communes mensæ, quid necessariorum & pulcrorū conventus, quid tot milia versuum scripta & cōposita laboriosè in Metrodorum, Aristobulum, Chæredemum, vt ne mortui quidē ignorari possent, si obliuione virtutem, ocio artem, silentio philosophiam, obliteratione felicitatem leges tuæ describunt? Sin è vita, tanquam è conviuio lumen, aufers cognitionem, viuito sanè occultè, qui omnia è voluptate ad voluptatem facis. Omnino si cum Hedea meretrice sim vitam acturus

Vitia non tegenda.

aut Leontio,& inhonesti contemtum despuens bonum in carne & titillationibus quæsiturus : ista tenebras desiderent sacra, ista noctem, his obliuio & ignoratio induci debeat. At si quis in naturæ rerum investigatione deum celebret, Iusticiam, Providentiam: in morũ doctrina legem communionem, rempublicam, in rep. honestatem, non vtilitatem : cur viuens ignorari velit? an ne quem doceat, ne cuiusquam studium ad virtutem excitet, néve aliis exemplo sit? Si Themistocles Athenienſibus ignotus fuisset, non repulissent Græci Xerxem: si Camillus Romanis, periisset Roma: si Dioni Plato, non fuisset liberata Sicilia. Nimirum sic sentio. sicvt lumen non manifestos tantùm nos, sed & vtiles invicem facit: ita noticia nõ gloriã modò, sed & agendi materiam virtutibus parari. Epaminondas quidem ad quadragesimum vsque annum obscurus, nihil profuit Thebanis : postmodò cognitus & rebus præfectus, patriam pessum euntem seruauit, Græciámque seruitute liberauit, in fama tanquam luce virtutem apto tempore efficacem præbens.

Namq; æris instar quod longo post tempore
Vsu refulget attritum, uirtus uiri
Comperta splendet actionibus probis.

vt est apud Sophoclem.

Ocium. sicut contrà in ocio delitescens ingenium viri velvt æruginem ac senium contrahit. Quies enim alta, vitaque in ocio depositа, nõ corpora modò, sed & animos tabefacit. & sicvt aquæ latentes sub vmbra ac non fluentes putrescunt: ita in vita motuum expertes facultates hominibus insitæ consenescũt & pereunt, cùm quod vtile adfuit, vsurpatũ non est. Non vides, vt nocte appetente & corpora grauis quidam languor invadit, & animas torpor inefficax, & contracta in seipsam ratio tanquam obscurus ignis ob ignauiam & languorem leuiter divulsis agitatur visis

visis, hoc vnum indicans viuere adhuc hominem?

Verùm ubi Sol oriens uelocia somnia abegit,

& tanquam in vnum commiscens convertit & excitauit vnà cum luce omnium cogitationes : tunc (vt ait Democritus) noua initã die homines mutuis cõnatibus tanquam condimento quodã refecti, alius alivnde ad res agendas sese conferũt. Ac mihi videtur ipsa vita, & quòd homines nati sumus, ad innotescendum nobis diuinitus obtigisse. est autẽ quisque nostrûm obscurus & ignotus dum in vniuersi mole seorsim exiguus fertur. cũ autẽ inter se coëunt homines, adepti iam magnitudinem effulgent, clariq; ex obscuris fiunt, & conspicui ex abditis. Non enim noticia via est ad substantiam, vt nonnulli dicunt: sed essentia ad noticiam. Non enim ortus singulas res efficit, sed demonstrat: sicvt neque interitu res in nihilum rediguntur, sed tantùm in obscurum abducuntur. Hinc est quòd maiorum instituto Solem cum Apolline eundem putantes, Delium & Pythium cognominant à manifestando: sicvt adversæ dominũ sortis, siue is deus est siue genius, Adenominant (nos Plutonem:) quòd nos cum dissoluimur, abeamus in locum visui inaccessum : & vocant

Somni socordis dominum, cæcæq; noctis.

Existimo autem ipsum quoq; hominem veteres phota dixisse, quòd vnicuiq; nostrûm ob cognationem cum lumine (id ipsis est phôs) acris est insitus amor cognoscendi & innotescendi. Ipsam verò animam nonnulli philosophorum lumen, suapte natura esse *Lux.* statuunt, cùm aliis vtentes argumentis, tum quòd nullam rem anima magis aversatur quàm ignorantiam, & omnia lucis expertia vitat, tenebrísque turbatur, metuit, ac suspecta habet. ita autem ei dulce est lumen, ita desiderabile, vt nihil aliud ipsi iucundum sine eo aut in tenebris velit admittere : sed omnem ei voluptatem, iocum, ac delectationẽ lux

admixta velvti commune condimentũ ſuauem reddat atque gratam. Qui verò ſeipſum in obſcuritatem coniicit, ac ſe tenebris involuit, vitámq; inanis ſimilem ſepulcri facit: is ipſum videtur ortum faſtidire, & quod exſtiterit iniquè ferre. Iam recepta eſt hæc ſententia, eſſe quendam locũ, vbi pij poſt mortem degant.

* *His apud inferos per noctem*
* *Solis fulget iubar almi,*
Per prata puniceis roſis
Conſita. ——
Illis campus floridus patet
Virenſq; frondibus arborum,

fluuiiq; quidem lenes & lacrymarũ vacui perfluũt. mutuáq; ſe conſuetudine oblectant, commemorandis & explicandis rebus præteritis ac præſentibus.

* Tertia via eſt eorum qui impiè & flagitioſè vixerunt, quæ animas in orcum & voraginem detrudit,

Vbi immenſas tenebras eructant
Validi nigræ noctis fluuij,

recipientes & ignorantia ac obliuione occultantes eos qui puniuntur. Non enim vultures ſemper iacentium in terra depaſcuntur iecur. aut enim ignid aut putredine abſumtum eſt: neque ponderum moles geſtandorum fatigant atque conficiunt corpora pœnas luentium:

Odyſſ. λ. 218 *Non etenim fibris ſunt cinctáue carnibus oſſa:*

neque reliquiæ ſunt corporum poſt mortem, quæ cruciatus ſuſtinere poſſint. Sed revera vnicum eos qui malè vixerunt manet ſupplicium, obſcuritas & ignoratio, & abolitio in nihilum redigens, ac obliuione in fluuium illum illætabilem abripiens, inque abyſſum demergens, & in vaſtiſsimum mare, invtilitate & ocio, ignorationéque & obſcuritate omnia involuens.

PLV-

PLVTARCHI,

An Vitioſitas ad infelicitatem ſufficiat.

* * *

* *ſuſtinet*
Mulièbri dote corpus uenditum gerens,

vt eſt apud Euripidẽ: ſed pauca manifeſtata ſunt & inſtabilia. huic autem non multum per cinerem, ſed per regium incedenti rogum atq; ambuſto, anhelitus pleno & metus, & ſudoris tranſmarini, diuitias ea apponens Tantalicas, ob occupationẽ frui nõ valenti. Etenim Sicyonius ille equos alens, bono vſus cõſilio equâ Agamẽnoni velocẽ curſu donò dedit,

Vnà uentoſum ne miles ad Ilion iret; Ilia. ψ. 295.

ſed domi manẽs oblectaretur, in amplas diuitias & ocium moleſtiæ expers ſe reclinans. At qui nunc citra moleſtiam viuere, & rebus agendis dediti videntur, nemine vocante vltrò ſe præcipites devoluunt in aulas, comitatus, excubiáſq; laborioſas, vt equũ aliquem, ſcortum, aut aliud quippiam iſtarum quæ beare putantur rerum conſequantur.

Eſt & cui laniata genas ſit in ædibus uxor, Ilia. ξ. 700.
Et domus imperfecta: —— cùm ipſe interim trahatur & oberret inter alios, ſperans ac contumelias tolerans. Quod ſi adipiſcatur eorum quæ deſiderabat aliquid, circumagitatus, & oborta ad ludũ fortunæ vertigine, diſceſſum quærit, & beatos prędicat eos qui obſcuri vitam ſecurã agũnt. At hi contrà eum ſupra ipſos ſitum ſuſpicientes, felicẽ deputant. Sic vitioſitas afficit homines, omnia in ſe habens ad infelicitatem fabricandam poſita, neq; inſtrumentorũ egens, neq; famulorũ. Alij verò tyranni operã dãtes vt quos puniũt miſeros faciãt, carnifices alunt & tortores, & cauteria ac cuneos bruto animo

fabricantur. Prauitas absq; vllo apparatu, simul atque animum attigit, adfligit atque deiicit, implet dolore, lamentis, mœsticia, pœnitentia hominem. Indicium hoc certum est. Multi tacent dum secantur: tolerant flagrorum ictus: cuneis adactis torti à dominis aut tyrannis, vocem emittunt nullam: quandoquidem animus conniuens vehementiam affectionis tanquam manu iniecta comprimit atque cohibet. Excandescentiæ autem nunquā quietem imposueris, aut luctui silentium, aut metuenti vt substat persuaseris, aut ob pœnitentiam ægro ne vociferetur, néve in crines involet suos, aut femur pulset. Adeò vitium & igne est & ferro violentius. Ciuitates quando locationem templorum aut colossorum proscribunt, artifices audiunt de conducendo opere certantes, rationesq; & exempla adferentes. eum deinde deligunt, qui minori sumtu opus videtur confecturus & meliùs & celeriùs. Finge nos quoque publicè proposito scripto invitare, qui nauare velint mercede conducti operam ad vitam hominis miseram efficiendum. venire dicatum suā operam fortunam & vitiositatem, inter se contendentes. Fortunam adferre abundantiam omnis generis instrumentorum, quibus vita misera & miseranda possit effici. puta latrocinia, bella, tyrannorum homicidia, tempestates marinas, fulmen de cœlo immissum: tum cicutas, gladios, calumniatorum conductas copias, febrium incendia, compedes, carcerum circumventionem. quanquam pleraq; horum prauitati potiùs debētur quàm fortunæ. sed sint omnia fortunæ. Vitiositatem porrò nudam adstare, neque aduersus hominem vlla re externa indigentem: & è fortuna quærere: Fortuna, quo pacto miserum efficies hominem? Minaris paupertatem? deridet te Metrocles: qui hyeme inter oues, æstate in ve stibulis templorū dormiens, provocat ad certamen de felicitate Persarū regem Babylone hyemantem, & æsti-

Fortunæ & vitiositatis cōparatio.

& æstiuo tempore in Media degentem. Seruitutem, vincula, venditionem inducis? spernit te Diogenes, qui cùm à prædonibus venderetur, præconis voce proclamauit, Ecquis emere vult dominum? Venenatum temperas poculum? nónne & Socrati id præbibisti? ille tamen placido sedatóq; animo, nihil territus, & neque colore neque vultu mutato, admodum facilè ebibit. mortui verò beatitatem laudauerunt viuentes, vt ne apud inferos quidem absque sorte diuina futuri. Sanè ignem tuum Decius Romanorum imperator antevertit, quo tempore exstructo in medio exercituum rogo, ex voto sese pro patriæ principatu Saturno immolauit. & apud Indos castæ maritorúmq; amantes vxores de igni litigant atque certant: victricem, quia cum mortuo marito combvritur, reliquæ vt felicem laudibus vehunt atque decantant. ac qui sapientes ibi sunt, nullus eorum dignus admiratione, nullus beatus habetur, nisi viuus etiamnum, & animo ac corpore valens, animā à corpore igni discernat, purúlq; à carne discedat eluta mortalitate. At enim è magnis opibus, domo splendida, victu magnifico ad lacernam, peram, & quotidiani cibi emendicationem rediges? hæc verò beatitatis principia Diogeni, libertatis gloriæq; Crateti fuerunt. Inquies, in crucem te suffigam, aut ad palum. atqui Theodori nihil interest, humine an sublimè putrescat. sepultura isthæc Scythis beata putatur. canes Hyrcanorum, Bactrianorum volucres cadauera præscripto legum vorant, vbi feliciter vitam finiuerūt. Quos ergo ista faciunt miseros? eos qui molles sunt & parum habent rationis, malè educatos, non exercitatos, qui opiniones à teneris conceptas vnguiculis seruant. Proinde non fortuna infelicitatem perficit, nisi prauitate vtatur adiutrice. Sicvt enim ossa finduntur filo, postquā sunt aceto & cinere perhumectata, ac sicvt ebur Zytho emollitum atq; laxatum flectunt, inq; varias formas

fingunt, eũ id fieri aliâs non posit. sic fortuna quod à sese malè affectum, mollitúmq; est vitiis, superveniens vulnerat atq; perforat. Et quemadmodũ * nulli noxius, neq; lædens tangentes & gestantes, si dun taxat vulneratus aliquis inferatur, statim eum interficit affectionis quendam defluxũ in se recipientem. ita cuius animus à fortuna sit subvertendus, eum intra corpus suum oportet peculiare vulnus malúmq; habere aliquod: foris accidentia quod miseranda & lamentabilia redigat. Est ne vitiositas etiam talis, vt ad inferendam miseriam fortunę requirat opem? Nequaquam. Nõ asperum ac tempestuosum excitat prauitas mare, non deserto imminentes montium radices occupat ac cingit latronum insidiis, nõ agris frugiferis nubes grandinem eiaculantes immittit, non Melitũ, Anytum, aut Callixenum subornat sycophantam, non repulsam præturæ conficit, vt miseros faciat. sed percellit diuites, rebus abvndantes, hæreditatem adeuntes: terra marique subit & inhæret, cupiditatibus colliquans, iris incendens, superstitionibus conficiens, vultũ mutans.

PLVTARCHI
Libellus, de Amore prolis.

QVOD ad peregrinos iudices Græci appellauerunt aliquando, & in alieno foro litigauerunt, id initiò hinc excogitatum fuit, quòd alij de aliorum iustitia diffidentes, eam vtrem necessariam & apud ipsos non exsistentẽ alivnde petendã sunt opinati. Nónne eodem modo philosophi etiã de quæstionibus quibusdam propter mutuas invicem dissensiones ad naturam brutorum animalium, tanquã ciuitatem alienam, provocauerunt, eorúmque affectionibus & ingeniis, vtpote integris & nullo alloquio,

quio, nullo dono corruptis, iudicium permiserunt? Aut hoc quoque commune est humanæ vitiositatis crimen, quòd de maximis & adprimè necessariis rebus dissentientes, apud equos, canes, & aues quærimus, quomodo nobis matrimonia contrahenda, proles procreanda & educanda sit: ac quasi nihil in nostra natura sit proditum, brutorum mores & affectus appellamus: hócque adversus vitam nostram testimonij dicimus, multa in ea cõtra naturã agi atq; vsurpari, statim ab initio & primis in rebus confusione ac perturbatione insinuante. Nam in brutis quidem proprietates suas natura sinceras simplicésque conseruat. inter homines ratio & consuetudo eas, sicvt oleum solent seplasiarij, multis permiscens opinionibus ac iudiciis adscititiis, nõ patitur simplices manere, sed multipliciter variat. Neque est quod miremur bruta magis quàm ratione prædita sequi naturam: nam in eo bruta etiam superantur à plantis. hæ enim neq; imaginandi vi, neque appetitu præditæ qui naturam aliò averteret, tanquam vinculo constricta manent ac tenentur, vnicúmq; semper natura ductum sequuntur. Brutis rationis mansuetudo, subtilitas, & libertatis studium non admodum sunt insita: incitationes tamen & cupiditates rationis expertes habent, quibus vsa evagantur: plerunq; tamen nõ longè efferuntur, sed in natura tanquam anchora subsistunt. Sicvt itaq; asinum habena & fræno dominus dirigit: sic & in homine ratio, penes quã principatus est, modò has modò alias inveniens digressiones ac diverticula, nullum conspicuũ aut evidens relinquit naturæ vestigium. Initiò in brutis cõsidera, quam sint omnia naturæ accõmodata. Primùm nõ exspectãt dum leges contra cœlibatũ aut seriùs matrimoniũ ineuntes se rantur, vt Lycurgi & Solonis ciues. neque metuunt ignominias prole carentibus propositas, aut honores trium liberûm: sicvt Romanorum multi vxores

Coniugia brutorum.

ducunt & liberis operam dant, non vt hæredes, sed vt jus adeundæ hæreditatis habeant. Deinde miscetur mas fœminæ, non omni tempore: quia non voluptas ei, sed procreatio est finis propositus. Itaq; verno anni tempore, cùm auræ spirant genitabiles, & temperie prægnantibus commodæ, coit cum mare fœmina mansueta & desiderabilis, suaui corporis odore, & peculiari corporis ornatu exsultans, rore & pura herba impleta, ac vbi se cõcepisse sentit, modeste abit, & ea prospicit quæ ad fetum perferẽdum odendúmque pertinent. Quæ agant, dignè dici nequit, in omnibus quidẽ amor prolis est manifestus, in prouidendo, in tolerando, in continentia. Cæterùm nos apem sapientem vocamus, ac celebramus,

Mel flauum meditantem:

adulantes ei ob dulcedinem nos titillantem, reliquorum animalium sapientiam & artem, quam adhibent partui & educationi, negligimus. Occurrit primo loco alcyõ, quæ postquam concepit, nidum componit ò spinis marinæ acus, quæ inter se complicans atq; conserens, formam circumfractam, qualis est retis piscatorij, & prælongam struit, conuinctóq; densa serie spinis interse accurrate contextis, corpus illuuiei vadarum supponit, vt paulatim percussum atque stipatũ textum, solidam nanciscatur superficiem. ita autem duratur, vt vix diuidi lapille aut ferro possit. & quod est mirabilius, orificium nidi ea proportione ad modum & magnitudinem alcyonis effingitur, vt nullum neq; maius intrare neq; minus animal possit, ac (vt nonnulli tradunt) ne mare quidem aut rem vllam minimam admittat. Maximè autem feles viuum edunt partum, qui catulos in se continent, eósque sinunt foras prodire ac pasci, deinde rursum intra viscera recipiunt dormituros. Vrsa, animal quo neq; deformius est aliud, neque morosius, informes artubúsq; carentes catulos parit. lingua autem tanquam instrumento format membra: vt non solùm

Alcyones.

Feles.

Vrsa.

párere

párere, sed etiam fabricari videatur fetum. At Homericus leo ille:

Cùm venatores, catulos dum ducit, in alta *Iliad. ρ. 135.*
Occurrit sylua, frendens, & robore fretus
Omne supercilium tectis demittit ocellis.

nónne tibi videtur similis esse meditanti cum venatoribus de catulis pacisci? in vniuersum enim amor prolis animalia audacia redigit timida, & de segnibus industria, ac de gulosis parca. Sic Homerica illa auis pullis tradit

Escæ quidquid habet, malè sit sibi quamlibet ipsi. *Iliad. ι, 324*

sua enim ipsius fame pullos alit, cibúmque iam ventri appropinquantem abstinet & ore premit ne imprudens deglutiat. Apud eundem Poetam,

Vt cum pro teneris catulis canis anxia latrat *Odyss. υ, initio.*
Igroto accedente uiro, pugnæq; parat se:

metum pro catulis quasi secundam iram concipit. *Perdices.* Perdices quando vnà cum pullis exagitantur, eos prævolare sinunt ac fugere, idq; machinãtur in propinquo voluentes se ac post pullos relictæ, vt aucupes ipsas capiant: deinde paululum cursu prouectæ, rursum spe capiendi aucupem iactãt, donec ita partã pullis suo periculo securitatem longiùs producant persequentem. *Gallinæ.* Gallinas autem quotidie ante oculos habemus, ac cernimus quo modo pullos suos foueant, alios passas sub alas recipientes, aliis tergum conscendendum & vndiquaque aditum præbentes, simúlq; blandam & gaudij indicem vocem edentes. eædem canes & angues fugiunt, cùm sibi metuunt: cùm verò pullis timent, defendunt, & vltra quàm vires patiantur iis propulsandis certant. Enimverò huiusmodi affectiones opinabimur istis animalibus ingenerasse naturam, de gallinarum, canũ, vrsarum propagatione solicitam: non nobis hoc modo pudorem voluisse incutere? nimirum reputantes, ista naturam sequentibus exemplorum loco esse: duris

autem ſuam exprobare inhumanitatẽ, propter quos ſola hominis incuſatur natura, quòd amorem gratuitum non ferat, neque niſi vtilitatis cauſa diligere nôrit. In admiratione enim eſt is, qui in theatris pronunciauit:

Mercedis ergò namq; hominem homo diligit.

Epicurus cenſet hoc pacto à parentibus liberos, & à liberis parentes amari. Quòd ſi ſermonis intelligentia brutis concederetur, & coactis in theatrum commune equis, bobus, canibus, volucribus, mutato carmine pronunciaret aliquis, neq; à canibus catulos mercedis gratia, neque ab equis equuleos, neque ab auibus pullos, ſed gratis & naturæ impulſu diligi: omniũ brutorũ affectionibus hoc vt rectè ac verè dictum approbaretur. Turpè enim, proh Iupiter, fuerit, beſtiarum procreationes, partus, dolores in partu, educationes gratis eſſe & à natura: homines verò fenus, mercedem, arrabones iſtarũ rerum cauſa exigere. Sed neq; verum hoc eſt, neq; dignum creditu. Natura enim ſicvt in plantis ſyluestribus, vt labruſcis, caprificis, oleaſtris principia fructuum mitium cruda & imperfecta gignit: ita brutis quoq; amorem fetus inſeuit imperfectum & non pertinentem ad iuſticiam, neque vltra vtilitatem ſeſe proferentem. homini verò, quem protulit vt animal eſſet ratione præditum ac ciuile, iuſticiámque, leges, & deum coleret, vrbéſq; conderet & amicè cùm aliis viueret: ſemina quoque harum rerum præclara, pulcra, & fecunda inſeruit, amorem ſcilicet prolis: ſecuta in hoc prima principia, quæ in ipſa corporis inſunt conſtructione. Etenim natura, cùm omnibus in rebus accuratam artificioſamq; adhibeat diligentiam, nihílque mancum aut ſupervacaneum admittat, & (vt ait Eraſiſtratus) nihil habeat ocioſum aut friuolum: nulla oratione ſatis explicari poteſt, qua induſtria confecerit ea quę ad humani generis procreationem attinent. Ac fuerit fortaſſe non ſatis decorum

Homines à natura eſſe ămătes prolis.

corum nimis ſubtiliter ea perſequi, quorum vocabula parum honeſtè proferuntur, ſed occultantur: vt intelligi poſsit quæ ſit & quàm apta conſtitutio eorum membrorum, quæ gignendo, fouendo, in lucem edendo & enutriendo homini natura deſtinauit. Sola lactis cõfectio ac diſpenſatio ſufficit ad demonſtrandam naturæ providentiam atq; induſtriã. Quantum enim ſanguinis in mulieribus ſupra neceſſarios vſus abundat, atque ob languorem exiguitatẽmq; ſpiritus in ſuperficie vagans moleſtia adficit; id reliquo tempore ſolet menſtruis dierum circuitionibus, natura ad hoc canales & meatus aperiente, effundi, & cùm reliquum corpus leuare ac purgare, tum vterum tanquam aruum aratro & ſemini concipiendo aptum auidúmq; tempeſtiuè reddere. Verùm poſtquam genitale ſemen complexus eſt vterus, actis iam radicibus: (primùm enim in vtero vmbilicus naſcitur, vt ait Democritus, tanquã anchora qua fetus nitatur contra fluctuationes, & tanquam retinaculum aut pedamentum cõceptæ ſobolis) ibi tum menſtruæ illos purgationi aptos meatus natura occludit, ſanguinemque vagum arripiens, eo alimenti loco vtitur, fetúmq; humectat eo, qui iam cogitur & fingitur, donec iuſto dierum numero in vtero exacto auctus, alium locum is, aliúmq; victum requirat. Exinde natura quouis ſolertior colono ſanguinem ad alios identidem deriuans vſus, paratos habet quaſi ſubterraneos fontes quoſdam, qui laticem affluentem recipiant. & quidem recipiant non ociosè aut ſine affectione aliqua, ſed ſpiritus leni calore muliebríq; mollicie excoquãt, læuigent ac mutent. Hoc enim modo vbera interne ſunt affecta atque temperata. Lac autẽ ex iis non per tubulos confertim effunditur. ſed in carnem ſcaturiginum plenam ac ſenſim exilibus meatibus perviam deſinentia vbera, infantis ori tactu ſuaue & lene penu præbent. Verũ enimverò hęc tot tantáq; ad procreatio-

Lactis confectio.

nem instrumenta, tot apparatus, tantum studiũ, tantáq; providentia nihil erant profutura, nisi parientibus natura amorem procurationémque fetus sui ingenerasset.

Ilia.p.446. *Quando nil spirat, terra neque repit in alma*
Tam miserum, quàm sunt homines. —

id quod de infante recèns nato dictum, minimè fallit. Nihil enim est ita imperfectum, inops, nudum, informe, spurcum, vt homo à partu statim conspectus: cui soli ferè ne exitum quidem in lucem mundum natura concesit: sed sanguine inquinatus, tabóque oppletus, & occiso magis quàm nato similis, à nemine tangi, tolli, suauiari, ac amplexu foueri potest, nisi natura insitum gerente amorem. Itaq; âliis quidem animalibus infra ventrẽ vbera in mammas desinunt: mulieri supernè ad pectus nascuntur, vt in promtu sit osculari, amplectiq; & fouere infantem. nimirum quia pariendi & alendi finis est non necessitas sed amor. Refer enim sermonem ad prisca tempora. quæ primæ pepererunt, qui primi natum infantem viderunt, his neque lex vlla necessitatem alendæ prolis imponebat, neque exspectatio gratiæ iubebat infantibus alimenta tanquam fenore locare. Quinimmò infensæ potiùs proli, & memores acceptorum maleficiorum erant alioqui futuræ: vtpote tantis periculis, laboribus, doloribúsque exhaustis.

Ilia.λ,269. *Vt cum parturiens mulier penetrante sagitta*
Fixa gemit, duris quam partibus Eilethyæ
Quæ præsunt natæ iaciunt Iunonis acerbam,
Et sæuos partu cumulant urgente dolores.

Hæc mulieres aiunt non ab Homero scripta fuisse, sed ab aliqua Homeride, quæ peperisset, aut etiamnum páreret, mixtionémq; doloris simul acerbi atq; acuti in viscéribus sentiret. Verùm insitus à natura amor parientem flectit atque ducit. Etiamnum calida doloribus, ac cruciatibus concussa & tremebunda, in-

da, infantem non præterit neque fugit, sed ad eum se convertit, arridet, tollit, osculatur: nullã sanè percipiens dulcedinem, nullam vtilitatem, sed laboriosè ac ærumnosè

Ad hoc paratis excipiens cunabulis
Fouet, refrigeratq; identidem nouum
Cumulans labore laborem, nocturnumq; opus
Mutans diurno. —

Qui vitem æquinoctio verno serit, vuas ex ea legit autumnali. occidentibus Pleiadibus qui triticũ seminat, metit sub ortum earum. Boues, equi, alites, iam vsibus paratos edunt fetus. Hominis educatio laboriosa est, incrementũ tardum, virtus ita in longinquo sita, vt plerique parentes priùs ex hac vita decedant, quàm filij virtutem suam demonstrent. Non vidit Salaminiã Themistoclis victoriam Neocles, neq; Cimonis res ad Eurymedontẽ gestas Miltiades, non audiuit Periclem concionantẽ Xanthippus, neq; Platonem philosophantem Aristo. neque Euripidis & Sophoclis victorias patres eorum cognouerunt. Balbutientes eos, & litteras in syllabas cogentes audiuerunt: comesationes, potationes, amores, aliáq; id genus filiorum delicta videre patribus contingit. adeò vt illa duntaxat Eueni inscriptio memoretur ac laudetur:

Per tempus patri est filius omne dolor.

Et tamen finem non faciunt filios educandi: ij maximè, quibus nihil opus est filiis. ridiculum est enim opinari diuites natis ipsis liberis rem sacram facere & gaudere, quia habeant alimenta præbituros & sepulturam curaturos. Nisi me hercle hæredum inopia liberos alunt: scilicet quia non licet inuenire qui aliena accipere velit. Arena, puluis, & pennæ auium varias voces edentium tanto nõ sunt numero, quantus est hæreditates ambientium. Danaus filiarum L fuit pater. qui si prole caruisset, vel plures habuisset

hæredes. Tum diuersa est ratio. Filij enim gratiam hanc ob causam non habent, neque colunt ac venerantur eo nomine: sed vt rem debitam hæreditatem exspectant. At alienorum circa liberis carentem vôces audiuntur, similes comicis istis:

Impone, sorbe, deuora, habet triobolum,

Iam quod Euripides dixit,

Hominibus amicos conciliat pecunia,
Rebusq; plurimum in mortalium potest:

non est simpliciter verum, sed de iis quibus nulli sunt liberi. His pecuniam diuites dant mutuam, hos principes colunt, his solis oratores gratis patrocinantur:

Multum potest hæredem habens incognitum
Diues.—

itaque ergo multos qui amicorum magnum haberent numerum, & à multis honorarentur, vnica nata proles amicis potentiaque exuit. Ita ne ad potentiam quidem liberi conducunt: sed naturæ tota est vis, non minùs apud homines, quàm apud bestias. obscurantur enim & hæc & multa alia à vitiis: sicvt cum sylua hortensibus seminibus consita floret. An hoc dicemus, ne seipsum quidem diligere hominem? quia multi seipsos iugulant aut præcipites dãt, & Oedipus sibi

Oculos domo funesta auersos eruit:

& Hegesias sua disputatione multos auditorũ permouit vt mortem sibi consciscerent.

Multæ sunt species rerum fatalium.

Verùm & hæc & ista, morbi sunt, affectionésque animi à sua desciscẽtis natura. & homines ipsi hæc contra se dicũt testimonium. Si enim porca aut canis à se editum fetum dilaniauerit, animũ abiiciunt, perturbantur, ac diis pro auerruncanda calamitate sacrificant, rémq; pro ostento habent: quia sentiunt à natura animalibus omnibus datum vt ament suos setus &

tus & enutriant, non vt interficiant. Enimverò sicvt in metallis aurum quanquã multa terra permixtum atq; tectum, tamen enitet: sic natura etiam in vitiosis factis atq; affectibus amorẽ prolis declarat. Pauperes enim non alunt liberos, metuentes ne iusto deteriùs educati, seruiles, & rudes culturę, omniũq; bonorum inopes fiant. nam paupertatem, quàm vltimum malorum censent, tanquam grauem & magnum morbum, non sustinent suæ proli tradere.

PLVTARCHI
De Isiride & Osiride liber.

QVi sapiũt, ô Clea, iis omnia bona sunt à diis immortalib. petẽda. maximè autẽ cognitionẽ deorũ pro captu humanæ naturæ consectantes, ab ipsis petimus nobis eam cõcedi: quia neq; maius homo accipere, neq; dignius dare munus homini deus potest veritate. Reliqua quippe non sibi propria & peculiaria deus homini largitur, possidens ea atque vsurpans tantùm. Neq; enim argentũ & aurum deo beatitatem, neque tonitru & fulmen vim parat: sed scientia & prudentia istas laudes consequitur. Ac omnium quæ dixit Homerus, hoc est ab eo præclarissimè pronunciatum:

Est ambobus idem sanè genus, & patria una. Ilia. v, 354.
Sed Iupiter natu prior exstat, pluraq; nouit:

maiestate Iouis imperiũ anteire dicens, quod scientia & sapientia esset antiquius. Existimo etiam æternæ vitæ, quam Deus occupauit, beatitatem in eo esse, quòd cognitiones vi præterita non dimittit. alioqui cognitione & intelligentia rerũ sublatis, immortalitatem non esse vitam sed tempus. Est ergo diuinitatis appetitus, veritatis, maximè de natura deorum, indagatio, tanquam recuperationem sacrorum

vsurpans, inquisitionem ac perceptionē: & res quavis castimonia, quavis æditui munere sanctior. non leuiter eadem grata isti deæ, quam tu colis eximiè sapientem & rerum cognitionem deditam: & ipso è nomine intelligitur, nulli alij numini magis conuenire scientiam atque cognitionem: Græca enim Isis vox est, à scientia demanans. & huius deæ inimicus Typhon, à fastu (quityphos Græcis dicitur) nomen habet, quòd insciția & erroribus inflatus, discerpat aboleátque sacram doctrinam, quam dea colligit, componit, traditq; diuinitati comparandæ initiatis. quos ea temperanti continenter victus rationi, & abstinentiæ multorum ciborum ac rei Venereæ adsuefactos, qua libido & voluptatum appetentia reprimuntur, sacra in templis luxus expertia & austera obire condocefacit. quorum finis est, primi, rerum domini, ac sola mente percipiendi cognitio dei: quem dea apud se quærere iubet, secum degentem. Ipsum quoq; fani nomen palàm pollicetur cognitionem & scientiam Entis, appellatur enim Isæum, vt cum ratione & sanctè adeamus sacra deæ, cognituri Ens. Ad hæc Isidem multi Mercurio, multi Prometheo natam perhibent: quorum hunc sapientiæ & prouidentiæ, illum grammaticæ & musicæ inventorem esse censent. Itaq; Hermopoli etiam Musarum priorem Isidis & Iusticiæ nominibus afficiunt, quòd sit (vt diximus) sapientia, réfq; diuinas demonstret iis qui re vera ac ritè à sacris gerendis sacróq; vestitu Hieraphori & Hierastoli nominantur. Hi autem sunt qui sacram de diis doctrinam omni à superstitione & curiositate puram in animo suo, tanquam in cista, gestant atq; continent: fugiúntq; atra & vmbrosa, manifesta autem & splendidam de Deo sententiam monstrantia amplectuntur. Quod ipsum veste quoque sacra innuitur. Itaq; mortui Isiaci hac ornantur. quod signum est eò istos abire, nulla alia re quàm doctrina instructos. Non enim

enim ô Clea, philosophum barba & pallium, neque Isiacum lini gestatio aut rasura faciunt. sed Isiacus is verè est, qui quæ ostenduntur & aguntur de diis istis, ritè comparat cum rebus, & veritatem philosophica inquisitione indagat. Vulgo enim etiam vsitatissima ista atque minima sunt incognita, cur capillos ponant sacerdotes, cur lineas gerant vestes. quidam ne curāt quicquā his de rebus cognoscere: alij lanis eos vt & carnibus ouiū religionis gratia putant abstinere, radi capita ob luctum, linum gerere ob colorem quem flos lini habet similem nitori ætheris mundum ambientis. Vera autem horum omnium causa est, quod purū tangi à non puro nefas est, vt ait Plato. atqui nullum excrementum alimenti, nullum reiectaneum castum purúmve est. cæterùm ex excrementis nascuntur lanæ, villi, crines, vngues, atque germinant. ridiculum verò fuisset, Isiacos, vbi castimoniæ gratia suos posuissent capillos, raso æqualiter toto corpore, amiciri pecorum lanis & eas gestare. Quod autē Hesiodus præcipit:

Rasura capitis & linearum vestium vsus causa.

Nunquam à quinque fronde inter conuiuia diuūm
A uiridi siccum cures abscindere ferro. Operib. 741

docere eum est intelligendum, debere nos rem diuinam obire, iam ante vnguibus defectis aliisque id genus rebus procuratis, non in ipsis sacrificiis adhibere purgationem & excrementorū remotionem. Linum porrò è terra nascitur immortali, & fructum fert esui aptum, vestem exhibet tenuem ac puram, quæ gerentem non grauat, & est apta omnibus anni temporibus, miniméq; pediculos gignit, vt aiunt. de quo alia est disputatio. Sacerdotes autem ita abhorrent ab excrementorum natura, vt non legumina modò pleraque aversentur, & carnes ouillas ac suillas, quæ multū supervacanei gignunt: sed salem quoq; cibis detrahant quo tempore sanctè ac purè viuunt. cùm aliis hoc de causis, tum quòd sal appe-

titu exacuendo magis bibulos & voraciores reddit. stultum est enim salem propterea pro immundo haberi, quòd, vt Aristagoras ait, dum is cogitur, multa animalcula deprehensa ei immoriantur. Dicuntur etiam Apin peculiari è puteo potare, & à Nilo eum omnibus modis arcere. non quòd pollutã Nili aquam propter crocodilum censeant, vt visum quibusdam: cùm nihil in maiore sit Aegyptiis honore atq; Nilus. sed quia eius aqua pota creditur pingue dinem carnisq; magnum efficere incremẽtum. non volunt autẽ Apin pinguem esse & multa carne obesum, vt ne seipsos quidem: sed animis volunt leuia atque gracilia circumdata esse corpora, ne diuina pars à mortali prematur atq; adfligatur. Iam vinum ij, qui Heliopoli Solem colunt sacris, nullum prorsus in templum inferunt: quòd nõ conueniat interdiu bibere, domino & rege inspiciente. reliqui vino vtuntur, sed modico admodum habẽntque multos ritus quos purè castéque obeunt, vini expertes, vbi philosophando, rebus sacrisq; docendis ac discẽdis tempus exigitur. Reges quoq; ex sacrarum præscripto litterarũ certa mensura vinum bibebant, vt scribit Hecatęus, quia & ipsi essent sacerdotes. Bibere cepit Psammetichus, cùm neq; bibissent antè, neq; diis libassent vinum, non id gratum diis rati, sed sanguinem eorũ qui aliquando bellum diis intulissent: ex quorum cadaueribus terræ permixtis putant vites esse ortas. itaque etiam ebrietas insanos facit & abalienat mentẽ, impletis hominibus sanguine suorum maiorum. Atq; hæc Eudoxus secundo Circuitionis libro à sacerdotibus ita narrari scribit. Piscibus autẽ marinis non omnes omnibus, sed quibusdam abstinent: vt Oxyrynchitæ hamò captis. quia enim oxyrynchum piscem sic ab acuto dictum rostro venerantur, metuunt ne hamus aliquando ab oxyryncho tactus polluatur. Syenitæ etiã phagrum cauent. videtur enim vnà cum Nilo apparere, eiúsq;

Vinum.

exoptatum

exoptatum incrementum conspectus ipse nunciare. Sacerdotes omnib. abstinent piscibus. Primi autem mensis nono die, cùm reliquorũ Aegyptiorũ vnusquisque ante fores domus suę assum piscem edat: sacerdotes nõ gustant, sed ante ianuã ædium combvrunt pisces. Cuius rei duæ sunt rationes. sacra altera & subtilis, quam infrà adducam, concinentem iis quæ de Osiride & Typhone piè philosophamur. Altera manifesta est & in prõtu, piscem cibi genus esse nõ necessarium sed supervacaneũ. & suffragatur Homero, qui neq; Phæaces istos delicatos, neq; Itacenses insulares piscibus vti scripserit, ac ne socios quidem Vlissis in mari támq; longa nauigatione priùs quàm extrema adegit eõ inopia. Planè autẽ mare ab igni cẽsent factũ, exclusum finib. elementorũ: quòd neq; mundi pars sit, neq; elementũ, sed alienũ excrementũ, corruptũ & morbosum. Etenim in sacrificia nihil est insertũ ratione carens, aut fabulosum, aut à superstitione profectum, vt nõnulli censent. sed alia morales habẽt vtiléſq; causas, alia historicæ aut è natura rerũ repetitæ elegantiæ non sunt inania. Quale est de cępa. incidisse enim in fluuium ac periisse Dictyn Isidis alumnũ dũ cæpas captat, extremè est absurdũ. Sed sacerdotes aversantur cæpam & cauent, quia sola hæc planta Luna decrescẽte vigere & augescere solet. & cæpæ vsus neq; castimoniã exercentibus commodus est, neq; dies festos celebrãtibus: alteris quia sitim creat, alteris quia lacrymas elicit. Suem quoq; alienum à sacris animal censent. quòd maximè coëat Luna decrescente, & lac eius bibentium corpora lepram asperámque scabiem efferant. Quod autẽ semel in plenilunio suẽ mactantes comedunt, rationémq; hanc reddunt, Typhonẽ cùm plena Luna suem persequeretur reperisse ligneã arcã, in qua Osiridis corpus iacebat, idq; diiecisse: id nõ omnes probant, sed, vt & alia multa, non rectè inauditam rem existimant. Enimverò priscos aiunt ita

Piscis qualis cibus.

Mare.

Cepa.

Sus.

Frugalitas. luxuriam, prodigalitatem, ac deliciarum ſtudiũ trã duxiſſe, vt columnam quoque perhibitum ſit Thebis in templo poſitam fuiſſe, in qua diræ imprecationes inſcriptæ fuerint in Mænim regem, qui primus Aegyptios à tenui,& opum pecuniæq; non indigente victus ratione deduxiſſet. Dicitur etiã Technatis Bocchorem qui filium habuit,cùm expeditionem in Arabes faceret,& impedimenta moraretur,obvio cibo ſuauiter vſus,ſuper toro ſomnum capiſſe profundum.eáq; re inductum,Mænin fuiſſe exſecratum, ac approbantibus ſacerdotibus exſecrationem eam in columna inciſam poſuiſſe.Reges porrò aut è ſacerdotibus, aut è bellicoſis legebantur: cùm hæc gens ob virtutem, illa ob ſapientiam in honore & autoritate eſſet. Qui autem è bellicoſis creabatur rex, ſtatim ſe ſacerdotibus dabat,ac philoſo-

Philoſophia Aegyptiorũ. phiæ fiebat particeps, pleraque fabulis occultantis ac ſermonibus obſcura veritatis indicia & argumenta habentibus. quod ſanè ipſi declarant, ante templa Sphinges plerunq; collocantes: quo innuunt, ſuam rerum ſacrarum doctrinam conſtare perplexa & ſub involucris latẽte ſapientia. Quod Sai eſt Mineruæ,quam eandem cum Iſide arbitrantur,ſanum, hanc habebat inſcriptionem: Ego ſum omne quod exſtitit,eſt,& erit.meúmq; peplũ nemo adhuc mortalium detexit.Porrò cum pleriq; exiſtiment pecu-

Iupiter Amũ et Ammon. liare apud Aegyptios nomẽ Iouis eſſe Amũn, quod nos producto vocabulo Ammonem dicimus:Manethos Sebennita ea voce occultatum & occultationem iudicat ſignificari: Hecatæus autem Abderita hoc verbo invicem vti Aegyptios ait cum alter alterum vocat. eſſe enim vocem invocatiuam: & cùm principem deum eundem cum Vniuerſo putent,vtpote obſcurum & abſcõditum, vocari ab iis & orari Amũn dicentibus,vt prodat ſe ac conſpiciendum præbeat.Talis ergo fuit Aegyptiorum accuratio in contemplatione rerum diuinarum.Teſtimoniũ perhibent

hibent etiam Græcorum ſapientiſsimi, Solon,Thales,Plato,Eudoxus,Pythagoras, & quorundam opinione etiam Lycurgus,qui in Aegyptum venerunt, & cum ſacerdotibus verſati ſunt.& ab Eudoxo quidem Chonuphin Memphitam fuiſſe auditum aiunt, *Pythagoræ philoſophia.* à Solone Sonchiten Saitã, à Pythagora Oenuphin Heliopolitam. Pythagoras autem maximè,vt appareret, in admiratione habitus admiratúſque ſacerdotes iſtos, imitatus eſt rationem eorum,res notis quibuſdam & per ambages proponendi, ſuáſq; ſententias involucris texit. Nam quæ vocãtur litteræ hierogliphicæ, his pleraque Pythagoræ præcepta nihil concedũt,qualia ſunt, Non edere in curru,Non inſidere chœnici, Non plantare palmam, Ignem in ædibus gladio non agitare. Ego verò ſentio, quòd Pythagorei vnitatem appellant Apollinem, binarium Dianam, ſeptenarium Mineruam,primum cubum Neptunum, convenire cum his quæ fixa ſunt in templis,atq; adeò aguntur & pinguntur. Regem enim & dominum Oſirin, oculo & ſceptro pictis exprimunt. & nomen quidem interpretantur Multioculum: quod Os Aegyptiorum ſermone multũ, Iri oculum notet. Cœlum,quia ob perpetuitatẽ nunquam ſeneſcat,corde picto ſignificant,cui focus ardens ſubiectus ſit. Thebis ſimulacra fuerunt dedicata iudicum manibus carentium, & princeps iudicum oculos in terram deiectos habens: quo innuebatur iuſticiam donis & alloquiis non eſſe obnoxiã. Bellicoſis ſculptura annuli erat ſcarabeus,hoc enim inſectum ſexu femineo caret,omnes ſunt maſculi,& * ſemine in materiam in globum redactam immiſſo propagant genus, non alimento magis quàm procreationi locum parantes. Ergo audiens fabulas quas de diis Aegyptij referunt, errores eorum, diſſectiones in membra, multóſque alios id genus caſus: neceſſe eſt vt dictorum recordere, nihilque horum credas ita vt narratur actum fuiſſe aut eveniſſe.

Fabulæ de diis.

Non enim propriè cani Mercurium nomen faciunt: sed ob custodiendi ac vigilandi studium, & sapientiam, qua inter amicũ & inimicum internoscit, eum callidissimo (vt Plato ait) deorum accommodant. Neque putant Solem infantem recèns natum è loto exstitisse: sed sic ortum Solis pingunt, innuentes quomodo is ex humidis accendatur. Nã & Ochum Persarum regum crudelissimum ac apprimè terribilem, quòd is multis interfectis, Apin quoq; ad extremum mactasset & cum amicis epulando absum fisset, Gladium vocauerunt: itáque etiamnum in recensione regum appellant. non sanè substantiam eius ita exprimentes, sed morum asperitatem ac maliciam instrumento cædibus parato adsimilantes. Hac itaque ratione ea quæ dicuntur de diis inaudiens atque accipiens ab iis qui fabulam piè ac philosophicè interpretantur, ritúsque sacrorum legitimos obiens & seruans perpetuò, ac statuens nullum diis te sacrificium, nullum præstare officium posse perinde gratum, ac si de diis rectè sentias, non leuius impietate vitium superstitionem evitabis. Fabula ipsa, invtilibus omnino & ociosis quantum fieri potest amputatis, sic breuissimè narratur. Reæiiunt occultè cum Saturno congressæ Solem, qui id flagitium deprehendisset, imprecatum fuisse vt neque in mense neque in anno páreret. sed Mercurium amore deæ captum, cum ea coiisse, ac deinde in ludo cum Luna victorem, septuagesimam partem cuiusvis diei abstuliisse, atque ex his omnibus dies quinque confeciisse, ac CCCLX anni diebus adiecisse: quæ quinque dies nunc ab Aegyptiis Epagomenæ, id est adiecticiæ vocantur, & vt natales deorum festi aguntur. Prima autem earum die Osirin natum, & simul cum eo vocem editã, quę indicaret dominum omnium rerum in lucem prodire. alij Pamylen quandã aiunt cùm Thebis è templo Iouis aquam peteret, vocem exaudiuisse, qua iuberetur

beretur proclamare, Osirin magnum regem & beneficum esse natum. itaque & hanc Osirin à Saturno traditum enutriuisse, & Pamylia ei sacra peragi, Phallephoriis (id est sacrificiis in quibus penis imago vsurpatur) similia. Secunda die Aruerin natum, quem alij Apollinem, nonnulli Orum seniorem dicunt. Tertia Typhonem, non suo tempore & loco, sed látere ictu perrupto exsiluisse. Quarta Isidem in Panygris. Quinta Nephthyn, quam & Finem, & Venerem, & Victoriam nominant. Patrem autẽ Osiridis & Arueris fuisse Solem: Isidis Mercurium, Typhonis & Nephthys Saturnum. itaque etiam tertium epactarum diem reges pro nefasto habentes, non dabant responsa, neque ante noctem corpora curabant. Porro Nephthyn Typhoni nupsisse. Isidem & Osiridem mutuo impulsos amore, antequã ex aluo matris exirent, in tenebris corpora miscuisse. ac sunt qui sic natum putent Aruerin, & ab Aegyptiis seniorem Orum, à Græcis Apollinem nuncupatum. Iam Osirin regno initio statim Aegyptios inopi & belluina victus ratione soluisse, cùm & fruges iis ostenderet, & leges poneret, & deorum cultum præciperet. Postmodò vniuersam obiuisse terram hominésque mansuetos redegisse, minimo armorum vsu, cùm plerosque persuadendo & docendo adhibitis carminibus ac musica alliceret. itaque creditum esse Græcis eundem cum Libero patre. Typhonem verò, qui eo absente res nouas moliri non esset ausus, quòd Isis continentiæ seruans magno studio & attentione sibi caueret, redeunti insidias struxisse, adscitis in coniurationem viris LXXII, & conatum adiuuãte regina Aethiopiæ quæ ad ipsum se contulerat. Aso nomẽ huius fertur. Metitum furtim Typhonem corpus Osiridis, ad magnitudinem eius arcam apparasse elegantem, exactéque ornatam, eámque in conviuium intulisse. quam vbi conviuæ cum voluptate & admiratione

Osiridis res gestæ.

ſpectaſſent, per iocum promiſiſſe Typhonem ſe dono arcam huic daturum, qui incluſus quantitatem eius exæquaret. cùm omnes periculum feciſſent, neque cuiquam quadraret, Oſirim in eam ingreſſum decubuiſſe. ibi eos qui intererāt, accurriſſe, & operculum arcæ iecciſſe, & quà clauis externè, quà liquido plumbo immiſſo cùm obfirmaſſent, ad Nilum detuliſſe, ac in mare demiſiſſe per Taniticum oſtium: quod eam ob rem hodie nominatu abominabile eſt Aegyptiis. Acta hæc eſſe decimaſeptima die menſis Athyr, quo menſe Sol Scorpium peragrat, annum regnante Oſiride duodetrigeſimū. alij non regnaſſe, ſed vixiſſe tot annos eum perhibent. Cùm autem primi hoc ſenſiſſent Panes ac Satyri, qui loca circa Chenin ſita incolunt, & hoc de facto mentionē hominibus iecciſſent, ſubitas multitudinum perturbationes & conſternationes, nomen Panicorum terrorum inde obtinuiſſe. Iſin certiorem factam, eo in loco cincinnorum vnum deſecuiſſe, ac veſtem ſumſiſſe lugubrem, vbi vrbs eſt quæ Coptus hodiéque dicitur. quo nomine quidā priuationem notari exiſtimant, Aegyptiis Koptæn pro priuare vſurpantibus. Vagatam inde paſsim & animi anxiā, nemini occurriſſe quem non appellaret: ita etiam puerulis obviàm factis, quæſiuiſſe ex iis de arca. hos autem vt forte fortuna viderant arcam, Iſidi oſtium indicaſſe, per quod amici Typhonis arcam in mare eieciſſent. Hinc tractū, quòd Aegyptij pueros facultate diuinandi præditos putant, & maximè ominis loco accipiunt, ſi quid ij in templis ludentes fortè pronunciant. Porrò Iſidem, comperto Oſirin cum ſorore per errorem tanquam ſecum coiuiſſe, & argumento rei viſo corona melilotina quam is apud Nephthyn reliquerat, puerulum quæſiuiſſe: (nam præ metu Typhonis eum ſtatim mater expoſuerat) magnóque labore canibus indagantibus repertum enutriuiſſe: eúmque cuſtodem deinceps comitémq; habuiſſe,

habuiſſe, Anubin appellatum, & creditum deos cuſtodire, vt canes hominibus cuſtodes eſſe aſſolent. Exinde inaudiuiſſe arcam apud Byblum maris fluctibus eiectam, ericæ cuidam molliter inſediſſe. ericam autem breui temporis ſpacio pulcerrimum atque maximum edidiſſe germen, eóq; arcam circùm amplexā occuluiſſe intra ſe. regem verò admiratum plantæ magnitudinem, præciditſſe ſinum quo arca non viſa continebatur, actecto fulcri loco ſuppoſuiſſe. Hæc aiunt diuinitus emiſſo famæ ſpiritu Iſidem edoctam Byblum veniſſe, & ad fontem conſediſſe demiſſam atque lacrymantem, neque cum vllo hominum verba commutaſſe. reginæ autem ancillis ſalutem dixiſſe, & comiter allocutam, crines earum replicaſſe, & à ſe mirabilem fragrantiæ ſuauitatem corporibus earum adſpiraſſe. reginam viſis ancillis deſiderio peregrinę captam fuiſſe, cùm earum & crines & corpora ſpirarent ambroſiam. ita Iſidem accitam & familiarem redditā, à regina nutriendo puerulo fuiſſe præfectam. Regis nomen Malcander fertur. reginam alij Aſtartam, alij Saoſin, quidam Nemanūn, quaſi Mineruiam perhibent. Iſidem nutriendo puero digitum mammæ loco in os inſeruiſſe: noctu mortales corporis partes ambvſiſſe, & ſumta hirundinis forma ad columnam iſtam advolaſſe atque lamentatam fuiſſe. tandem reginam re obſeruata, clamore edito cùm videret infantem vmbvri, eum immortalitate exuiſſe. Deam verò iam patefactam, poſtulaſſe columnam cui tectum incumbebat: eáque ſubducta, nullo negocio ericam amputauiſſe, háncque linteo velatam affuſo vnguento regibus in manus tradidiſſe. colíque etiamnum à Bybliis lignum iſtud in fano ſitum Iſidis. Ipſam ad arcam accidiſſe, tantóque vſam eiulatu, vt regis filiorū natu minor ex eo ſit mortuus. cum maiore & arca Iſidem naui conſcenſa avectam. cúmque Phædrus amnis ſub auroram ederet auram aſperiorem, iratam eum exſic-

cauisse. Vt primùm nacta fuit ocium & solitudinẽ, arcam aperuisse, faciéq; faciei imposita exosculatam illacrumasse. cùm verò puer tacitè à tergo accederet & quid ageretur obseruaret, sentientem Isidem se convertisse, trucíq; in eum ex ira intuitam vultu: puerum eo terrore consternatũ obiisse. alij non sic dicunt, sed quo modo commemoratũ est in mare excidisse. In honore tamẽ haberi propter Isidem. esse enim Manerotem hunc, quem in conviuiis Aegyptij cantant. Alij puero nomen fuisse Palæstino, & à dea cõditam vrbem ei cognominem Pelusium. Manerotem autem illum qui cantatur, autorẽ fuisse musices narrant. Sunt qui Manerotem negent hominis esse nomen: sed affirment ista voce Aegyptio sermone conviuas modestiæ admoneri: atque hoc esse quod identidẽ nominãdo Manerote Aegyptij significent. quo pacto scilicet etiã mortui simulacrũ in cistella circumlatum, non sit monimentũ eorum quæ Osiridi evenerunt, vt nonnulli existiment: sed quòd censeant monendos conviuas ita vt fruantur præsentibus, vt mox ipsi quoque tales futuri, ideò inferri eam in conviuia imaginem. Cùm autem Isis ad Orum filium, qui Buti educabatur, iter faceret, & arcam extra conspectum hominum depositisset, Typhonem noctu venantem ad Lunam incidisse in arcam eam, cadauérq; agnitum in partes quatuordecim discerpsisse, eásque disiecisse. Isidem re comperta, paludes papyreo lembo pernauigasse & frusta conquisiuisse. hinc esse, quòd qui papyrinis nauigiis vehuntur, ij à crocodilis non infestantur, aut metuentibus aut venerantibus eos propter deam. atque hanc esse causam, quòd multa sunt in Aegypto sepulcra Osiridis, quia Isis frustum quodque ita vt inciderat humauerit. Alij hoc negant. simulacra aiunt Isidem fecisse, & singulis singula vrbibus dedisse, simulantem cadauer se dare, vt is à pluribus coleretur: & si Typhon prævaleret, verúmq; Osiridis

sepulcrum quæreret, multis commonstratis, de inveniendo desperaret. de omnib. membris solum penem Osiridis non fuisse ab Iside repertum. hunc enim statim fuisse in Nilum abiectum, gustatúmque à lepidoto siue squameo, phagro, & oxyrycho piscibus: quos præ aliis piscibus exsecrantur Aegyptij. Isidem autem eius loco phallum (id est veretrum) eius imitatione confecisse atque consecrasse: quo hodiéque in sacris vtantur Aegyptij. Deinde Osiridem Oro ab inferis præstò adfuisse, eúmque ad prœlium instituisse atq; exercuisse. percunctatum etiam postea fuisse quid pulcerrimum putaret. cùmque respondisset Orus, Vlcisci patrẽ & matrem iniuria adfectos, vlteriùs quę siuisse, quódnam animal ad pugnam eunti censeret vtilius. cùm equũ respondisset Orus, miratum fuisse & in dubium vocasse, quod non leonem potiùs quàm equum dixisset. respondisse Orum, esse leonem vtilem indigenti auxilio, equum autem facere ad instandum hosti eúmq; interficiendum, his auditis delectatũ Osirin fuisse, vt qui satis instructum ad pugnã Orum sentiret. Narrãt subinde compluribus ad Orum trãseuntibus, pellicem quoq; Typhonis, nomine Thueridem ad eum se contulisse, & anguem qui eam persequebatur ab Ori hominibus fuisse occisum. ideóque adhuc funiculum in medium proiici & conscindi. Prœlium porrò per plures dies durasse, ac victoria Orum potitũ. Isidem, cùm vinctũ Typhonem esset nacta, non modò nõ interfecisse, sed & soluisse & missũ fecisse. idq; Orũ ita indignè tulisse, vt matri iniecerit manus, & regium ornatũ à capite eius detraxerit. sed Mercurium Isidi galeam è bouis factam capite imposuisse. Cúmq; Typhon Oro diem illegitimorum natalium dixisset, auxilio Mercurij Orum à diis fuisse legitimum iudicatum. Typhonem aliis duabus pugnis debellatum. Isin ex Osiride, qui à morte cum ipsa coiuisset, exterricineum & infe-

Orus.

Typhon vitus.

rioribus debilem membris filium peperisse. Harpocratem nomine. Hæc ferè sunt fabulæ capita, omissis iis quæ auditu sunt difficilima, vt de Oro membratim discerpto, & Iside capite truncata. Enimverò hæc si sentiant ac dicant homines de beata & interitus experte natura, qua potissimùm intelligitur numen, tanquam re vera sic gesta & obita, despuendum esse ob indignitatem rei, & os purgandum, vt est apud Aeschylum, nihil attinet ad te dicere. vltrò enim succenses iis, qui tam impias & barbaras de diis habent opiniones. Non tamen ignoras ista non omninò germana esse fabularum & inanium figmentorum, qualia comminiscuntur poëtæ & fabularum scriptores, aranearum instar ex seipsis gignentes initia nullo fundamento innixa, eáque pertexentes: sed habere disputationes quasdam in se, & certorum narrationes eventorum. Et quemadmodum mathematici arcum cœlestem Solis tradũt esse imaginem variatam visus ad nubem reflexu: sic fabula hoc loco indicium est orationis aliò reflectentis intellectum. Declarant hoc sacrificia lugubrem ac tristem speciem præ se ferentia. tum templorum dispositiones, aliquando in pinnas, & stadia desinentium sub dio sita ac pura: aliquando tenebricosa & operta infra terram habentium sacraria, cellulis similia & adytis. Non minimum huc faciunt Osiridis templa tam multis in locis celebria, cuius corpus multis in partibus terræ sepultum fertur. Inter alias vrbes Abydus & Memphis nominantur, in quibus solis verè exstet Osiridis sepulcrũ. Et Abydi quidem humantur Agyptiorum fortunis ac potentia præcipui, studiosè hoc ambientes, vt eodem cum Osiride potiantur sepulcro. Memphi autem Apis nutritur, vt pote animæ eius simulacrum, ibiq; etiam corpus conditum perhibent. ac nomen vrbis alij potum bonorum interpretantur, alij sepulcrum Osiridis. exiguã quoque insulam quæ est ante vrbem sita aiunt

aiunt reliquo tempore omnibus inaccessam esse, ac ne aues quidẽ eò devolare aut pisces appellere. stato tempore sacerdotes in eam traiicere, ac parentare, & monimentum coronare methidæ plantæ obvmbratum, quæ omnis oleæ magnitudinem excedat. Eudoxus, cùm multa in Aegypto sepulcra Osiridis perhibeant, corpus situm esse Busiride ait: eam enim fuisse patriam eius. iam de Taphosiri disputandum non esse, cùm ipsum hoc nomen significet sepulcrum Osiridis. Laudo autem ligni secturam, & lini scissionem, & liba quæ inferiarum gratia funduntur, quòd his multa admixta sunt arcanum sensum sacrorum innuentia. Neq; horum modò, sed & reliquorum deorum corpora pontifices aiunt apud se obita morte deposita procurari: scilicet eorum deorum, qui ortus & interitus expertes non sint. eorum autẽ animas in cœlo fulgere, & esse stellas. nam Isidis vocari à Græcis Canem, ab Aegyptiis Sothin: Orionem esse Ori, Typhonis Vrsam. Cùm autẽ ad alenda quæ venerantur animalia sumtum suppeditent constitutum Aegyptij, soli (vt fertur) Thebaidos incolæ immunes sunt. hi enim mortalem deum nullum censent, sed deum qui Kneph ipsis dicitur, ortus exsortẽ & immortalem putant. Cæterùm quia multa talia dicuntur & monstrantur, qui arbitrãtur hoc pacto commemorari eventa regum aut tyrannorum, qui cùm ob excellentem virtutem aut potentiam diuinæ naturæ dignitatem sibi arrogassent, grauibus postmodò fortunæ aduersitatibus fuerint perculsi: ij facilimo vtũtur orationis effugio, & quæ auditu sunt molesta, non ineptè à diis ad homines transferunt, habẽtque sua adminicula ex historiis vulgatis. Narrant enim Aegyptij Mercurium alterum cubitorum habuisse breuiorem, Typhonẽ fuisse rufum, Orum album, Osirin nigrum: vt qui homines natura exstitissent. ad hæc imperatorem nominant Osirin, & gubernatorem Canopum, cum quo

stella idem habeat nomen. & nauim, quæ Argo Græcis dicitur, inter sidera relatam in honorem nauis Osiridis, non procul ab Orione & Cane ferri: quorum siderum alterũ Oro, alterum Isidi sacrũ Aegyptij censent. Vereor autem ne hoc sit immobilia mouere, & belllũ inferre non tantùm, vt Simonides alebat, longo tempori, sed multis hominibus, gentibus & familiis, quas religiosus horũ deorũ cultus quasi furore diuino correptas tenuit. neq; aliud mihi ferè hoc esse videtur, quàm tanta nomina è cœlo in terras deducere. honorémq; & fidem omnibus propemodum hominibus ab ipso ortu ingeneratã exturbare atq; dissipare. ac cũ magnas aperite valuas impiæ turbæ, quæ res deorũ in humanas cõvertit: tum splendidam licentiã conciliare imposturis Euemeri Messenij. Is enim cõmentario cõscripto incredibilium & vanarũ fabularũ, omne impietatis genus per totum sparsit terrarũ orbem, eos qui dij existimãtur vniuersos æqualiter expungẽs, & ad nomina priscorum imperatorũ, nauarchorum, ac regũ detorquẽs, descripta aureis litteris in Panchæa. in quas quidem litteras nemo neq; barbarus neq; Græcus, sed solus si diis placet Euemerus inciderit, naui advectus ad nullibi terrarum degentes aut natos Panchæos ac Triphylios. Sanè magnæ res gestæ à Semiramide celebrantur apud Assyrios, à Sesostri in Aegypto. & Phyges præclara facinora hodiéq; Manica appellãt: quia Manis quidam antiquorum regum apud ipsos virtute & potentia polluerit, quem nõnulli Masden vocant. tum Cyrus Persas, Macedones Alexander victores pœnè vsq; ad fines terræ perduxerunt. Verùm istis nomina & memoria præclarorum regum obtigerũt. At si qui fastu elati, & (vt Plato ait) simul iuuentute & insciti a animis inflammatis per lasciuiam deorum cognomina acceperunt, ac templa sibi poni voluerunt: eorũ gloria breui floruit tempore. deinde præter vanitatem & arrogantiam impietatis

Diuina ad homines qui transferunt.

Deos se facientes homines.

pietatis etiam ac iniusticiæ culpam sustinentes,

Euolitauerunt tenues ceu fumus in auras
Præpete surrepti fato.

& nunc tanquã fugitiui serui, in quos ius abducẽdi est dominis, avulsi à templis & aris, nihil præter monumenta & sepulcra habẽt. Itaq; Antigonus senior, cùm Hermodotus quidã in carmine ipsum Solis filium & deũ prædicauisset, Non talium sibi cõscium esse rerum dixit seruũ qui matulam gestaret. Rectè etiã Lysippus fictor Apellem pictorem reprehẽdit, quòd is imaginem Alexandri fulmen manu tenentem pinxisset, ipse hastã. huius inquiens gloriã, quæ vera Alexãdro & propria esset, nullo tempore abolitũ iri. Meliùs ergo faciunt, qui quæ de Typhone, Osiride, Isíde narrantur, neq; deorũ neq; hominũ, sed magnorũ geniorũ eventa sentiunt. quos genios & Plato, & Pythagoras, & Xenocrates & Chrysippus priscorum theologorũ imitatione, hominibus robustiores exstitisse aiunt, & potentia nostrã naturam longè superare, diuina autem natura non sincera aut pura præditos, sed quæ animæ natura corporísq; sensu comprehensa, voluptatis esset doloríq; capax, aliísq; id genus obnoxia affectionibus, ac mutationibus, quibus alij magis, alij minus turbantur. nam vt in hominibus, ita etiam inter dæmones sunt virtutum & vitiorũ discrimina. Etenim quæ de Gigantibus & Titanibus apud Græcos cantãtur, & Saturni quædam scelera, Pythonis cũ Apolline certamẽ, exsulia Bacchi, Cereris errores, nihil absunt ab Osiridis & Typhonis eventis, aliisq; similibus, quæ omnib. licet licenter cõficta audire. eadem est eorũ quoq; ratio, q̃ in mysticis sacris occultè aguntur, & efferri ad vulgus aut ab eo videri nefas ducitur. Iam Homerũ quoq; animadvertimus insigniter bonos viros identidé appellare deorũ similes, diis æquales, &

Geniorũ natura.

Consiliis superũm instructos.

Odyss. 3. initio.

appellatione autem à geniis (qui Græcè dicuntur dæmones) promiscuè vti de bonis & malis, quòd genij mixta & inæquali sint natura ac voluntate præditi. itaq; & Hectorem Aiax, & Iunonem Iupiter vi-
Ilia.v.810. *Ilia.d.31.* *Ilia.v.447.* *493. alibi.* superandi gratia genij similem appellat: & dæmonis in morem irruere in hostem Achilles dicitur. Hinc adeò est, quod Plato cœlestibus diis dextra & impa ria, horum adversa geniis adscribit. Xenocrates etiam nefastos dies, & ferias in quibus verbera, plan ctus, ieiunia, mali ominis voces aut obscena dicta vsurpantur, neque deorum convenire venerationi, neque bonorum geniorum censet: sed esse in aëre quasdam naturas magnas & validas, easdémque tetricas & morosas, quæ istis delectétur rebus, ac consecutæ à maleficio abstineant. Hesiodus bonos &
Operib.122 commodos genios vocat

Castos, custodes hominum, rerumq; datores
Lautarum, quod sint regalis honoris adepti.

& Plato hoc genus inter homines ac deos interpretum administrorúmque fungi muneribus ait: quia ab hominibus vota precésque ad deos perferant, à diis ad homines oracula & dona bonarum rerũ. Empedocles genios etiam pœnas peccatorum delictorúmque luere affirmat.

In mare namq; illos adigit vis ætheris urgens,
Exspuit in terræ pontus sola: terraq; in almi
Lampada propellit Solis: Sol ætheris illos
Vorticibus celer immittit. sic ordine longo
Vnus post alium exosos scelerum excipit ultor:

donec̃ suppliciis expiati ac lustrati pristinæ naturæ locóque suo restituantur. Horũ ac similium germana sunt, quæ de Typhone feruntur. qui cùm odio impulsus & malignitate atrocia patrasset facinora, omnibúsq; conturbatis rebus terras omnes omniaque maria malis impleuisset, tandem pœnas dederit. Vltrix autem Osiridis soror atque vxor postquam

quam Typhonis furias & rabiem compescuit atque exstinxit, nõ neglexit certamina ærumnásq; suas & errores quibus fuerat iactata, neque passa est tã multa sapienter, multa fortiter abs se gesta silentio obliterari: sed sanctissimis sacrificiis admiscens imagines, indicia, & exempla suorum eventorum, simul & pietatis documentum, & solatium viris mulieribúsq; adversa fortuna vtentibus cõsecrauit. Ipsa autem, & Osiris de bonis geniis ob virtutem in deos mutati, vt postmodò Hercules & Liber, haud absre deorum & geniorum permixtis honoribus coluntur, vbique magna, maxima autem in rebus supra & infra terram potentia præditi. Neque verò Sarapis *Sarapis.* alius est quàm Pluto, aut Isis à Proserpina differt: vt & Archemachus Euboënsis docuit, & Heraclides Ponticus, qui oraculum Canopicum, Plutonis esse iudicat. Ptolemæus verò Soter Plutonis colossum qui Sinopæ erat sustulit, cum neque nosset neq; vi- *
disset vnquam talem, quali forma per quietem imaginatus fuerat se videre, ac iuberi eũ quamprimùm Alexandriam perferre. ignoranti autem, & anxiè inquirenti vbinam locorum situs esset, amicísque rem narranti, oblatus est Sosibius quidam latè vagatus homo, qui Sinopæ à se visum talem colossum diceret, qualem rex imaginatus fuerat. missi itaq; Soteles & Dionysius, longo tempore & ægrè, neq; sine providentia diuina, furtim ablatum colossum ad regem pertulerunt. qui vbi conspectus fuit, Timotheus interpres, & Manetho Sebennita à Cerbero & dracone comitãtibus ductis collegerũt Plutonis esse simulacrum, Ptolemæoq; persuaserunt, non esse alius dei, quàm Sarapidis. non enim isthinc hoc nomen gerens venerat: sed allatus Alexandriam, Sarapidis nomen, quo Aegyptij Plutonem afficiunt, invenit. Iam cùm Heracletus physicus dicat, Pluto & Liber hic *cum ergo insaniunt & delirant, in hãc * concedunt sententiam. Qui enim Ditem existimant

corpus animæ dici tanquam desipientis & ebriæ in eo, interpretatione nimis exili vtuntur. Præstat autẽ Osirin cũ Baccho eundẽ facere, & cum Osiride Sarapin: sic dictũ postquam naturã mutauit. quia omnibus cõmunis est Sarapis. quomodo autem Osiris sit appellatus, norunt qui sacrorũ sunt facti participes. Non enim par est Phrygiis credere litteris, in quibus dicitur Charopos quædã Herculis filia fuisse, Herculis autẽ Isiaci filius Typhon. Contemnendus etiã Phylarchus, qui scribit primũ ex India Bacchũ adduxisse boues duos, quorũ Apis alter, alter Osiris sit dictus. cæterùm Sarapin esse nomẽ eius qui Vniuersum ordinat atq; ornat, quod voce særen quidã exprimunt. sunt enim hæc Phylarchi absurda. Multo absurdiora sunt quæ quidã dicunt, Sarapin nõ esse deũ, sed sepulcralem cistã, quæ Græcè est Soros, Apidis sic nominari: & apud Memphin æreas quasdam portas, quæ Lethes & Cocyti, hoc est obliuionis atq; lamentationis appellentur, aperiri cũ Apin sepeliunt, grauem asperũq; edentes sonitũ. scilicet quia quouis æreo opere resonante nos obliuio invadat. Tolerabiliùs sentiũt, qui à seuesthæ & sustæ deducentes, significãt rapido motu citari Vniuersum. Pleriq; sacerdotũ in idem aiunt recidere Osirin & Apin, enarrántq; & docẽt nos, Apin esse intelligendum formosam animæ Osiridis imaginem. Ego autem, siquidẽ Aegyptia vox est Sarapis, gaudiũ ea & lætitiam significari censeo: hoc adductus argumento, quòd Charmosyna, id est festũ lætitiæ diem, Sera appellant Aegyptij. Nã & Plato Aden, id est Ditem, tanquã Aedus, quæ est Verecundia, filiũ ait nominatũ, vtpote comem benignũq; deũ erga eos qui ad ipsum pervenerunt. Et apud Aegyptios cũ multa alia nomina rationẽ habent: tũ subterraneũ ij locum, in quẽ putant à morte animas ferri, Amenthen vocant, quod vocabuli significat dantẽ & accipientem. An autem hoc vnũ sit de verbis, quę antiquitus

è Græcia

è Græcia in Aegyptũ translata fuerunt, inferiùs disquiremus. nunc ea persequemur, quę de explicatione sumtę in manus opinionis restant. Etenim Osiris & Isis è bonis geniis in deos transiuerũt. Typhonis autem obscuratã atq; contritã potentiam, atq; adeò semianimam & instante interitu trementem, cùm sacrificiis quibusdam demulcent atq; leniunt, tũ contrà in aliis festiuitatibus deprimunt contumeliisq; afficiũt. In his ignominiosè tractãt rufos, asinúmq; de præcipitio deiiciũt, vt Coptitæ solent: propterea quòd rufus & asinino colore fuerit Typho. & Busiritæ ac Lycopolitæ omnino vsu tubarũ abstinent, quòd harum sonus voci asininæ sit similis: planéque animal illud hõn mundũm, sed geniis peculiare putant ob similitudinem qua ei cum Typhone convenit. & mensibus Payni ac Phaophi cùm in sacrificiis placentas condant, asinum vinctum in iis effingunt. In Solis item sacrificio eos qui deum venerãtur, hortantur ne in corpore aurũ ferant, néve asino alimentum præbeant. Apparet etiam Pythagoricos Typhoni vim genij adsignasse. natum enim eum aiunt esse mensura pari, quinquagesimasexta nimirũ. rursumq; triangulam figuram Ditis, Bacchi, & Martis esse aiunt: quadratam Reæ Veneris, Cereris, Vestæ, & Iunonis: duodecim angulorum figuram Iouis: quinquagintasexangulam Typhonis, vt Eudoxus tradidit. Aegyptij porrò quia Typhonem colore rufo fuisse censent, boum quoque non nisi rufos immolant: itáque accuratam adhibent obseruationem, vt si vel vnum capillum habeat album aut nigrum, non immolandũ iudicent. non enim aptum esse ad victimam præstandam id quod carum sit diis: sed contrà iis corporibus sacrificandũ esse, quę animas impiorum & iniustorum hominum in alia corpora transeuntes exceperunt. Itaq; in caput victimę exsecrati, amputatum in flumen abiiciebant antiquitus, nunc peregrinis id dant. & bouem qui immolan

dus est sigillo impresso notabant sacerdotes certi, qui Sphragistæ, id est sigillatores dicebantur. sigilli autem sculptura exprimebatur, vt Castor perhibet, homo in genua desidens manibus post tergum reductis, iugulo ense imminente. Asinum quoq; arbitrantur similitudinis (vti docuimus) pœnas dare, non minus ob inertiam & petulantiam quàm ob colorem. Itaque etiã de Persicis regibus maximè exosi Ochum, vt sceleſtum & impurum, asinum appellarunt. & Ochus hoc fatus, At enim hic Asinus vestrum bouem epulabitur, Apim mactauit. vt narrat Dæno. Qui autem dicunt è prœlio Typhonem asino vectum per septem dies fugisse, elapsúmq; filios genuisse Hierosolymum & Iudæum: facilè patet eos Iudaicas res in fabulam hanc adsciscere. Hæc itaq; tales sententias verbis tectas præbent. Nunc alio principio facto, de his quæ magis philosophicè dici videntur, primùm simplicissimas perpendamus opiniones. Sunt qui dicant, quemadmodum apud Græcos Cronos (qui Latinis est Saturnus) tempus, Iuno aerẽ, Vulcani ortus mutationẽ aeris in ignem notat: sic apud Agyptios Osiride intelligi Nilum, qui cum terra, quã Isis designat, coeat. Typhonem mare esse, in quod incidens Nilus divellitur & perit, nisi quantum eius terra excipiens ab eo fecunditatem consequitur. Estq; sacra lamentatio de Saturno. deplorat autem natum in sinistris partibus, in dextris pereuntem. Nam Aegyptij statuunt partes mundi ad ortum Solis sitas esse faciem, dextra quæ ad septentrionẽ, sinistra quæ ad meridiem vergunt. Ergo Nilus à meridie labens, & versus septentrionem à mari absorptus, rectè dicitur nasci in sinistris partibus, perire in dextris. Itaq; & mare abominantur sacerdotes, & salem Typhonis spumam vocant, intérque alia interdictum est ipsis, ne salem in mensa ponant: nauium quoque rectores ab iis non compellantur, vtpote mari vtentes, indéque victũ suum petentes. eadémque potissimũ de causa piscem aversantur, & odium pingendo piscem notant. Sai in vestibulo templi Mineruæ erat insculptus infans, senex, deinde accipiter, pòst pisces, vltimo loco equus fluuialis. hæc symbola notababant infans & senex ortum atque interitum, accipiter deum, pisces odium (vt diximus) propter mare, equus fluuialis impudentiam. Fertur enim patrem interficere, & postea cum matre per vim coire. Videri potest etiã id, quod Pythagorici dicunt mare lacrymam esse Saturni, innuere non purum id esse neque nostro generi familiare. Atq; hæc profana sunt vulgatis narrationibus prodita. Sed sacerdotum sapientiores, non Nilum duntaxat Osiridis, mare, Typhonis nomine accipiunt: sed Osiridem in vniuersum censent omne principium facultate humectandi præditum, vtpote causam ortus & substantiam seminis: & Typhonem omne siccum, igneum, & quicquid deniq; exsiccandi vim habens aduersum est humori. Ideò rufum & subpallidum fuisse Typhonem censentes, non admodum libenter compellant tali colore qui sunt homines, ingratáque ipsis horum est consuetudo. Osirin autem nigro colore fuisse fabulantur, quia aqua omnem terram, omnem vestem, & nubes etiam nigras reddit admixta: & humor in iuuenibus capillos edit nigros, canicies velvti in pallidum mutat hos à siccitate contingens corporibus iam post vigorem elangueſcentibus. ac ver virens est, fecundum, & amœnum: autumnus ob humoris defectum cùm stirpibus inimicus est, tum animalibus morbos fert. Iam qui Heliopoli nutritur bos, (Mneuin vocant, sacrum Osiridi, & nonnullorum sententia Apis patrem) is niger est, & proximè secundum Apin colitur honoribus. Præterea Aegyptum quæ vel maxima nigram habet terram, tanquam nigram oculi partem, chemia vocant, & cordi comparant. calida enim est & humida, & austrinis mundi partibus, vt

Fabulæ physica explicatio.

cor siniſtris hominis, includitur atq; accedit. Solem quoque & Lunam dicunt nõ curribus, ſed nauigiis vectos curſus ſuos continuare: innuentes humore ali res atq; procreari. Exiſtimant etiam Homerũ itidem vt Thaletem ab Aegyptiis doctũ, principium & ortũ omnium rerũ poſuiſſe aquã. eſſe enim Oceanum Oſirin, Tethyn Iſin, quæ omnia enutriat vnà atq; educat. Etenim Græci ſeminis emiſsionẽ apuſiam, & coitũ ſynvſiam vocãt, & filiũ hyon, ab aqua & pluuia, quæ ſunt hydor & hyein. & Bacchũ Hyen appellant, vt humidæ dominum naturæ: qui ſanè nõ eſt alius ab Oſiride. Quippe Hellanicus Hyſirin pro Oſiride poſuit, itáq; eum crebrò nominat, nimirum à natura & inventione: aítq; ſe eum ita à ſacerdotibus nominari audiuiſſe. Eſſe aũt Oſirin eũdem cum Baccho deum, cuínam magis conveniat ſcire, quàm tibi, ô Cleã? quæ & Thyadum Delphicarum es princeps, & à patre ac matre Oſiriacis conſecrata ſacris. Si tamen aliorum gratia adducere oportet teſtimonia, ſuo loco relinquamus ea quæ effari nefas eſt. Quæ autem palàm faciunt ſacerdotes, dum Apidis cadauer rate advectum ſepeliunt: nihil diſtãt à Bacchi ſacrificio. quippe & hinnuleorum pelles circùm appendunt, & thyrſos geſtant, iiſq; vtuntur clamoribus & motibus, quibus Bacchico furore correpti dum orgia peragunt. Ea de cauſa pleriq; Græcorum Bacchi ſimulacra faciunt tauri forma: & Eleorũ mulieres vota facientes precantur vt ad ſe deus veniat bubulo pede: & Argiuis Bacchus eſt bouigena, & evocant eũ tubis ex aqua, ianitori ouem in abyſſum iniicientes, & tubas inter thyrſos occultant, vt Socrates ſcripſit in libris de Hoſiis, ſiue ſacris. Conveniunt & Titanica, & nox quæ perfecta dicitur, his quæ dicũtur de diſcerpto Oſiride & rediuiuo ac renato. Nec nõ & ſepulturæ. Nam & Aegyptij multis in locis ſepulcrũ Oſiridis monſtrant, vt ſuprà oſtendimus: & Delphi reliquias Bacchi apud ſe iuxta oraculum

Iliad. ξ. 246.

Bacchus idẽ qui Oſiris.

culum ſitas putant, arcanúmq; ſacrificium Hoſij in fano Apollinis peragunt, quo tempore Thyades Licnitam (id Bacchi eſt nomẽ) excitant. Quòd autem Liberum Græci non vini tãtummodò, ſed & omnis humidæ naturę dominum atque principem faciant, teſtimonio Pindari ſufficit docere ſic dicentis,

Bacchus lætitiæ dator
Gratis frugibus arbores.
Fecundet: —

eâq; cauſa eſt, quòd Oſiridis cultoribus nefas eſt arborem hortenſem perdere, aut fontem aquæ obthurare. Non ſolum autem Nilum, ſed omnem ſimpliciter humorem, defluxum Oſiridis vocant: & ante ſacra in pompa ſemper præcedit vas aquarium in honorem dei. & ficus folio regẽ, ac meridionale mundi clima pingunt. interpretantúrq; folium ficus irrigationem & fetationem omnium: videtúrq; natura ſimile genitali membro. Porrò Pamylitia feſtũ agentes, quæ, vt dictum fuit, phallo, id eſt virilis membri ſimulacro adhibito fiunt, imaginem proponunt atque circumferunt, cuius triplus eſt penis. nam deus eſt principium, omne autem principium vi genitali multiplicat id quod ab eo producitur. multiplex aũtem ſolemus ternario notare, vt cùm dicimus:

O ter felices. — &
Ter tot uincla. —

Niſi potiùs ita ſentiendum eſt, triplum à veteribus propriè fuiſſe vſurpatũ. Humida enim natura cũ ab initio principium & ortus omnium eſſet rerum, tria prima effecit corpora, terrã, aerem, ignẽ. Quæ enim fabula rei additur, membrum Oſiridis in flumẽ fuiſſe à Typhone abiectum, & Iſidem cùm id non inveniret, ſimulacrũ eius adornaſſe, idque vt honoraretur & phallus geſtaretur inſtituiſſe: ea huc facit, docétque genitalem vim & ſemen dei pro materia prima habuiſſe humorem, & humoris interventu

coaluisse cũ his quæ nascẽdi facultate erãt prædita. Alia etiã apud Aegyptios fertur fabula, Apopin Solis fratrem bellum mouisse adversus Iouem. & Osiridem à Ioue, cui in hoste debellando auxilium tulisset, adoptatum filij loco, Dionysiúmq;, id est Bachum, fuisse appellatum. Hanc quoq; fabulam veritati & naturæ cógruere, demonstrari potest. Iouem enim Aegyptij spiritũ vocãt, cui sicca & ignea natura est adversa & inimica. ea verò nõ est Sol, sed quãdam habet cũ Sole cognationem. humor autem exstinguens nimium siccitatis, auget & roborat exhalationes, quibus spiritus alitur & viget. Præterea & ederã Græci Baccho cõsecrant, & hæc ab Aegyptiis dicitur nominari Chenosiris, quod significat plantã Osiridis. Proinde Aristo, qui coloniã Athenienſium scripsit, in epistolã quandã Alexarchi inciderit * * *

*

Fertur etiam apud Aegyptios Bacchus filius Isidis, qui non Osiris, sed Arsaphes nomen gerat, quo fortis significatur. Indicat hoc etiã Hermæus primo de Aegyptiis libro, validũ esse si interpretetur Osirin inquiens. Omitto Mnasean, qui Epapho apponit Liberum, Osiridem, & Sarapin. omitto Anticlidã, qui Isidem Promethei filiam, Liberi vxorem facit. Nam quas retuli festorũ & sacrificiorũ similitudines, apertiùs quàm testes rei fidem faciunt. Et de sideribus Sirium Isidi adscribunt, cùm aquam ducat. & Leonem venerantur, rictibúsq; leoninis ianuas templorum ornant, quia Nilus exundat

Titanis primùm curru tangente Leonem,

Isis. Orus. Nephthys.

Sicut autẽ Nilum Osiridis defluxũ, ita corpus Isidis terram putant, nõ vniuersam, sed quã Nilus invadẽs ac coiens fetã reddit. hoc ex coitu Orum nasci perhibent. Est autẽ Orus tempestas ac temperies aeris ambientis omnia seruans atq; alens. quẽ in paludibus, apud Butum à Latona dicunt enutritum: quia aquosa & irrigua terra maximè educit exhalationes quibus

quibus siccitas restinguitur atq; laxatur. Nephthys porrò appellãt extremas terræ partes quæ mare attingunt: ideóq; eam vltimã nominant, & Typhonis vxorem dicunt. Cùm autẽ exundans Nilus etiam in istas partes diffluit, hoc Osiridis cũ Nephthy coitũ nuncupant, quem stirpes germinãtes arguerint, inter quas & melilotum est: quo fabula fert delapso & relicto Typhonẽ adulteriũ deprehendisse. itaq; Isis Orũ iusto partu edidit, Nephthys autẽ Anubin furtiuo. Sanè in descriptione successionis regũ scribũt Nephthyn Typhoni nuptã principiò fuisse sterilẽ. quod si non de muliere, sed dea dicunt, innuere volunt terrã soliditatis suæ causa omnino sterilem fuisse & infrugiferã. Iam Typhonis insidiæ ac tyrannis vim significat siccitatis obtinentis, & consumentis humorem quo nascitur & augetur Nilus. Regina verò Aethiopum quæ Typhonem adiuuerit, flatus austrinos ex Aethiopia notat: qui si vincant Etesias à quibus versus Aethiopiam nubes pelluntur, prohibeántq; imbres decidere quib. Nilus augetur, tum prævalens Typhon æstu vrit, ac planè obtinens, Nilum in diuersam partem ob imbecillitatẽ fluentem, cauo alueo & humili in mare expellit. Quod enim inclusus in arcã dicitur Osiris, eo nihil aliud significatur quàm aquæ occultatio & defectus. Itaq; mense Athyr periisse Osiridem dicunt, quãdo Etesiis omnino deficientibus Nilus recedit, & solum nudatur. Quando autem nox fit lõgior, tenebræ crescũt, lucísq; superatur & tabescit vis: tũc sacerdotes cùm alios tetricos ritus exercent, tum bouem auratũ nigro byssino amictu ostentant in luctu deæ, (bouem enim Osiridis ducũt imaginem) per quatriduũ continuum à decimaseptima mensis die. Quatuor enim sunt quæ lugentur. primũ, Nilus recedens atq; deficiens. secundum, septentrionales flatus, qui invalescentibus austrinis ventis admodũ exstinguuntur. tertium, quòd dies minor fit nocte. vltimum, denu-

datio terræ, simul etiã tunc stirpibus folia abiicientibus. Decimanona mensis die, noctu ad mare descenditur, & sacram cistam Stolistæ (quasi vestitores diceres) vnà cũ sacerdotibus efferunt, in qua est intus aurea arcula, cui infunditur ab iis aqua potabilis, ac clamor tollitur ab his qui adsunt, vociferãtibus Osiridem esse inventũ. exinde tellurem frugiferam aqua permiscent, additisq; mixturę aromatibus & suffimentis sumtuosis, effingunt imagunculam luniformem, & hanc amiciunt & ornant: significantes deos istos ab ipsis putari esse naturã terræ & aquæ. Rursum vbi Osirin Isis recepit, & Orũ educat, exhalationibus, & nebulis ac nubibus crescentẽ ac roboratum: superatus quidem, nõ tamen etiã interfectus est Typhon. non enim passa est dea, quæ terræ domina est, vndiquaq; aboleri naturã humori contrariam. sed dimittit eã & laxat, cupiens temperiem relinqui. quia nõ poterat mundus esse perfectus, abolita ignea natura. Quod si hæc ab iis non absurdè dicuntur, par est ne hanc quidem repudiari rationem, qua dicitur antiquitus Typhon partẽ Osiridi debitam obtinuisse. Nam Aegyptus olim mari fuit tecta. itaq; in metallis & montibus multa etiamnum inveniuntur conchylia: & omnes fontes, omnes putei, cùm quidem eorum tanta sit multitudo, salsam atq; amaram habent aquam: vtpotè quòd eò reliquiæ veteris maris obsoletæ confluxerint. Successu aũt temporis Orus Typhone est factus superior. id est, cum tẽpestiuè imbres oborti essent, Nilus mari expulso planiciem detexit, & terrę aggestione cõpleuit. Ipse sensus huic rationi testimoniũ fert. Etenim hodiéq; cernimus fluuio nouum aggerente, limũ, terrámq; adducente, paulatim recedere mare, atq; retrò defluere: fundo ob aggestionẽ materiæ altitudinẽ nanciscente. Pharum certè, quã Homerus cursu vnius diei abesse ab Aegypto nõrat, nunc partẽ esse Aegypti constat. non quòd ipsa suo loco mota accesserit, sed

Aegyptus.

Ilia. δ, 356.

sed quòd mare intermediũ flumine opplente & cõplanante continenti adiecta est. Verũ enimverò hęc similia sunt eorũ quæ Stoici de sacris rebus disputant. Nam genitabilem & alendo aptum spiritũ Bachi nomine afficiunt illi: qui vim percellendi ac diuidendi habet, Herculis: qui recipiendi facultatem, Ammonis: id quod per tellurem & fruges penetrat, Cererem ac Proserpinam: quod per mare, Neptunũ nominãt. Qui autem naturalibus istis etiam mathematica quædam astrologica admiscent, ij putãt Typhonem esse mundum solarem, Osiridem lunarem. Lunã enim quæ lumen habet genitabile & humectans, prosperam esse & animalium procreationi, & stirpium pullulationi. Solem hoc sortitum, vt intemperato igni calefaciat exsiccétq; natas & florentes stirpes: & suo ardore magnam partem terræ feciſſe habitationibus ineptam, ac sępe etiam Lunam ab eo superari. Itaque Aegyptij Typhonem Seth nominant: id significante vocabulo, quod vi prævalet. & in Sole situ Herculem vnà circumagi, in Luna Mercurium fabulãtur. quæ enim Luna efficit, ea orationis & sapientiæ operum sunt similia: Solis autẽ, verberum, vi & robore effecta. Stoici Solem è mari incendi atq; ali aiunt: Lunæ à fontanis & lacustribus aquis dulcem mollémq; submitti exhalationẽ. Decimaseptima mensis die interiisse Osiridem Aegyptij fabulantur, qua die maximè plenilunium fit evidens. Ideò diem istam Pythagorei vocãt antiphraxin, quasi oppositionem cum obstructione coniunctam: & omnino numerum XVII aversantur. Nam inter XVI, qui quadratum, & XIIX, qui altera dimensionum longius parallelogrammũ refert, atque hi duo soli omnium numerorum planorum ambitus habent areis suis æquales, medius interveniens XVII obstruit & disiungit eos invicem, inque partes scissus inæquales, sesquioctauam proportionem cõstituit. Annos XXIIX alij vixisse, alij regnasse

Stoicorum theologia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Osiridem dicunt. toties enim lucet Luna, totq; diebus suam circuitionem absoluit. Lignum autem in sepultura, vt vocant, Osiridis secantes, arcam apparant lunata forma: quia Luna Soli appropinquãs fallcatur & occulitur. Quod autẽ in XIV partes discerptus dicitur Osiris, referendum est ad dies quibus à plenilunio vsq; ad nouiluniũ deficit Luna. Diem, qua primùm conspicitur evitatis & præteritis radiis Solis, imperfectum bonum nominant. Est enim Osiris beneficus: & nomen hoc multa significans, præcipuè vim efficacem & beneficam designat. Alterum dei huius nomẽ quod est Omphis, Hermæus interpretatur beneficum. *Nilus.* Existimant autem Nili incrementa ratione quadam illuminationibus Lunæ respondere. Maximum enim apud Elephantinam, cubitorum fit XXIIX, quot dies sunt menstruæ circuitionis Lunæ. apud Mendetem & Xoin, vbi est minimum, cubitos æquat VI, quot diebus Lunæ orbis fit dimidiatus. Medium apud Memphin, si iustum sit, XIV cubitis convenit, & respondet tempori plenilunij. *Apis.* Porrò Apin animatam dicunt Osiridis esse imaginem. itaque etiam figuris Lunæ similia habet multa, atratus circum splendidas partes & vmbrosis tectus. & in nouilunio mensis Phamenoth festum celebrant, quod ingressum Osiridis in Lunam appellant. Est autem id veris initiũ. Hoc pacto vim Osiridis in Luna collocantes, Isidem ei vxorem, ex qua prolem procreet, adscribunt. Ideò & Lunã mundi matrem appellant, & naturam ex vtroq; mixtam sexu adsignant ei: quòd impleta & grauida facta à Sole, rursum à se in aerem emittat ac disseminet genitabilia principia. Non enim semper obtinere corruptelam Typhonicam, sed sæpe victam à vi procreatrice atque vinctam, rursum emergere, & cum Oro decertare. Orus autẽ est mũdus terrestris, neq; interitus vnquam omnino expers, neq; ortus. Neq; desunt, qui defectus hac fabula per ambages notari cen-

censeant. Etenim in plenilunio deficit Luna, Sole ipsi ex adverso stante in terræ vmbrã incidens: sicvt in arcam fertur incidisse Osiris. Rursum ipsa Solem occultat & conspectui subtrahit vltima mensis die, neque tamen Solem omnino interimit, vt neq; Isis Typhonẽ. Pariẽte Anubin Nephthy, Isis subiicitur. *Nephthys.* Nephthys enim est id quod infra terrã sitũ non cernitur: Isis quod supra terrã manifestũ exstat. at circulus isthæc ambo tangens & dirimens, qui à definiendo Horizon dicitur, ambobus cõmunis, *Anubis.* Anubis vocatur, ac forma cani adsimilatur. quia canis visu perinde noctu vtitur atque interdiu. Videtúrq; Anubis apud Aegyptios eã obtinere vim, quam apud Græcos Hecate, nimirũ scilicet terrestre simul & cœleste: Nõnullis Anubis Saturnus esse videtur, quia omnia gignens ex se & in se tanquam prægnans mulier gerens (quod Kyen Græcè dicitur) Kyon (id est canis) appelletur. Et verò antiquitus canem violare Aegyptiis religio erat, summisq; id animal honoribus afficiebatur. sed postquam Apis à Cambyse necati & proiecti cadauer nullum extra canem animal adiit vel gustauit: primos inter animalia honores canis perdidit. Sunt qui vmbram terræ, in quam delapsam Lunã deficere putant, Typhonis nomine accipiant. Itaq; ergo absurdum dictu non est singulos non rectè, vniuersos rectè pronunciasse. Non enim siccitas duntaxat, aut ventus, mare, tenebræ: sed quęcunque naturæ pars damnosa est & corrumpendis rebus apta, Typhonis est. Quippe nec in corporibus animæ exsortibus principia Vniuersi sunt cõstituenda, vt fecere Democritus & Epicurus. neque qualitatis expers materiæ opifex providentia vnica, quæ omnia superet atque contineat, hunc titulum meretur: qui fuit Stoicorũ error. Impossibile enim est, vbi nullius rei causam deum statueris, aliquid vnum vel bonum facere omnium rerum principium. cùm, Heracleto teste, vt lyræ & arcus, ita mundi quoque

concinnitas contentionem & remissionem admittat. & si Euripidem audimus,

Seiungier non possunt à bonis mala:
Sed est eorum, ut res habeant satis benè,
Commixtio quædam. —

Mundi gubernatio qualis.

Vetustissima proinde à sacratum professoribus rerum & legumlatoribus deriuata est opinio, auctore incognito, fide firma & indebili, non in sermonibus ea tantùm & rumoribus, sed & in mysteriis ac sacrificiis tam barbaris quàm Græcanicis exstans: neque casu ferri & à fortuna pendere Vniuersum, mente, ratione, ac gubernatore destitutum: neque vnicam esse rationem quæ contineat id & dirigat tanquam clauum aut fræna moderans. sed cùm permulta è bonis iuxtà malisq;, sint confusa, immò nihil hæc natura sincerum (vt verbo dicam) proferat: non esse vnum aliquem promum qui è duobus doliis res nobis velvti aliquem liquorem cauponis in morem distribuat atq; misceat. ergo à duobus principiis contrariis, adversisq; duabus facultatibus, quarũ altera ad dextram & rectà ducat, altera retrorsum avertatur atque reflectat, cùm vitam esse mixtam, tũ ipsum mundum, (si non vniuersum, eum saltem qui ad terram est & Lunæ subiacet) inæqualiter ferri, variisq; & omnis generis motibus agitari. Si enim nihil absque causa fit, & mali causam bonum non præbet: necesse est in natura vt boni, ita etiam mali ortum peculiarem, suúmque principium exstare. Atque hæc quidem sententia plerisque, & iisdem sapientissimis probatur. Existimant enim alii duos esse deos, quasi contrariis deditos artibus, vt bona alter, alter mala opera conficiat. alij eum qui est melior, deum: qui deterior, dæmonem dicunt. In qua sentẽtia fuit Zoroastres magus, quem narrant 100 annis antiquiorẽ bello Troiano exstitisse. Is ergo Zoroastres melioris nomen Oromazam, peioris Arimanium perhi-

Duo aduersa rerũ principia.

Magorum theologia.

perhibuit. addidítq; hoc enunciatum, de rebus sub sensum cadentibus, illum maximè similem esse luci, hunc tenebris & ignorationi. medium horum esse Mitrhram. quæ causa est quòd Mithram Persæ Mesiten, id est mediatorem seu intermedium nuncupant. Docuítq; votiuas & pro gratiis agendis oblatas victimas illi immolandas: huic averruncandi mali causa institutas & tetricas. herbam enim quãdam, Omomi appellatam, in mortario tundentes, Ditem invocant & Tenebras: tum admixto lupi iugulati sanguine, efferunt & abiiciunt in locum quò Solis radij non pertingunt. Nam & de stirpibus ita iudicant, quasdam boni dei esse, mali quasdam genij. & animalium alia, vt canes, aues, & echinos terrestres bono, aquaticos malo adiudicant. itaq; & beatum eum prædicant, qui plurimos interfecerit. Enimverò illi quoque multa de diis fabulosa narrant: cuius generis est quod referam. Oromazen natum aiunt è luce purissima, Arimanium è caligine: eos bellum inter se gerere. sex deos fecisse Oromazen: primum benevolentiæ, secundum veritatis, tertium æquitatis, reliquos sapientiæ, diuitiarum, & voluptatis quæ honesta consequitur opificem. Arimanium totidem numero his aduersa efficientes. Deinde Oromazen sese triplicasse, & à Sole tãto se intervallo remouisse, quanto à terra Sol abest. ac cœlum stellis decorasse, vnámq; ante alias tanquã custodem & speculatorẽ constituisse Sirium. alios porrò XXIV deos condidisse & in ouo posuisse. At totidem numero factos ab Arimanio ouum illud perforasse * hinc mala bonis esse permixta. Appetere porrò fatale tempus, quo necesse sit peste & fame ab his adducta Arimanium omnino perdi atque aboleri. terráque æquabili & plana facta, vnam vitam vnámq; ciuitatem beatorum hominum vniuersorum, vnáque lingua vtentium fore. Theopompus ait de sententia magorum vicibus ter mille

annorum alterum deorum superare, alterum succumbere: & per alia tria annorum millia bellum eos inter se gerere, pugnare, & alterum alterius opera demoliri: tandem Plutonem deficere. & tunc homines fore beatos, neque alimento vtentes, neq; vmbram edentes. deũ porrò ista qui machinetur, quiescere ad aliquod tempus, nõ quod longum sit deo, sed rectum & mediocre tanquam hominis dormientis. Hoc modo se habent Magorum fabulæ. Chaldæi planetas deos faciunt, quorum duos benefi- 10
cos, totidem maleficos, reliquos tres medios affirmant & promiscuos. Græcorum opinio nemini ferè ignota est: qui bonam partem Ioui Olympio, malam Diti auerrunco adsignant. & Harmoniam (quasi concinnitatem) è Venere & Marte natam fa- 15
bulantur: quorum hic sæuus est & contentiosus, illa comis & genitabilis. Iam philosophos vide cum his consentientes. Heracletus enim apertè bellum nominat patrem & regem & dominum omnium. & Homerum dum optat,

Philosophorum sententiæ de principio.

Ilia. σ, 207.

Ex diuisim atque hominum ut pereat discordia cœtu,

occultè exsecrari vniuersorum ortum, quia nascuntur ex contentione & adversatione. & Solem non transgressurum positos sibi limites: alioqui fore vt 25
in linguas incidat iusticiæ patrocinantes. Empedocles principium boni efficax amorem ac amiciciam, sæpe etiam harmoniam appellat: deterius autem

Rixam perniciosam, & litem sanguinolentam.

Pythagorici pluribus vtrumque principium affi- 30
ciunt nominibus. Bonum Vnitatis, finiti, quiescentis, recti, imparis, quadrati, æqualis, dextri splendidi: malum Binarij, infiniti, in motu versantis, curui, paris, altera dimensione longioris, inæqualis, sinistri, tenebricosi. hæc esse principia ortus rerum sta- 35
tuunt. Anaxagoras mentem & infinitũ. Aristoteles formam & priuationem. Plato multis locis quasi occul-

occultans & obvmbrans suam sententiam, alterum cõtrariorum principiorum Idem, alterum appellat Diuersum. At in libris de Legibus iam senior non per ambages aut notas, sed disertis verbis pronun-
5 ciat mundũ non vnica anima, sed compluribus fortasse, ad minimũ autẽ duabus cieri: quarũ vna boni sit efficax, altera eius contraria & contrariorũ opifex. relinquit etiam tertiam quandam in medio naturam, non animæ, non rationis expertem, neq; ex
10 sese immobilem, vt nonnulli putant: sed vtrisq; harum expositam, ita vt semper appetat ac desideret meliorem & sectetur. id quod sequens oratio explicabit. vbi Aegyptiorũ theologiam maximè ad hanc accõmodabimus philosophiã. Mixta est enim huius
15 mũdi origo atq; cõpages ex cõtrariis facultatibus: sed quarum nõ sint æquales vires. melior enim prævalet quidem: deteriorem autem funditùs aboleri nefas est, cùm & in corpore ea validè inhæreat, & in anima vniuersi, & meliori semper repugnet. In ani-
20 ma ergo mens & ratio optimorũ omnium princeps atq; dominus, Osiris est. in terra autem, spiritibus, aquis, cœlo, & stellis quod ordinatum est, æquabile, & sanum, id defluxus, & imago est Osiridis, tempestatum, temperamentorum, ac conversionum vici-
25 bus conspicua. Typhon autem animæ pars rationis vacua est, & variis motibus exagitata, tumultuosa & bruta. in corpore facultas morbos & mutationes adsciscens. tum aëris intemperies & inconstantia, solisq; & lunæ defectus, velvti excursiones sunt Ty-
30 phonis. Et ipsum nomen Typhonis, quod eum Seth appellant, rem arguit. notat enim id quod vi obtinet, ac multas conversiones admittit, sæpe transilit. Quidam dicunt Bebæonem vnum de sociis Typhonis fuisse: Manethos Typhoni etiã Bebonis nomen
35 factum: voce obstaculum seu impedimentum significante. quòd rebus rectà incedentibus & ad suum finem tendentibus vis Typhonis obsistat. Itaque de

Typhonis et Osiridis interpretatio

cicuribus animalibus inertissimum ei tribuunt asinum: de feris sæuissima, crocodilum & equum fluuialem. Ac de asino quidem dictum est suprà. Cæterùm apud Hermupolin simulacrum ostenditur Typhonis, equus fluuialis, cui accipiter insistit in serpentem pugnans. equo Typhonem indicante, accipitre vim & principium, quibus vi potitus ille sæpenumerò non defatigatur prę malicia turbatus atque turbans. itaq; etiã septima mensis Tybi sacrificantes, quam diem nominant Isidis è Phœnice adventum, placentis adfingunt equum fluuialem vinctum. In vrbe Apollinis statutum est vt quisque omnino de crocodilo edat. certa autem die quadam venati quotquot possunt crocodilos, interficiunt, & ex adverso templi abiiciunt, Typhonem dicentes in crocodilum mutatum Oro se fuga eripuisse. ita omnia animalia, stirpes, & eventa mala atque damnosa Typhonis opera & effecta putant. Contrà Osirin oculo & sceptro pictis exprimũt, oculo providentiam, sceptro potentiam demonstrante. sicvt Homerus etiam Iouem omnium regem atque principem appellat

Ilia. 8, 22. *Induperatorem, consultoremq;:—*

Accipiter. priore voce imperium, posteriore prudentiam innuente. Accipitre etiam picto Osirin sæpe proponunt. auis enim ea pollet acumine visus & volatus celeritate, eáque est natura, vt celerrimè alimentum digerat. fertur etiam cadaueribus inhumatis terram iniicere supervolans. & cum in Nilum bibendi causa devolat, pennam constituit rectam, ac inclinans eam postquam bibit, ostendit se evitato crocodilo incolumen evasisse: si enim rapiatur, manet penna recta sicvt eam fixerat. Vbique porrò ostenditur simulacrum Osiridis humana specie, recto pene, ob vim gignendi & alendi. At amiculum flammeũ quo imagines eius velantur, Solem exprimit, quod corpus benefica præditum facultate visu percipitur, & exem-

exemplum est sola mente cernendæ substantiæ. Itaque meritò contemtui habentur, qui globum Solis Tiphoni adscribunt: cui nihil splendoris, nihil salutare. nullus ordo, nulla procreatio aut motio ratione modóque constans, contraria omnia conveniunt. & æstus, quo multa animalium ac terra nascentium corrumpuntur, non Solis opus existimari debet, sed spirituũ aquarúmq; in terra & aëre intempestiuè confusarum, quando principium incompositæ & infinitæ facultatis errore cõmisso exhalationes exstinxerit. Porrò in sacris de Osiride canticis invocant eum, qui in Solis occultatur vlnis. & vltima die mensis Epiphi, Sole & Luna in eadem linea coëuntibus, ferias agunt natalicias oculorum Ori. quippe non Lunam modò, sed & Solem oculum luménque Ori censentes. Vigesima secunda die mensis Phaophi, post æquinoctium autumnale, festum diem celebrant, tum Solis baculos natos dicentes. quo innuũt velvti fulcro & roboratione Solem iam indigere, qui inclinatus cùm iam à nobis per obliquum ferri incipit, & caloris & luminis aliquam sit passus deminutionem. Præterea bouem femellam sub solstitium hybernum septies circa templum circumferunt: vocatúrque Osiridis indagatio Solis circuitus, aquam hyeme desiderante dea. toties autem circumeunt, quia septimo mense decursus Solis ab hyberno ad æstiuum solstitium conficitur. Omnium primus Orus Isidis F. Soli sacrificasse fertur quarta die mensis, vt scriptum est in libro, qui Natalicia Ori titulum habet. Et verò quavis die ter adolent Soli: resinam sub ortum, myrrham meridie, Kyphi (quod vocant) circa occasum. quorum quodq; quam habeat rationem, infrà exponã. singulis quidem istis cõciliare se & venerari Solem opinantur. Quanquam quid refert multa colligere talia. Sunt, qui Osirin disertè aiunt esse Solem, & à Græcis Sirium appellari: articulum O præpositum

huic nomini apud Aegyptios obscuritatem dubitationémque de vocabulo genuisse. Isidem verò eandem cũ Luna esse pronunciantes, etiã eadem vtranque imagine repręsentant. in qua cornuta Lunæ indicant illuminationes falcatas, nigræ autem vestes occultationes eius & obvmbrationes designãt, quibus Solem desiderans sectatur. Itaq; & ad res amatorias Lunam invocant: & iis rebus præesse Isidem Eudoxus affirmat. Atque hæc quidem veri saltem aliquam habent similitudinem: qui autem Typhonem faciunt Solem, indigni sunt qui audiantur. Sed nos eò, vnde abiit oratio, revertamur. Est ergo Isis naturæ ea pars, quæ quasi feminea, omnes in se recipit ortus, tanquam nutrix quædam & omnium commune receptaculum à Platone dicta, à pleriſque aliis Myrionymos, id est innumeris prædita nominibus: quòd ratio eam in omnes formas speciésque vertat. Huic Isidi à natura insitus est amor primæ omniúmque principis & præstantissimæ naturæ, quæ est Bonum. hoc ea desiderat atque persequitur, & portionem à malo sibi obtingentem fugit atque repellit. Cùm enim sit receptaculum & subiectum vtriusq;, sua tamen sponte semper vergit ad melius: seque præbet implendam & conserendam defluxibus ac similitudinibus, quibus feta & rebus referta gignendis gaudet atque exsultat. Quod enim nascitur, id imago & exemplum in materia est Entis. Itaque ergo non abs re fabulantur Osiridis animam sempiternam esse interitúsque securam: corpus eius à Typhone subinde divelli atque aboleri, idq; ab Iside vagante conquiri, rursúmque componi. Id enim quòd re vera est, soláq; cernitur mente Bonum, extra interitus mutationísque aleam situm habetur. eius imagines quasdam sensilis atq; corporea natura impressas gerit, rationésq; eius & formas ac similitudines in se recipit, quomodo in cera sigillorum simulacra figuntur. verùm ista

Isidis, Osiridis, Typhonis physica explicatio.

non semper permanent, sed confusione & tumultibus excipiuntur in hac regione, superiore expulsa, & adversus Orum pugnantia, quem Isis gignit sensile exemplum mundi sola mente videndi. Eam ob rem pro spurio accusatus à Typhone dicitur, vtpote non purus, neque sincerus vt pater ipsius forma per se mixtionis & motionis expers, sed corporea materiei natura adulteratus. Causam tamen in iudicio obtinet Orus, Mercurio, id est ratione, demonstrante mundum à natura conformari imitatione substantiæ sola intelligentia perceptæ. Quod enim Apollo ex Iside & Osiride adhuc in vtero Reę versantibus dicitur natus, eo innuunt antequã hic mundus conspicuus fieret & materiam forma perficeret, naturam ex sese imperfectionis convictã primum ortum edidisse. ideóque illum deum mancum in tenebris natum esse aiunt, & seniorem Orum appellant: quòd non mundus erat, sed futuri mundi imago quædam ac species. Orus autem ipse finitus est & perfectus, neque Typhonem omnino interfecit, sed vim eius efficacitatémq; abstulit. Itaque Copti ferunt simulacrum Ori altera manu Typhonis genitale membrum tenere. & Mercurium fabulantur Typhonis neruos exemisisse, vtique iis pro fidibus: docentes rationem concinnando vniuerso id de dissonante consonum redegisse, & vim interimendi non aboleuisse sed impleuisse. quo fit, vt ea imbecillis atque languida in hoc mundo rebus mutationum affectionúmque variarum capacibus adhæreſcat: & in terra quidem concussiones tremoréſque, in aëre æstus ventósque intempestiuos, tum turbines igneos atq; fulmina moliatur: aquas etiam & spiritus pestilenti lue inficiat: & vsque ad Lunam excurrat séque efferat sæpe splendidum obfuscans aërem. quod sentientes Aegyptij, Typhonem dicũt aliàs percussisse, aliàs erutũ deglutisse oculum Ori, deinde Soli reddidisse. ictu menstruam Lunaris lu-

minis diminutionem innuentes, impletione autem defectum, cui Sol medetur Lunam, vbi ea vmbram terræ evitauit, adversus illustrans. Iam præstantior ac diuinior natura è tribus constat, eo quod mente cernitur & materia, & quod ex his compositũ Græcis Kosmos, id est Mũdus, dicitur. Ac Plato quidem primum illud ideam, exemplar, patrémq; nominat: Materiã matris, nutricis, sed is, & regionis ortuum capacis vocabulo notat: quod ex vtroque constat, prolem ortúmque nominare adsolet. Aegyptios autem probabile est triangulorum pulcerrimo in primis comparasse Vniuersi naturam: qua comparatione etiam Plato in rep. videtur vsus, vbi figuram Nuptialem componit. Constat id triangulum tribus lateribus, quorum basis est quatuor, angulum rectum ad eam conficiens trium, & huic subductum angulo latus quinque scrupulorum, tantum potest quantum latera cum conficientia. Intelligendum est autem linea ad rectum angulum alteri insistente marem, basi feminam, subtendente prolem vtriusque repræsentari. & Osirin esse principium, Isidem receptaculum, Orum effectum. ternarius quippe primus est impar ac perfectus numerus: quaternio est quadratum lateris paris binarij: quinarius quâ patri, quâ matri cõgruit, conflatus è binario & ternione. is Græcis est pente, à qua voce manasse videtur panta, quo Vniuersum, & penpasasthæ, quo numerare intelligitur vocabulo. quadratũ porrò quinarius producit à se, quantus est numerus litterarum apud Aegyptios, & quot annos vixit Apis. Orũ solent ij Kæmin appellare, quod est, visui expositum. est enim mundus res sensilis ac visilis. Isis aliquãdo Muth, nonnunquam Athyri, quandoque Methyer nominatur. prima voce mater intelligitur, secunda domus Ori mundana, (sicvt & Plato locum ortus & receptaculum fecit) tertia ex plenitudine & causa componitur. plena enim est materies mundi,

Triangulũ rectangulũ primum.

& cum bono, puro, probéque composito subsistit. Fortasis etiam Hesiodus prima omnia faciens chaos, terram, tartarum, & amorem, videri potest non diuersa, sed eadem rerum principia ponere: siquidem Isidis nomine terram, Osiridis amorem, Typhonis tartarũ accipimus. nam chaos videtur quasi locum quendam & regionem Vniuerso subiecisse. Enimverò res ipsa quodammodo citare videri potest fabulam, quam in conuiuio Platonico Socrates de ortu Amoris narrat. Paupertatem scilicet cùm prolem desideraret, Poro (id est copiæ) dormienti accubuisse, atque ex eo grauidam factam, Amorem peperisse, natura varium & ad omnia sese vertentem: vt qui patre bono, sapiente, atque in se ipso omnium habente rerum copiam, matre autem inope, ac ob paupertatem semper aliorũ appetente natus esset. Porus enim ille nihil est aliud, quàm id quod primò amatur atque appetitur perfectum & seipso contentum. Materiæ autem nomen paupertatis indidit, quæ suapte natura indiga est boni, ab eóque impletur, & id semper expetit atque recipit. Ex his natus Orus siue mundus, non sempiternus est, neq; mutationum exsors & interitus, sed identidem nascens, vicibus mutationum subinde atque affectionum nouus recuditur, permanétq; vt nunquam periturus. Porrò autem fabulis vtendum est, non quasi eæ rem prorsus doceant: sed quod ob similitudinem cum re ipsa aliquam commodum ad eius explicationem offertur, desumendum inde est. Ergo vbi materiam nominamus, non debes philosophorum quorundam opiniones secutus corpus aliquod animæ expers ac qualitatum, & ociosum suapte natura atque inefficax imaginari. nam & oleum vnguenti materiam vocamus, & aurum statuæ, non omni planè carentia qualitate. ipsúmque animum & intellectum hominis tanquam virtutis & scientiæ materiam rationi expoliendam at-

Theogoniæ 116.

Materiæ.

que componendam tradimus. & mentem quidam formarum locum, & in qua rerum intellectu percipiendarum quasi expressa sint simulacra appellant. sunt etiam qui semen muliebre non facultatem aut principiũ, sed materiam & alimentũ fetus censent. Hæc tenentes, etiam deam hanc sic intelligere debemus participem fieri primi dei, & amore perpetuo bonorum eius duci, non vt ei adversam: sed quæ tanquam maritum legitimum & iustum amore iusto sectetur. quomodo probam mulierem cum suo viro degentem, tamen eius desiderio trahi dicimus: ita eam semper eum auere, eique adesse, ac præcipuis & purissimis repleri partibus. Vbi autem Typhon extrema tangens incidit, ibi videri eam mœstam, ac dici lugere, & reliquias quasdam frustáque discerpti Osiridis conquirere ac velare, dum ea quæ intereunt excipit atq; occultat, vt rursum ex sese edat ac emittat res nascentes. Etenim quæ in cœlo & sideribus sunt formæ ac defluxus dei, permanẽt. quæ autem sparsa sunt in res motibus obnoxias terram, mare, stirpes, animalia, ea mutantur, intereunt, sepeliuntúrque, & sæpenumerò rursum exsistunt, in lucémque emicant orta. Itaque fabula Typhonem maritum Nephthyos facit, & cum hac occultè coisse Osirin. Extremas enim materiæ partes, quæ Nephthyos & Finis nomine intelliguntur, vis maximè interitum rebus adferens continet. vis autem genitalis & conseruatrix rerum, imbecillum semen & languidum in eas didit, & à Typhone perimitur, nisi quantum eius Isis excipiens seruat, alit, atque constituit. In vniuersum autem ille est præstantior: sicvt & Plato opinatur, & Aristoteles. Ad hunc naturæ pars genitabilis & salutaris, & ad exsistendum mouetur: ab eodem facultas interimens atque abolens cietur & ad interitum impellitur. Itaque illi Isidis nomen est factum, quòd scienter proficiscatur atque procedat: quippe motus cum sit animatus

Isidis nomẽ & Osiridis.

ac pru-

ac prudens. Non enim barbaricum est nomen. sed sicvt omnibus diis à theato & theonte, id est spectabili & currente nomẽ theos inditũ fuit: sic istam deam à scientia simul & motu cùm nos Isidem, tum Aegyptij appellant. Sic etiá Plato ait Vsiam, quod est substantia, veteres nomine Isias expressisse: & intelligentiam ac prudentiam vocasse itidem, quasi mentis agitationẽ, vocibus omnibus abienæ (quod est ire) deductis. hinc synienæ intelligere est. & omnino simili ratione ab eo boni, virtutisq; explicantur vocabula: sicvt contrariis notantur traducuntúrque appellationibus ea quæ naturam impediunt eiúsque progressionibus morã obstando iniiciunt, vt malum, indigentia, timiditas, molestia. Sic ergo Osiris nomen habet ex hosio & hiero, quod est sancto & sacro, conflatum. communis enim est ratio eorum quæ in cœlo & apud inferos sunt, quorum altera hiera, altera hosia veteres nuncupabant. Iam qui cœlestia ostendit Anubis, superiorum quasi ratio, (ano enim suprà est) aliquando etiam Hermanubis vsurpatur: altero nomine superioribus, altero inferis scilicet conveniente. itaq; ei immolant aliàs album, aliàs flauum gallum: supera sincera & manifesta, infera mixta & varia innuentes. Neq; verò mira debet videri nominum ad Græcùm sermonem effictio. nam innumera alia hodiéque manent vnà cum migrantibus è Græcia ad exteros propagata: quorum quædam revocantem poëticam vituperant tanquam barbariei se dantem ij, qui id genus res glossas appellant. Cæterùm memoria proditum est in libris, qui Mercurij libri dicuntur, scriptum esse de sacris nominibus, facultatem quæ præest conversioni Solis Orum, Græcis Apollinem vocari. quæ vento, ab aliis Osirin, ab aliis Sarapin, Aegypticè Sothi: quæ vox Kyesin, id est grauiditatem siue feturam notat. atque hinc facta inclinatione stellla Caniculæ, quæ propria Isidis censen-

Vide Cratylum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur, dicta est Kyon siue Canis. Minimè equidem de nominibus est cõtendendum. ego tamen Sarapidis potiùs quàm Osiridis nomen Aegyptios sibi vindicare sinam. illud enim peregrinum, hoc Græcum, ambo vnius dei seu facultatis vocabula censeo. His conveniunt etiam Aegyptia. Isidem enim sæpenumero nomine Mineruæ significant * * quæ vox significat motum à seipso profectum. Typhon autem, sicvt monstratum fuit, Seth, Bebon, & Smy appellatur: quibus verbis indicatur violenta quædam inhibitio, contrarietas, aut inversio. Præterea magnetem lapidem osis Ori, ferrum osis Typhonis nomine afficiunt, vt Manethos narrat. sicvt enim ferrum sæpe simile est tracti à lapide & eum sequentis, sæpe avertitur in diuersam partem. ita motus mundi salutaris, bonus, & ratione constans aliquando versat, ad se ducit atque molliorem reddit obsequentem sibi duram illam ac Typhoniam vim: aliquando hæc in sese revertitur, & in infinitatem relabitur. Ad hæc de Ioue perhibet Eudoxus fabulam Aegyptios celebrare, eũ pedibus inter se connatis cùm ire non posset, ob pudorem in solitudidine vixisse: Isidem aũt dissectis & diductis iis membris Ioui gressum expediuisse. qua fabula hoc innuitur, dei mentem suapte natura in invisibili & incon spicuo degentem, motu ad res procreandas processisse. Sistrum quoque arguit quati omnia naturalia & nunquam motu vacare debere, sed velvti excitari atque exagitari vbi torpere & tabescere ceperint. aiunt enim sistris Typhonem averti atque depelli: ostendentes interitu res vinciente & inhibente, ortum rursus motu naturam soluere atque expedire. Et sistri superiore parte rotundi conspectus admonet de quatuor corporibus quæ concutiuntur. nam quæ pars mundi ortui & obitui est obnoxia, ea continetur globo Lunæ: inque ea omnia mouentur ac mutantur ratione quatuor elementorũ, ignis puta,

Sistrum.

puta, terræ, aquæ, & aëris. Curuamini sistri autem in vertice infigunt felem humana facie, imæ parti infra ea quæ quatiuntur, aliquando Isidis, interdum Nephthyos faciem. his faciebus advmbrant ortum & interitum, quæ sunt elementorũ mutationes atque motus: fele Lunam repræsentante, ob animalis istius varietatem, ac vim noctu agendi & fecunditatem. dicitur enim vnum principiò catulum párere, deinceps duos, tres, quatuor, vnóque subinde plures donec septem vno partu edat. itaque duodetriginta in summa parit, qui est numerus dierum Lunæ. Verùm hoc fortasse fabulæ sit similius. sed felis oculorum pupillæ impleri dilatarique videntur sub plenilunium, & Lunæ lumine decrescente attenuari atq; langueſcere. humana autem felis facie innuitur Lunæ mutationes mente ac ratione gubernari. Sed vt rem in pauca verba contraham, neque aquam, neque Solem, neque terram, neque cœlum Osirin vel Isidem esse rectum est putare: neque Typhonis nomine ignem, æstum, aut mare intelligere verum. sed simpliciter quantum in his modo & ordine caret ob excessum aut defectum, Typhoni imputantes: quæ ordine & composite fiunt, quæ bona sunt & vtilia, vt Isidis opus, imitationem autem & imaginem ac speciem Osiridis venerantes atque colentes, non peccabimus. quin & Eudoxi dubitationibus finem imponemus, anxiè quærentis cur non Cereri procuratio rerum amatoriarum adscribatur, sed Isidi, & cur non Bacchus Nilum augeat, neque mortuis possit præesse. Vna enim ratione communi hos deos omni bonorum portioni præesse censemus, & quicquid in natura pulcrum bonúmve inest, iis acceptum ferimus, illo principia suppeditãte, hac vim excipiente & conseruante. Eodem pacto vulgares quoque & molestas sententias refellemus eorũ, qui vel aëris secundum anni partes mutationibus, vel frugum pro-

Felis natura.

creationi,sementi,arationi gaudent accommodare ea quæ de his diis memorantur. vt cum dicunt Osiridem sepeliri quando semen terra occulitur: in vitam redire & rursum apparere quando pullulare incipit. ideóque dici, Isin cùm se sentiret esse grauidam, appendisse sibi amuletum, sexta die mensis Phaophi. & peperisse Harpocratem sub solstitium hybernum imperfectum ac recentem, quòd tũ prę-vij flores & germina prima enascuntur. ideóque ei fabarum nascentium primitias offerunt: dies autem puerperij post æquinoctium vernum solennes agũt. Hæc enim vulgo audientes amplectuntur atq; credunt,illicò ab iis quæ in promtu sunt petita probabilitate. neque sentiunt hoc primum esse iniquum, vbi deos non communes omnium hominũ faciunt, sed proprios Aegyptiis dicant, & dum Nili Aegyptíque nomine,ac paludum, Lotum, & deorum effectionem de his solis intelligunt, quibus ea nomina sunt tributa. magnis se diis alios spoliare homines, quibus nullus Nilus est, neque Butus,neque Memphis: cùm tamen hi Isin aliósque id genus deos vniuersi habeant atque norint, & quosdam sanè Aegyptiis nominibus afficere non ita pridem didicerint, singulorũ aũt vim iam inde ab initio cognouerint. atq; honorauerint. Deinde maius etiã incõmodum est. Nisi enim attentissimè cauerint, imprudẽtes numina in spiritus,fluxus,sementes,arationes,terręq; adfectiones & tempestatũ mutationes permutent atq; dissipent. vt ij qui Bacchum pro vino, Vulcanũ pro flamma accipiunt. sic & Cleanthes alicvbi Proserpinam(quæ Græcis est Pherſephone)ait esse spiritum qui per fruges dum fertur,interimitur. & quidam poëta de messoribus dixit:

Cùm lecti iuuenes Cereris iam membra secarent.

Hi sanè nihil ab iis differunt, qui vela, rudentes & anchoram pro gubernatore, & fila ac stamina pro textore, & cyathum,mulsum,vel ptisanam pro medico

dico habent. Adde quòd pessimas & impias isti opiniones excitant, qui deorum nomina rebus sensu animáque carentibus, & vsu hominum necessariò pereuntibus imponunt: quæ vt dij sint,nullo modo intelligi potest. Non enim deus res est animæ expers, & manibus hominum subiecta aut obnoxia: sed deos inde censuimus esse,quòd ij nostris vsibus res perpetuas atque perdurantes largiti sunt. Neq; verò alij apud alios sunt dij, aut sui Græcis, barbaris item sui,alij septentrionalibus,alij austrinis. Sed quemadmodum Sol,Luna,cœlum,terra,mare, communia sunt omnibus, tantùm aliter ab aliis appellantur: ita vnius mentis hoc Vniuersum temperantis,vniúsque providentiæ huic præfectæ,& facultatum administrarum omnibus rebus destinatarum, alij apud alios honores, alia nomina legum instituto habentur. notisque vtuntur obscurioribus ij qui sacris sunt dedicati, alij apertioribus intellectũ ad diuinas res quasi manu deducunt: quæ res periculo non vacat. Nõnulli enim à recto itinere deviantes, prorsus in superstitionem delapsi, alij fugiendo, vt par erat superstitionẽ,imprudentes in præcipitium quasi quoddam impietatem delati sunt. Itaq; oportet apprimè ratione è philosophia desumpta, quæ nos sacris initiet,sanctè eorum quæ aguntur dicuntúrque vnũquodq; considerare,ne quomodo Theodorus dicebat se orationes dextra porrigente, audi torum nonnullos læua eas accipere: sic nos quæ leges de sacrificiis & festiuitatibus bene præcipiunt, aliter quàm rectum est intelligentes,peccemus. Etenim omnia esse ratione peragenda, ex ipsis illis potest deprehendi. Vndevigesima die primi mensis, diem Mercurio festum celebrantes, mel & ficos edunt,simul dicentes, Dulce est veritas. Isidis amuletum, quod appendisse eam sibi fabulantur,interpretatum sonat Vocem veram. Harpocrates neque deus imperfectus ac infans putandus est, neque vl-

lum leguminum: sed præses atque corrector recentis, imperfectæ, & incompositæ hominũ de diis sententiæ. itaque & digitum ori impositum tenet, argumentũ taciturnitatis & silentij. & mense Mesore offerentes ei legumina, dicunt: Lingua est fortuna, lingua genius. De stirpibus Aegyptiis maximè consecratam deæ aiunt perseam: quòd eius fructus cordis, folium linguæ speciem refert. Quippe eorũ quę homini obtingere possunt omnium nihil diuinius est oratione, præcipuè de diis, neque maius res vlla ad felicitatem momentum adfert. Itaque hic oraculum intraturo mandatur, vt sanctè sentiat, & modestè loquatur. Plerique autem ridiculè agunt, qui in pompis & festiuitatibus fauere linguis iubentes, pòst de diis ipsis pessimi ominis voces sententiásq; vsurpant. Quomodo ergo tristia illa & risus expertia ac lugubria sacrificia sunt obeunda? siquidẽ neq; omittere legibus præscripta conuenit, neq; opiniones de diis confundendæ & cum suspicionibus absurdis miscendæ sunt. Equidem quo tempore Aegyptij sacris operantur, multa eodem tempore similia apud Græcos aguntur. Nam & Athenis mulieres Thesmophoria obeuntes ieiunãt humi desidentes: & Bœoti Achææ Megara mouent, festiuitatémque eam molestam nominant, quòd nimirum Ceres ob Proserpinæ filiæ descensum in dolore sit. Fiunt hæc mense sationis circa Virgiliarum ortum, quem mensem Athyr Aegyptij, Pyanepsionem Athenienses, Bœoti Damatrium, id est Cerealem nuncupant. Theopompus narrat eos qui ad Solis occasum habitant censere & appellare hyemem Saturnum, æstatem Venerem, ver Proserpinã: & omnia nasci ex Saturno atque Venere. Phryges deum opinantes hyeme dormire, æstate vigilare, hyeme sopitiones ei, æstate excitationes bacchando celebrant. Paphlagones vinciri eum atque coërceri hyeme, vere moueri & solui aiunt. Et temporis ratio iniicit suspicionem,

Sacrificia tristia.

cionem, tristia sacra instituta esse ob occultationem fructuum: quos antiqui non deos, sed dona putauerunt deorum magna & necessaria ad feræ & belluinæ vitæ evitationem. Ac quo tempore fructus arborum omnino defecisse abolitósq; esse cernebant, alios ipsi serentes parcè & cum penuria, terráque manibus hausta occultabant, incerta spe capiendi deponentes, multa agitabant in morem sepelientiũ atque lugentium. Porrò sicvti nos eum, qui libros Platonis emit, emere Platonem dicimus, & Menandrum agere, qui poëma Menandri agit: ita illi nomina deorum liberaliter donis ac operibus deorum tribuerunt, ob vtilitatem ea honorantes atq; exornantes. Sed posteri horum indoctè ista accipientes, imperitéq; in ipsos deos detorquẽtes, ea quæ frugibus áccidunt aliàs exorientibus aliàs occultatis, deorum ortus interitúsq; nõ vocando dun taxat, sed etiam sic habere rem arbitrando, seipsos absurdis, impiis, tumultuosisq; opinionibus obruerunt. At verò absurditas rei in conspectu fuit non modò Xenophani Colophonio, aut qui eum subsecuti Aegyptios monuerunt, vt aut ne lugerent eos quos deos censerent esse, aut pro diis non haberẽt, si lugendos crederent: sed & ridiculum ex se est inter lugendum votis petere vt noui nascãtur sibi fructus, quos rursum insumendi ac porrò lugendi habeant materiam. Verùm res aliter habet. fructuum enim causa lugent: deos vt causam & præbitores bonorum precantur, vt ij loco pereuntium nouos alios gignant atque producant fructus. Ita rectissimè apud philosophos dicitur, Qui vocabula non discant rectè intelligere, eos etiam de rebus ipsis falli. quod vsu venit Græcorum iis, qui ærea, picta, aut lapidea simulacra cùm adsueuissent non imagines & honores deorum appellare, sed deos: ausi sunt deinde dicere, Mineruam à Lachare fuisse exutam, Apollinis cincinnos aureos Dionysium ton-

dendo abstuliſſe, Iouem Capitolinum ſub bellum ci uile incendio periiſſe. Hæc illi diſcunt attrahentes & amplectentes prauas opiniones, quæ nominibus comitantur. Atque hoc non leuiter Aegyptiis áccidit reſpectu eorum quæ venerantur animalia. Nam in hoc negocio Græci rectè cùm dicunt tum ſentiunt columbam animal eſſe ſacrum Veneris, draconem Mineruæ, coruum Apollinis, canem Dianæ, ſicvt Euripides de Hecuba:

Hecates ſimulacrum luciferæ fies canis,

Sed Aegyptiorum plerique colentes ipſa animalia & tractantes tanquam deos: non ſannis modò & irriſioni totam pœnè ſacrorum obiecerũt rationem. (hoc enim à ſtultitia illa malum provenit minimũ) ſed & vehemens ingeneratur animis opinio, quæ infirmis atque ſimplicibus meram inducit ſuperſtitionem: vehementiores atq; audaciores ad negandum deos, belluináſq; cogitationes propellit. Quo fit, vt de his ipſis etiam aliqua probabiliter diſſerere non ſit alienũ. Nam quod traditur deos Typhonis metu in iſta animalia tranſiiſſe latendi cauſa, & corporibus ibium, canum, accipitrum ſe occuluiſſe: id quovis prodigioſo commento, quavis fabula eſt vanius. neque plus fidei meretur, quàm animas mortuorũ eas quæ non abolentur nouo ortu in hæc tantùm redire animalia. Cæterùm qui ciuilem aliquam cauſam adferre volunt, eorum alij Oſirin dicũt magnum exercitum ſuum in certas cohortes atq; centurias diuiſiſſe, ac ſingulis vexillum animali aliquo inſignitum tradidiſſe: ſingulóſq; populos id quod ei obtigiſſet, honore ac ſacro cultu dignatos fuiſſe. Alij poſteriores reges, terroris hoſtibus incutiendi cauſa in prœliis aiunt occurriſſe, belluarum aureis argenteíſve capitibus atque primis partibus indutos. Sunt qui regem quendam callidum atque verſutum narrent, quia deprehendiſſet Aegyptios natura leues, & ad res nouas apprimè procliues eſſe, eoſdém-

De animalibus quæ colunt Aegyptij.

eoſdémq; ob multitudinẽ viribus inſuperabilibus atq; effrænibus præditos, vbi ſana mente & cõmuni conſilio rem vellent gerere: ſempiternæ eis diſcordiæ occaſionem diſperſa in ſingulas gentes ſuperſtitione obtuliſſe. cùm enim aliis aliorum animalium cultum iniunxiſſet, quæ inter ſe inimicitias exercent, & vnum ab alio cibi gratia expetitur: dum ſua ſingulæ defendunt animalia, et eorum iniurias ægrè ferunt, factum eſſe vt ob animalium inimicitias ipſę gentes re non obſeruata infeſtæ ſibi invicémq; hoſtes redderentur. Sanè ſoli omnium Aegyptiorum Lycopolitæ ouem edunt: quia idem lycos, id eſt lupus, facit, quem pro deo habent. Et noſtra adeò tempeſtate cum Cynopolitæ piſcem oxyrynchum ederent, Oxyrynchitæ canes compræhenſos ac mactatos victimæ in morem comederunt. eáq; de cauſa conflato bello, cùm ipſæ grauibus ſeſe invicem damnis affecerunt vrbes, tum adfectæ à Romanis pœnam iis infligentibus fuerunt. Porrò cum multi dicant ipſam Typhonis animam in has beſtias avolaſſe: fabulæ involucro tegi hoc poteſt videri omnem brutam & belluinam naturam, malo genio iure deberi. eúmq; placantes & demulcentes eos iſta colere atq; venerari. Magno autem æſtu incidente, ac moleſto, qui vltra modum adducat vel peſtilentes morbos, vel alias invſitatas calamitates: ſacerdotes quædam eorum quæ coluntur animalium abducentes tacitè in tenebras, terrent primùm ea minis: ſin malum duret, immolant atque mactant: tanquam ſuppliciũ aliquod genij hoc ſi eſſet, aut aliàs expiatio magni mali magna. Nam & in Idithyæ vrbe viuos combuſſerunt homines, vt Manethos ſcribit, Typhonios appellantes, & cinerem eorum ventilando diſſiparunt atque aboleuerunt. verùm hoc palàm factum eſt, & certo tempore, diebus caniculariibus. conſecrationes animalium quæ coluntur occultæ, neque ſtatis fiunt temporibus, & vulgo

sunt ignotæ: nisi quòd sepulturam Apidis celebrantes, atq; illa producentes, quædam omnibus præsentibus vnà in sepulcrum coniiciunt: existimantes hoc pacto se Typhoni voluptatem percipienti vicissim molestiam obiicere, lætitiámque eius infringere. Etenim Apis videtur cum paucis aliis sacer esse Osiridi. ei autem pleraque attribuunt. Quod si verò est hæc ratio, existimo ea significari id quod quæritur de in confesso positis, & honores communes habentibus. cuius generis sunt ibis, accipiter, cynocephalus, & ipse Apis. sic enim caprum scilicet, qui Mendete alitur, nominant. Relinquitur, vt ad vtilitatem, & notationem qua aliquid designát, respiciatur. quorũ vtrunq; plerisq;, multis alterum adest. Bouem nimirum, & ouem, & ichneumonem liquet vtilitatis gratia atq; emolumenti honorem inuenisse. qua ratione Lemnij galeritam honorant, quia bruchorum oua invenit ac confringit: & Thessali ciconiam, quòd multos angues subitò è terra editos ciconiæ vniuersos perdiderunt: ideóq; lege exsulium indicitur ei qui ciconiam necauerit. Aspidem verò Aegyptij, & felem, & cantharum in honore habent, diuinæ potentiæ imagines quasdam obscuras, sicvt solis simulacra in stillis solent, conspicati. Nam felem etiamnum sunt qui dicát ac credant multi per aurem concipere, partũ per os emittere, qua similitudine orationis ortus refertur. At in cantharorum genere perhibitum est nullam esse feminam: mares omnes semen eiicere in materiam ab ipsis in globum conformatam, quam volutent ex adverso impellentes. sicvti Sol videtur cœlum in contrariam partem convertere, ipse ab occasu versus ortum proficiscens. Aspidem vt senij securam, & motibus nullo instrumento indigentibus facilè ac molliter vtentem, sideri comparauerunt. Crocodilus certè cultus sui probabili causa minimè destituitur. nã fertur exstitisse exemplum Dei, solus animalium

malium elinguis. nimirum quia voce numen nihil indiget, sed iter iusticiæ citra vllum conficiens sonitum, res humanas iustè temperat. Aiunt huic soli in humore versanti oculos contegi à membrana tenui ac pellucida, quæ à fronte descendat: ita vt videns, non videatur ipse. qua in re principi Deo respondet. Præterea, quo loco regionis crocodilus semina parit, eum constat incrementorum Nili fore limitem. cùm enim in humido párere non possint, & metuant longiùs ab aqua párere, ita præcisè norunt futurę eluuiei modum, vt fluuio quidem à partu & fouendi gratia accedant, oua tamen sicca & humoris expertia conseruent. pariunt LX, totidémque dies excludendo fetui impendunt, tótq; annos viuunt crocodili, qui diutissimè. Sexagenarius autem numerus prima est mensura iis qui astrologiam tractant. Iã de cane, qui inter ea numeratur quæ vtraque de causa coluntur, dictum est iam antè. Ibis verò cùm repentes humi mortiferas bestias interficit: tum prima medicam evacuandi corporis rationem docuit, cùm conspiceretur isto modo sese proluere atq; purgare. Sacerdotum etiam qui sunt maximè obseruantes legum, lustrandi sui causa aquam inde petunt, vnde ibis biberit: non enim bibit morbosam aut infectam aquam, immò ne accedit quidem. Ad hæc diductis pedibus & rostro cum his comparato, triangulum æqualium omnium laterum efficit. & nigrarum pennarum cum albis mixtio & confertio, Lunæ vtrinque gibbosæ formam habet. Enimverò mirari nemo debet, Aegyptiis ita exiles similitudines arrisisse: cùm Græci etiam pictis fictisque deorum simulacris multa adhibuerint talia. qualis est Cretæ Iouis imago auribus carens: non enim convenit audiri ab eo quenquã, qui omnium sit rerum dominus atq; princeps. & Mineruæ simulacro draconem Phidias addidit, Veneris Elide testudinem: virgines custodia habere opus, nuptis domi man-

sionem & silentium convenire significans. & Neptuni tridens signum est tertiæ regionis, quam mare obtinet post cœlum & aërem collocata. & à ternione etiam Amphitritæ ac Tritonum sunt nomina. Pythagorei autem numeros quoque & figuras deorum ornauerunt appellationibus. Nam trianguLum æqualiũ omnium laterũ nominauerunt Minerua m è vertice natã, & Tritogeneam: quia trib. perpẽdiculis eductis è trib. angulis suis diuiditur. Vnitaté Apollinis vocabulo affecerunt, duplũ eius Dianę, videlicet binariũ. eundem binarium Contentionem & Audaciam vocauerũt. ternariũ dignati sunt Iusticiæ titulo. æqualitas enim in medio posita est eorũ quæ iniustè aguntur, & contra ius tolerantur, ab excessu & defectu proficiscentia. tetractyn, quæ celebratur, id est quaternionem mysticum, x x x v t vnitatibus constantẽ, loco iureiurandi maximi fuit, sicvti omnium sermonibus est tritum: & appellabatur Mundus. conficitur autem primis quatuor paribus, & primis imparibus in vnam summã collectis. Proinde cùm philosophorum probatissimi conspectam aliquam occultam Dei imaginem ne in animæ corporisq; expertibus quidem rebus neglexerint, aut contemnendum senserint: multo (nisi fallor) pluris faciendæ sunt, quæ in sensilibus, animatísve proprietates eò pertinent, eorúmq; adfectionibus & moribus. At enim probandi sunt, non qui isthæc, sed qui per hæc numen venerantur: istáque rectè habentur pro speculis clarioribus & à natura suppeditatis, tanquam instrumenta & artificia dei * vniuersa ornantis. Aequum etiam est hoc intelli- * gi, nihil animatum inanimato, nihil sensu carens sentiente præstantius esse: etiam si quis vniuersum aurum, & smaragdum in vnum comportaret locum. Non enim in coloribus aut figuris aut læuitatibus inest diuina natura. quinimmò deteriore illud conditione est quàm res vita exutæ, quod neque

que vixit vnquam, neque viuendi habuit in se facultatem. quæ verò natura viuit, videt, & in se principium motus, notitiámq; sibi conuenientium & alienorum à se continet: omnino particulam aliquam defluentem hausit eius providentiæ, qua gubernari * hoc Vniuersum Heracletus dixit. Itaq; in his rebus nihilo deterius diuinæ naturæ concipitur imago, quàm in æreis aut lapideis operibus, quæ itidem interitui & mutationi obnoxia, sensu interim omni, omníque intellectu priuauit natura. Atque hæc sunt quæ maximè ex istis admitto, quæ de animalibus cultu dignatis disputátur. Porrò autem amicula Isidis variæ sunt tincturæ. nam vis eius versatur circa materiam in omnia mutabilem, omnium capacem rerum: lucis inquam, tenebrarum, diei, noctis, ignis, aquæ, vitæ, mortis, principij, finis. Osiridis non vmbram, non varietatem habet: totum est luminosum. principium enim temperamenti est exsors: & quod primum est, soláq; cernitur mente, id mixtione vacat. Itaque Osiridis simulacra semel tantùm promuntur, deinde ita reponuntur, vt videri tangíve non possint: Isiacis sæpenumerò vtuntur. Sensilia enim in promtu sunt, ínque vsu versantur, variisq; sui mutationibus multiplicia exhibent spectacula. Intelligentia verò sinceri, sancti, & non nisi mente percipiendi principij, fulguris instar emicans animum id semel attingere atque intueri tandem sinit. Itaque & Plato & Aristoteles eam philosophiæ partem inspectricem appellant: quando scilicet homines ratione prætervecti opinabilia ista, mixta, & omnigena, ad primum illud, simplex, & materię expers prosiliunt, veramque de eo sententiam attingentes, perfectũ se ad finem philosophiæ perveniisse existimant. Id etiam, quod hodie sacerdotes velvti abominantes & occultantes trepidè significant, Osiridem mortuis imperare, neque à Dite seu Plutone alium esse: ignoratum quomodo ve-

Isidis vela.

Osiris quomodo mortuis præsit.

rum sit, pleroſque turbat, ſuſpicantes in terra & infra terram ſacroſanctum iſtum verè Oſirin habitare, vbi corpora latent eorum qui iam eſſe deſiiſſe putãtur. At verò ille ipſe longiſsimè à terra abeſt impollutus intaminatúſq;, & purus ab omni natura interitum mortémq; ſuſtinente. Hominum autẽ animæ quandiu hic à corporibus & adfectionibus continentur, nihil habent cum deo conſortij, niſi quatenus philoſophiæ adiumento velvti per ſomnium intelligentia eum attingunt. at poſtquàm ſolutæ migrauerunt in purum, & viſui atque perpeſsionibus non obnoxium: ibi tum earum ipſe deus ductor eſt, ab ipſo pendentium, ſpectantiúmque abſque vlla ſatietate & deſiderantium ineffabilem hominibus pulcritudinem: cuius amore priſca fabula Iſidem correptam ait, ea perſequenda & potiunda implere res caducas omnibus pulcris atque bonis. Hæc eſt harum rerum explicatio, maximè deorum naturæ conſentanea. Quod ſi eſt, ſicvti in me receperam, aliquid etiam dicendum de iis quæ quotidie adolentur: illud primò cogitandum videtur, viros iſtos ſtudium rerum ad ſanitatem conducentium nunquam non feciſſe maximi: in ſacrificiis autem, caſtimoniis, ac vitæ quotidianæ vſu non minorem pietatis duxiſſe quàm ſanitatis rationem. ſentiebant videlicet neq; corporibus neque animis morbi ſuſpectis aut vitij rectè coli eam poſſe naturam, quæ vndiquaque pura, impolluta, atque illæſa eſt. Ergo quoniam aër, quo aſsiduè vtimur, ínque eo degimus, non eodem ſemper affectus temperatúſq; eſt modo: ſed noctu denſatur, corpus comprimit, animámq; compellit ad mœſticiã quandam & ſolicitudinem, velvti caligine ei quadam & grauedine inducta: ſtatim vt à ſomno ſurrexere, reſinam adolent, reficientes aërem & ſecretione purgantes, ſpiritúmque qui concretus cum corpore languorem contraxit reſuſcitantes. habet enim odor reſinæ vehementiam quãdam

Suffitũ ratio.

& vim

& vim percellendi. Rurſum meridie ſentientes Solem è terra attrahentem vi ſua admodum multum ac grauem vaporem, & aëri admiſcentem, myrrham ſuffiunt. nam calor diſſoluit atque diſsipat turbulentas fæces quæ in aëre coëunt. Etenim medici cenſent adverſus peſtẽ remedio eſſe copioſam flammam, vtpote quæ aërem attenuet. hoc autem fit rectiùs, ſi odorata ligna vrantur, vt cupreſsi, iuniperi, piceæ. & Acro medicus Athenis tempore magnæ peſtis gloriam ſibi parauit, iubendo ignem pone ægrotantes accendi. nam iuuit non paucos. Ariſtoteles etiã affirmat, vnguentorũ, florũ, pratorúmq; ſuaues fragrãtias nõ minùs ad ſanitatẽ facere quàm ad voluptatem: quòd eæ cerebrum natura frigidum & ad concretionem procliue ſenſim ſuo calore & læuitate relaxent. Id quoq; ad rationẽ cauſæ reddendæ nonnullum adfert teſtimonium, quòd myrrham Aegyptij Bal nominãt: quę vox ſi interpreteris, delirationis ſignificat amolitionem. Kyphi porrò, mixtura eſt ſedecim rerum in vnum compoſitarũ, mellis, vini, vuæ paſſæ, cyperi, reſinæ, myrrhę, aſpalathi, ſeſelis, iunci odorati, bituminis, folij ſiculni, rumicis, iuniperi vtriuſque, (duas enim nominant, maiorem ac minorem) cardamomi, & calami. Has autem ſpecies non temerè componũt, ſed ſeplaſiariis, dum iſthæc miſcent, ſacræ recitantur litteræ. Ipſe numerus aliquid videtur habere, quòd nimirum quadratus eſt à quadrato procreatus, ſolus talium pariter par, & areæ quantitatem cum ambitus numero eandem * ſed ad hoc conducunt plurima eorum quæ miſcentur, aromaticis prædita facultatibus. Itaque Kyphi ſuauem emittit vtilémq; exhalationem, qua aër mutatus ſpiritu ſuo etiam corpus afficit, temperiémque blandam adipiſcitur: & moleſtiam ac vehementiam diurnarum curarũ quaſi vincula quædam animi citra ebrietatem relaxat: facultatémq; animi imaginatricem & ſomniorum capa-

cem læuigat instar speculi, puriorémq; reddit: non minus id quidé efficaciter, quàm lyræ strepitus, quibus ante somnum Pythagorei vtebantur, brutá motibúsq; subitis obnoxiam animæ partem ea ratione excantantes atque sedantes. Odores enim sæpe sensum deficientem revocant, sæpe etiam contrà hebetant ac sopiunt, diffusis ob lęuitatem per corpus exhalationibus. sicvt medicorum nonnulli somnum oboriri aiunt, quãdo alimenti vapor velvti serpens leniter circum intestina & ea contrectans titillationem quandam inducit. Kyphi porrò Aegyptiis etiam ad bibendum temperatur. potum enim videtur ob vim molliendi suam interiora purgare. Præter hæc, resina Solis est opus: & myrrha lacryma est ad Lunam à stirpibus edita. Eorum porrò quæ in Kyphi cõponuntur, sunt quę nocte magis gaudent, vt quæ spiritibus frigidis, vmbris, rore, & humoribus aluntur. Nam diei lux vna est & simplex: & Solem Pindarus cerni ait per vacuum ætherem. Nocturnus autem aër mixtus temperatúsque est è variis luminibus atque facultatibus, quæ velvti semen in vnum ab omnibus stellis confluunt. Ergo non abs re illa vt simplicia & à Sole procreata interdiu: hæc vt mixta & omnigenis qualitatibus prædita, ineunte nocte adolent. *

PLVTARCHI

De his qui serò à numine puniuntur commentarius.

HAEC ergo locutus Epicurus, Cynie, prius quàm responderet quisquã, cùm in vltima porticu nos essemus, proripuit se atq; discessit. Nos cũ admirati hominis insolentiam aliquantulum taciti substitissemus, invicémq; intuiti essemus, rursum

sum, vt tum fortè deambulabamus, reversi sumus. Ibi primus Patrocles, Quid, inquit, an non absentis perinde atq; si coràm adesset videtur sermo revocãdus, & quæstio tractanda? Sub hæc Timon: Non sanè ait, si coniecto in aliquem nostrûm iaculo abiisset, iaculum inhærens corpori negligere conveniebat. Brasidas quidem, vt fertur, hasta è suo extracta corpore eum ipsum perculit ac necauit, à quo in ipsum fuerat missa. nos quidem nullo negocio vlcisci possumus eos, qui absurdo & falso convicio nos impetunt: quod satis est à nobis profligari, ante quàm attingat. Quid est ergo, inquam ego, quod ex iis quæ Epicurus dixit potissimùm vos moueat. multa enim confertim, nihil ordine protulit homo: & alia alivnde petita, ira quadam & maledicendi studio interim exagitatus, adversus Providentiam effudit. Tum Patrocles, Mihi, inquit, vel maximè tarditas & cunctatio numinis in pœna malis irroganda res videtur esse grauis atq; atrox. & nũc oratione istius quasi rudis factus sum quod ad opinionem hanc attinet atq; nouicius. Iampridem cum indignatione audiebam isthuc Euripidis:

Cunctatur hæc quippe est natura numinis. Oresta.

Enimverò nullam ad rem, minimè autem omnium adversum malos decebat deum esse segnem: non segnes eos, aut qui suæ maleficentiæ diem producãt, sed qui celerrimis impetibus ab animi adfectionibus ad flagitia incitentur. Thucydidis est sentẽtia, vltionem maleficio quamproximè adiunctam statim viam intercludere iis qui quamplurimùm malicia bonos habente successus vtuntur. Nullum enim aliud debitum perinde, atq; dilatio iustæ vindictæ, iniuria affectorum spes eneruat, animósque eorum deiicit, contrà improbos ferocia & audacia augẽs. Sed supplicia statim facinoribus imposita, etiam furorum sunt inhibitiones maleficiorum, illísq; maxima inest consolatio, quæ passos iniuriam reficiat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Itaq; mihi etiam Biantis dictum molestum est, sæpe id mecum repetenti: quod dixisse fertur cuidá malo: Non metuo ne non sis daturus pœnas, sed ne ego id non sim visurus. Quid enim vtilitatis rediit ad Messenios, antè interfectos quàm de Aristocrate sumtum est suppliciũ? qui prodita in Cypro pugna, cùm supra viginti annos delituisset, totóq; eo tempore Arcadum rex fuisset, tandem deprehensus pœnas dedit: Messeniis pridem pessundatis. Aut quid solatij attulit Orchomeniis, qui proditione Lyciſci liberos, amicos, & familiares suos amiserũt, morbus qui longo pòst tempore Lyciscum invasit, corpúsq; eius depastus est? qui identidem pedes in fluuium intingens imprecatus est iis putredinem, siquidem prodidisset aut iniquè egisset. Nam quòd Athenis scelestorum corpora proiecta, & cadauera extra fines patrię deportata sunt, ne nepotibus quidem videre licuit eorum, quos isti interfecerant. Et Euripides absurdè his vtitur verbis, dehortaturus aliquem à malicia:

Trepidare noli: non te accedens comminùs
Iusticia iecur feriet, aut alium improbum.
Sed tacita, lento tardéq; adrepens pede
Suo malos aliquando tempore obruet.

Non enim profectò alia, sed hęc ipsa ea esse consentaneum est, quibus mali sese ad capessenda flagitia exhortantur atq; excitant: quòd nimirum malicia fructum statim maturum & ante oculos situm præbeat, pœna autẽ serò demum & longè pòst fruitionem subsequatur. Hæc Patrocle fato, Olympiacus ista subiecit: Expediendum erat tibi, Patrocles, quódnam absurdum cunctatio numinis in puniendo secum trahat. Nimirum quòd tarditas fidem providentiæ derogat. & quia non quodvis flagitiũ malorum aliquid adversi comitatur, sed spacio temporis succedit: infortunij alicuius loco accipiunt mali,

Tarditas pœnæ.

mali, ac non supplicium, sed calamitatem appellantes, nihil percipiunt commodi: ægrè quidem ferentes adversa quę eveniunt, sed facinora sua tamen nõ mutantes. Sicvt enim pœna illicò peccatum insequens, ictus est & compunctio quæ corrigat, ádq; officium redigat: quæ aliquanto pòst tempore subsequuntur convulsiones, repetitiones, & exprobrationes, aliò magis quàm ad docendum partinere videntur, quia molestiam adferunt sine institutione. ita malus, si quoties aliquid delinquit, vapulet pœnáq; imposita reprimatur, saltem tandem ad mentẽ redibit, metúq; dei humiliter se demittet, eum præstò humanis actionibus atque affectibus intelligens esse vindicem non qui in aliud iudicium reiiciat tẽpus. At iusticia ea, quæ paulatim, & (vt Euripidi visum) tardo pede & vtcunq; malis ingruit, ob incertitudinem ac dilationem & inordinatam vindictæ rationem à casu potius quàm à providentia pendere videtur. Atq; adeò non video quid vtilitatis adsit iis, qui serò tandem molere molis deorum dicuntur. cùm hoc pacto & iusticia reddatur obscura, & malicię metus evanescat. His ita dictis, cùm ego mecum rem meditarer, Timo, Vultísne, inquit, vt ipse quoq; difficultatibus huius disputationis colophonem addam? aut sinam potiùs istum adversus hæc decertare. Quid enim, respondi ego, attinet tertiũ fluctum immittere, eóque obruere argumentum, si id priora non possit depellere aut evitare crimina? Primùm itaq; sumto, tanquam à Lare initio ab auita Academicorum philosophorum de rebus diuinis differendi cautione atq; modestia, ita de his rebus dicere ac si earum scientiam profiteremur, piè detrectabimus. Grauius enim est quàm de rebus musicis imperitum musices, aut de bellicis militiæ rudem verba facere, res deorum & geniorũ velle perspicere eum qui sit homo: & tanquam artificis sententiam artis ignarum opinionibus & probabilibus

I. *Tempus pœnæ soli deo notum.*

coniecturis inuestigare. Nam cùm perdifficilè sit homini plebeio consilium medici deprehendere, quod secutus nõ antè, sed pòst sectionem adhibuit, neque heri lauit ægrotum, sed hodie: certè de deo non facilè aliud quicquam firmum homo pronunciabit, quàm eum, vt qui optimè opportunum medendi flagitiis tempus habeat cognitum, medicamẽti instar pœnam sceleri cuivis imponere, neque eadem in omnibus magnitudinis mensura, neque eodem temporis articulo definitam. Medicinam enim animæ, quæ Iusticia cognominatur, omnium esse artium maximam, præter sexcentos alios etiam Pindarus testatur, principem & dominum omnium deum appellans Aristotechnam, id est, artificum præstantissimum: quippe iusticiæ administratorem, quæ ius habet determinandi quando, quomodo, & quatenus quilibet malorum sit puniendus. Atque hanc artem Minos Iouis F. didicit, vt Plato ait: indicans ius rectè administrare, rectámque iuris administrationem intelligere non posse, qui eam scientiam discendo non fuerit consecutus. Etenim & eæ leges, quæ ab hominibus ponuntur, non vbique habent rationem eorum quæ præcipiuntur illustrem. immò quædam videntur omnino ridicula. vt quòd Lacedæmone Ephori statim ab initio magistratu edicũt ne quis mystacem alat: & vt legibus obtemperent, ne eę ipsis sint difficiles obseruatu. Romani quos in libertatem vindicant, eorum corporibus stipulam tenuem iniiciunt. & vbi testamentum condunt, alij scribuntur hæredes, alij vendunt bona. quod videtur alienum à ratione, alienissimum illud Solonis, qui in seditione neutri se parti adiungentem ignominia notauit. & planè multa legum absurda esse dixerit, qui autoris mentem, & causam scriptorum singulatim non cognouerit. Quid ergo miremur, vbi huma ita difficulter à nobis intelliguntur, si non facile explicatu nobis est quánam de causa dij peccantium

tium aliis maturiùs, aliis seriùs supplicia imponant? Quæ dixi, ea nõ tergiversationis sunt præscriptio, sed veniæ petitio: vt disputatio nostra portum quasi & tutum effugienti locum respiciens, probabilia ad explicandas quæstionis difficultates tanto animosiùs possit consectari. Proinde hoc primum cõsiderate, quòd Platone autore deus se in medio exemplar omnium bonorum cùm proposuisset, humanam virtutem, qua homo similis dei aliquo modo saltem redditur, parandam concesit his, qui deum sequi possunt. Etenim ipsa huius vniuersi natura cùm omni careret ordine, habuit principium suæ mutationis vt mundus fieret, quòd similis particépsq; facta est cuiusdam ideæ & virtutis quæ in deo erat. Idem ille Plato visum in nobis à natura fuisse accensum ait, vt spectandis admirandísque cœlestium corporum motibus anima nostra amplecti condocefacta decorum & ordinem, odium concipere incompositorum & vagorum motuum, temeritatémque & casui fidentem leuitatem fugeret tãquam omnis vitij & erroris originẽ. nõ est enim maior alius fructus quem ex deo possit capere homo, quàm quòd imitatione pulcrorum & bonorũ quæ diuinæ naturæ insunt, virtute potitur. Propterea deus malis interposita mora ac tardè pœnas infligit, non quòd vereatur, ne accelerando supplicio erret aut committat cuius pœnitentia aliquando ducatur: sed vt in vindicandis aliorum peccatis sæuiciam & vehementiam nobis hoc exemplo suo eximat. docens non per iram, aut cùm maximo feruet & palpitat

Animus, super rationem se saltu efferens,

tunc nos debere quasi famis sitisve replendæ gratia invadere in eos qui nos iritauerunt: sed imitatione ductos eius mansuetudinis & cunctationis, ordine & accuratione adhibito tẽporis spacio in cõsilium, quod minimè locum parabit pœnitentiæ, ad

II. *Cunctationem dei in puniendo, nos debere imitari.*

Visus vtilitas.

puniendum nos conferre. Nam, vt Socrates dicebat, si in aquam turbatam incidens, eam ob incótinentiam bibas, minus mali est, quàm si animo conturbato, iraéque & furoris pleno, priusquam subsistat & purus fiat eò te des, vt supplicio cognati & ad eandem gentem pertinentis eum expleas. Non enim vltio proximè iniuriam, vt voluit Thucydides, sed longissimè potiùs ab ea disita, conuenientem sibi locum obtinuerit. quippe sicvt ira, vt est apud Melanthium,

Migrare coacta ratione malas res agit:

Ira compescenda,

ita ratio vicissim ira & excandescentia submotis iustè moderatéque agit. Hinc est quòd etiam humanis exemplis auditis homines fiunt placidiores. quale est Platonis qui cùm sublato baculo plagam puero intentasset, aliquandiu constitit, irâ (vt ipse aiebat) puniens. & Archytæ, qui ruri deprehensa seruorum suorum socordia & ordinis neglectione, vt sensit se asperiùs aduersum eos animo esse cómotũ, nihil egit, nisi quod discedẽs dixit, Bona vestra fortuna fit ꝙ iratus sum vobis. Quòd si cõmemoratio humanorum dictorum factorúmq; iræ vehementiã asperitatémq; possunt adimere: multo magis cõuenit nos in deum intuentes (qui tametsi nullius rei metu pœnitentiáve ducatur, tamen supplicium differt, & in futurum reiicit tempus) cautè in hoc genere versari, & mansuetudinem grauiúmque læsiõnum tolerantiam pro diuina habere virtutis partem. quam deus nobis demonstrat, puniendo paucos emendantem, tardè puniendo multos iuuantem atq; corrigentem. Secundum porrò hoc considerabimus. Humanæ malefactorum vltiones legitimæ id duntaxat habent, quod vicissim ægrè faciũt, repositóq; maleficio subsistũt, neq; vlterius progrediunt. quæ causa est, quòd delicta canum instar cum latratu persequuntur, & facinora extemplò vlciscuntur.

III. Pœnitendi locũ dari cũctatione puniẽdi.

Atqui

Atqui deum credibile est, quancunque vitio captam animam iusto suo iudicio aggreditur, eius motus perspicere, sicvbi ad pœnitentiam inflectuntur, tempúsque correctionis largiri iis, quorum non extrema est & incurabilis nequicia. Videlicet sciens quantam virtutis portionem animæ ab ipso ad hominis ortum proficiscentes secum ferant, & quàm valida eis, miniméque evanida generositas sit innata: vtque eædem contra suam naturam vitia proferant cùm sunt victu consuetudinéq; malis corruptæ: ita quidem vt nonnullæ rectè curatæ, sibi conuenientem recuperent habitum: non omnibus eodem modo pœnam accelerat. sed quod insanabile est, statim præcidit vitáq; priuat: quia & omnino aliis nocent, & sibi multo maximè, qui semper in vitiis viuunt. quibus autem ignoratione boni potiùs quàm appetitione boni peccata obrepũt, iis tempus vitia mutandi largitur: quod si perstitãt in vitiis, ipsos quoque punit. non enim periculum est vllum, ne ipsius manibus elabantur. Considera verò quàm multorum hominum mores & vita fuerint mutata. qua occasione Græci mores tropos à mutando, & ethe à consuetudine nominant, quæ in hac re semel adhibita plurimum potest. Equidem ita sentio, Cecropem à priscis fuisse biformem dictum, non quòd è bono rege immanis & draconis naturam imitans sit factus tyrannus: sed contrà, quòd perversus ab initio & terribilis, postmodò benignè humanitérq; imperauerit. Quod si hoc incertum est: certè Gelonem nouimus, & Hieronem Siculos, & Pisistratum Hippocratis F. qui tyrannide per maliciam parta vsi sunt secundum virtutis rationes, & iniustè potiti imperiis, medio criter iis & cũ vtilitate publica functi sunt. nam & optimarum vsum legum, & agriculturæ subditis studium commendando ciues de captatoribus risuum ac garrulis modestos ac industrios redegerunt. & Gelo

Exempla eorum quĩ mores emẽdauerunt.

adversus Carthaginienses gesto optimè bello, cùm eos magno vicissèt prælio, pacem petentibus non antè concessit, quàm id quoque insertum eius fuit conditionibus, finem facturos Carthaginienses Saturno suos immolandi liberos. Megalopoli tyrannus fuit Lydiades. is ipsa in tyrannide consilio mutato & improbata iniusticia, ciuibus rempub. & leges restituit: & pro patria in hostes pugnans, illustrem oppetiit mortem. Iam si quis Miltiadem in Cherroneso tyrannidem gerêtem interfecisset, aut Cimonem cum sorore concumbentem in iudicio reum tanti criminis peregissèt, aut Themistoclem lasciuè comesantem, petulantérque per forum bacchantem Athenis expulissèt, sicvt postmodò de Alcibiade reo facto statutum fuit: nónne periissent nobis Marathon, Eurymedon, Dianium, vbi

— *Pubes attica iecit*
Illustre fundamentum libertatis?

Magna indoles nō sine vitiis.

Nihil enim præstantes naturæ exiguum efferunt: & ob acumen vehementia earum atque efficacitas ociosa esse non potest, sed quasi æstu fluctibúsque iactantur, donec mores stabiles atque compositos sibi parent. Sicvt ergo rudis aliquis agriculturæ nullo modo probaret locum, quem videret densa obsitum sylua, agrestibus stirpibus, & multis feris ac riuis lutóque repletum: perito autem, & iudicandi gnaro, hæc ipsa virtutem molliciémq; agri demonstrarent. sic multa inepta & praua magnæ naturæ primò efferunt: quorũ nos asperitatem & aculeos initiò non ferentes, putamus statim exscindi oppriméque debere: qui verò melior est ratiocinator harum rerum, is ætatem tempúsque præstolatur quod rationi & virtuti auxilium fert, quo etiam tempore indoles suum profert fructum. Atque hæc quidem hactenus.

IV. *Seram malorũ pœ-*

Legem autem Aegyptiam nónne videntur rectè quidam Græcorum descripsisse quæ iubet

iubet grauidam si mortis fuerit damnata, asseruari donec pariat? Planè assensum ab iis est. Tum ego: Quid si prægnans aliquis non sit, sed progressu temporis actionem aut consilium arcanũ in lucem possit producere, aut occulti alicuius mali indiciũ deferre, vel salutaris autor fieri consilij, aut necessarij vsus inventor? nónne rectiùs facit qui dilato supplicio eam vtilitatem operitur, quàm qui præmaturè eum interficiat. mihi quidè sic videtur. Nos quoque idem sentimus, respondit Patrocles. Rectè, inquã ego, statuitis. Hoc enim reputa. si de Dionysio sub initiũ tyrannidis sumtũ fuisset suppliciũ, nemo vtique Græcorum Siciliam fuerat inhabitaturus, à Carthaginiẽsibus evastatam. neq; vel Apolloniam, vel Anactorium, vel peninsulã Leucadiam quisquã Græcorum incoluisset, si Periandri pœna non fuisset in bene longum dilata tempus. Existimo etiam Casandro obtigisse moram debiti supplicij, vt rursus Thebæ ciuibus frequentarentur. Barbarorum, qui in hoc templo occupando suam sacrilegis nauarunt operam, bona pars cum Timoleonte profecti, quo is tempore Carthaginiẽsibus deuictis tyranni des destruxit: mali malè perierunt postmodò. Nimirum enim deus quibusdam malis tanquam carnificibus vsus est ad sumendas de aliis malis pœnas. quod verum esse de pleriſq; tyrannis arbitror. Quẽ admodum enim fel hyænæ, & phocæ aliorúmque fœdorum animaliũ coagula aliquid habent ad morbos sanandos vtile: sic nonnullis morsu & pœna indigentibus deus iniiciens tyranni alicuius sæuiciã implacabilem, aut magistratus molestam asperitatẽ, non ante id quod excruciabat ac turbabat sustulit, quàm vitiosos morbo liberasset ac purgasset. Tale medicamentum fuit Agrigentinis Phalaris, Marius Romanis. & Sicyoniis deus disertis verbis prædixit, flagella incutientibus vrbem opus habere: quando ij Teletiam puerum ludis Pythiis corona-

nam aliis prodesse.

Deus malis vt vtitur.

tum tanquam suum ciuem Cleonæis auferentes discerpserunt. Et verò Orthagoras tyrannus, ac post eum Myro & Cleisthenes Sicyoniorum lasciuiæ finem imposuerunt: Cleonæi, quibus eadem medela non obtigit, pessum eunt. Audiuistis etiam Homerum alicvbi sic loquentem:

Iliad. o, 641 *Filius hoc patre est permultum deteriore*
Editus; omnigenis potior virtutibus.——

& tamen filius iste Coprei nullum præclarum edidit aut memorabile facinus: Sisyphi, Autolyci, & Phlegyæ posteri gloria & virtute inter magnos reges floruerunt. Quin & Pericles Athenis natus fuit è familia scelerata: & Pompeius Magnus Romæ patre Strabone, cuius cadauer populus Romanus odio victus deiecit atque calcauit. Quid ergo absurdi est, si quo modo agricola spinam non exscindit nisi priùs sumto ex ea asparago: & Afri sarmentum nõ antè combvrunt, quàm Ladanum inde collegerint? sic deus nobilis ac regij generis radicem malam atque asperam non priùs abolet, quàm debitus ex ea fructus provenerit. Præstabat enim Phocensibus aliquot millia boum Iphiti & equorum perire, plúsque auri & argenti Delphis ablatum esse: quàm non nasci Vlissem, non Aesculapium, non alios, qui è malis & prauis hominibus præstantes & vtilissimi in publicum viri nati sunt. Nónne autem sic statuendum est, tempore & modo conuenienti irrogatas pœnas præstare celeriter ac subitò immisis? quale est Callippi, qui quo pugione Dionẽ sub amici specie interfecit, eodem rursus est à sociis suis necatus. & cùm Mitius Argiuus in seditione esset interemptus, ærea statua in foro cùm exhiberentur spectacula, incidit in percussorẽ Mitij eúmq; occidit. Quid Besso Pannoni, & Aristoni Oetæo ductori peregrinorum militum evenerit, scis, opinor, Patrocles? Non profectò, aiebat Patrocles: sed cupio audire.

V. *Modum & opportunitatẽ supplicij considerandam.*

Aristo,

Aristo, inquam ego, mũdum Eriphylæ hîc depositũ permissu tyrãnorum abstulit, donóque suæ mulieri apportauit. filius aût ipsius certa quadam de causa iratus matri, domum succendit, in eáque totam familiam combvsit. Bessus, vt narratur, cum patrem suum necasset, diúque id scelus clàm fuisset, postea temporis ad hospites quosdam cùm iuisset cœnatũ, nidum quendam hirundinum hasta incussa deiecit, pullósque interfecit. cúmq; ij qui aderant quærerẽt (vt fieri adsolet) quánam re impulsus rem tam insolentem egisset, Non (inquit) auditis hirundines falsò de me vociferari & testari, me patris mei esse interfectorem? Mirati qui intererant, hũc sermonem ad regem detulerũt. réq; certis indiciis comperta, pœnas luit Bessus. Verùm hæc ita à me dicta sunt, posito (quod pro certo sumtum fuerat) moram aliquam intercipere malorum supplicia. Quod reliquum est, statuamus audiendum esse Hesiodum, qui non vt Plato affectionem quandam molestam animi sentit esse vltionem peccati comitem: sed vltionem delicti æqualem facit: simúlque ait eodem è loco eadémque radicé enasci. Sic enim inquit:

5. *Leg. princ.*

Molitur damnum ipse sibi, qui intentat alij.
Consiliumq; malum autori fert maxima damna.

Operib. 263

Cantharidem ferunt in se habere quoddam damni quod iniunxit remedium, adverso modo afficientibus præditam facultatibus. sic malicia simul secum gignens id quod animum mordet atque vexat, non subsequentem, sed in ipso malefacto præsentem pœnam habet. Et quemadmodum malefici cùm ad supplicium educuntur, quisq; suam effert crucem: sic vitiositas ad singula peccata ex sese fabricatur singula tormenta: solertissima opifex vitæ miserabilis, & in qua præter turpitudinẽ terrores multi, animiq; motus graues, pœnitẽtia, tumultúsq; cõtinẽtes insint.

VI. *Simul cum flagitio pœnam exsistere.*

Sed multos invenias homines, nihil à puerulis differentes, sæpenumerò dũ maleficos in theatris spectant in vestibus auro pertextis & lænis purpureis coronatos saltare, stupentibus, vtq; beatos admirá tibus, tantisper dum compungi eos ac flagellari & ê preciosa ista veste ignẽ edere cernant. etenim malorum multos magnis familiis circumdatos, magistratibúsq; gestis & potentia illustres, non apparet pœnas dare, donec conflagrent iugulati aut præcipites deiecti. quod nõ tam rectè pœnam, quàm extremum & perfectionem pœnæ dixeris. Est apud
3. de repub. Platonem, Herodicum Selybrianum, cùm incidisset in tabem, morbum insanabilem, & primus homi num arti medicæ artem corporis exercẽdi miscuisset, diuturnam sibi aliisq; eodem modo ægrotantibus mortem redegisse. Sic & mali homines, cùm in præsentia effugisse ictum vindictæ putantur, non post longius tempus, sed longiore temporis tractu supplicium non serius, sed diuturnius perferunt: neque senes facti puniuntur, sed in toleranda pœna consenescunt. De tempore longo cùm dixi, intelligendum est hoc vt ad humanam refertur naturam. Nam diis quidem omne humanæ vitæ spacium pro nihilo est: & quod nunc, non ante x x x annos, tale est, atque hoc, quod non manè, sed vesperi cruciatur aut suspenditur sceleratus: maximè qui in hac vita captiuus detineatur, tanquam in carcere vnde migrare aut effugere non possit, vtcunque interim multum conviuiorum, negociorum, munerum, officiorúmque obtingat. scilicet ea sunt similia ludorum, quos alea aut talis in carcere captiui ludunt, fune super capita pendente. Quanquam quid impedit dicere, neque eos qui ad mortem in carcere inclusi tenentur, puniri antequàm cruices præcidantur? neque eum qui cicutam biberit, iámq; obambulet & exspectet dum cruribus ingruat grauitas: prius quàm exstinctio caloris & cõ

cretio

cretio eum sensu spolient? si extremum duntaxat supplicij articulum pro supplicio deputamus: animi autem interveniẽtes tumultus, terrores, metus, pœnitentias (quibus malorum vnusquisque commissa culpa devincitur) omittimus. quod perinde est ac si piscem qui hamum vorauit negemus captũ, antequàm à coquis assatum aut in frusta concisum videamus. Nam vt primùm quis improbè egit, iam obstrictus pœnæ tenetur, & suauitate flagitij velti esca illicò deuorata, conscientiam intus vrgentẽ plectentémq; habens

Agitatur, ut mare thynni fluctuat impetu.

Etenim proteruitas illa & ferocia prauitatis vsque ad perpetrandum facinus vim suam perfert atq; exstat: deinde motu animi tanquam vento sensim deficiente, imbecilla & humilis reddita terroribus se & superstitionibus submittit. vt ad rerum ipsarum eventum & veritatem Stesichorus somnium Clytæmnestræ effinxisse videatur, in hanc sententiam:

Visus adesse draco, tabo caput oblitus atrum:
Ex illo se rex promere Pleisthenides.

Somnia sceleratorum.

Quippe somnia, & spectra diurna, oracula, de cœlo seruationes, & quidquid aliud diuinitus obiici videtur, tempestatibus & terroribus percellit male sibi conscios. Hoc modo narrant Apollodorum aliquãdo in somnis vidisse, cutim sibi à Scythis detrahi, deinde elixari se, & cor ex ipso lebete sibi tacitè dicere, Ego tibi horum sum causa. rursúmque, filias ignitas & ardentes in orbem circa ipsum discurrere. Hipparchum Pisistrati F. paulo ante mortem, Venerem sanguinem ipsi è patera quadam in faciem coniicere. Ptolemæum Ceraunum amici per quietem imaginati sunt à Seleuco in ius vocari, vulturibus & lupis disceptationi præfectis, ipsúmq; multas carnes inter hostes distribuere. Pausanias Cleoni-

cam virginem liberam Byzantij per libidinem ad se vocauit, vt ea per noctem potiretur: deinde accedẽ tem perturbatione quadam & sinistra suspicione cõ citus interfecit. hanc sæpe dormiens vidit sibi dicere,

Perge ad supplicium: ualdè est damnosa libido.

quod visum cùm non desineret, Heracleam nauigauit ad Psychoponpeion, qui locus est curandis animabus destinatus, puellæq; animam deprecationibus inferiisque certis evocauit. atque ea in conspectum venit, ac finem ei malorum fore prædixit, vbi Spartam venisset. reversus autem Lacedæmonem, statim periit. Ac profectò, si nihil animæ post corpus reliquum est, sed morte omne & beneficium & supplicium finitur: celeriter sua flagitia luentibus & morientibus malis benignè ac indulgenter fieri à diis dixeris rectiùs. nam vt vitam & tempus nihil aliud mali flagitiosis adferre dicas: tamen vbi vitiositas convincitur esse res sterilis & ingrata, ac quæ operæ precium nullum persoluat tam multis & magnis ærumnis: harum ipsarum rerũ sensus animam subvertit. quo modo narrant Lysimachum siti victum Getis corpus imperiúmque suum in manus dedisse, cúmq; dediticius iam bibisset, dixisse: Proh me hominem prauum, qui tantillæ voluptatis gratia tantum amiserim regnũ. At enim perdifficile erat homini adversus necessariam naturæ affectionem pertendere. Verùm vbi homo aut ob auariciam, aut gloriæ potentiæq; ciuilis invidiam, aut Venereæ voluptatis causa facinus iniustum atq; atrox commisit: ac deinde furiosa siti libidinis suæ dissipata, sumto tempore perspicit reliquos mansisse fœdos & horrendos flagitij impetus, vtile autem, necessarium, aut conducibile nihil iis partum: nónne in eam vt sæpenumero incidat cogitationem necesse est, se vanæ gloriæ aut illiberalis ingratæque voluptatis causa, perversis pulcerrimis

VII. *Celeriter puniti serò punitis fortunatiores.*

mis & maximis inter homines iuribus, vitam turpitudine tumultibúsq; impleuisse? Iocans dicebat Simonides, se argẽti cistam semper invenire plenã, beneficiorum aũt vacuam. Sic etiam praui homines maliciam in se suam contemplantes, ob voluptatem vanam statim gratiam habentem inveniunt spei inanem esse: eandémq; semper abvndare metu, dolore, memoria tristi, & de præsenti statu diffidentiæ, de futuro sinistrarum suspicionum plenam esse. In thea tris Inonem audimus dicere, pœnitentia factorum ductam:

Quónam modo, caræ mulieres, denuò
Athamantis incolam domum, quæ sunt retrò,
Factis difficilis?—

nónne hoc modo etiam quævis impia anima secum versat atq; rationes init, quomodo excussa delictorum memoria, eiectaq; conscientia, puriciem nacta aliam alio ab initio vitam posset viuere? Nisi enim omnino sapientiæ titulũ deferimus iniusticiæ: profectò maliciæ consiliis atq; ad agendum propositis nihil fiduciæ, nihil grauitatis, nihil stabilitatis, nihil constantiæ adest. verùm vbi vel diuitiarum vel voluptatum cupiditas effusior, vel odium ardentius cũ hostili malignitate atq; improbitate coniunctũ insederit: ibi re considerata diligentiùs, deprehendes & superstitionem delitescere, & molliciem labores subterfugientem, & mortis metum, & animi impetuum celerem mutationem, & vanitatem animi ob arrogantiam hiantis. hoc genus hominum & terretur si reprehendatur, & laudatores metuit, vt impostura ipsorum iniuria affectos, eóq; vel maximè infestos, quia etiã hos alacriter laudẽt, qui boni videnẽ. Duricies enim maliciæ, itidẽ vt ferri vitiosi, putrida est: rigórq; eius facilimè retũditur. Inde fit, quod lõgo tẽporis decursu pleniùs seipsos cognoscẽtes, ægrè ferunt culpántq; uitæ suæ statũ. Scilicet aliquis

vitiosus homo vbi depositum reddidit, aut pro amico fideiusit, vel in patriam aliquid ambitiosè impendit: statim pœnitentia ducitur, factúmq; ei suũ est molestum, ob vagam vsquequaq; animi mobilitatem. & nonnulli plausu in theatro excepti, extemplò ingemiscunt, ambitione in auariciam recidente. qui verò tyrannidis & conspirationis gratiâ homines mactauerunt, vt Apollodorus, aut amicos pecuniis spoliauerunt, vt Glaucus Epicydis F. credemus non mutasse factum, non in seipsos odium concepisse, nulla ob facinus affectos fuisse molestia? Ego, si fas est dicere, censeo scelestos nullo neq; deo neq; homine indigere qui supplicia ipsis imponat: ipsam ad hoc eorũ existimo sufficere vitã, totã à praua uitate corruptam atque conturbatam. Vos tamen, inquam, videritis, ne vltrà quàm convenit nostra progrediatur oratio. Hæc Timo, Fortasse, inquit, longiùs progressa videatur, si ad ea quæ restant eorúmque longitudinem respiciatur. Iam enim ego vltimam dubitationem, quæ exitum priorum quæstionum, mediocriter sanè solutarum, prælolata est, in medium adduco. Quæ Euripides libero ore incusans diis obiicit, maiorum delicta posteris imputantibus, eadem existima nos quoque tacentes vitio iis dare. Siue enim sontes puniti sunt: iniustum est porrò etiam ab insontibus pœnas exigi, cùm bis ob idem delictum ne cum quidem puniri qui in noxa fuit, æquitas sinat. siue socordia quadam prætermissam pœnam noxiorum serò ab innocentibus exigunt, non rectè tarditatem suam iniusticia exsarciunt. Cuius generis est, quod heic actum fertur, Aesopum huc adueniſſe allato à Crœso auro, vt & magnifico sacrificio Apollinem veneraretur, & Delphis viritim quaternas minas distribueret. cùm verò ei offensa & discordia quædam cum Delphicis esset oborta, sacris quidem eum fuisse operatum, sed pecuniam Sardes remisisse, vt qui homines

VIII. *Cur maiorũ delicta posteri luant.*

Aesopi mors.

istos beneficio indignos iudicaret. Delphos è composito sacrilegij insimulatũ eum interfeciſſe præcipitatum de saxo, quod Hyampæam nominãt. Ex eo deum iras in ipsos exercuisse, & cùm solo sterilitatem, tum hominibus omnis generis tetros morbos intulisse: ita vt Delphi singulis Græcorum conventibus edixerint, separatos esse, si quis Aesopi gratia pœnas ab ipsis exigere vellet. Tertia demũ ætate venisse Idmonẽ Samium, qui gnere Aesopum nequaquam attingeret, sed prognatus ab his esset qui Aesopum Sami emisſent. huic pro delicto satis dedisse Delphos, itaq; eos malis liberatos fuisse. Ferunt ex hac re tractum, vt supplicium sacrilegorũ ab Hyampæa in Naupliam petram transferretur. Alexãdrum porrò ne hi quidem qui vel maximè amãt, quorum & nos sumus, laudant, quòd Branchidarum vrbem evertit, omníq; ætatis homines interfecit, propter proditionẽ Milesij templi, à proauis horum factam. Agathocles verò Syracusanorũ tyrannus etiã cum risu subsannans Corcyræos quærentes cur ipsorum insulam popularetur, respondit: Quia me hercle maiores vestri Vlyssem hospitio exceperũt. & Ithacensibus itidẽ expostulantibus quòd milites ipsius eorum oues auferrẽt, At vester, inquit, rex cum ad nos veniſſet, præterea etiam excæcauit pastorẽ. Quid? nónne his insolentior Apollo, si Pheneatas qui nũc sunt perimit obthurato barathro, & vniuerso eorũ agro illuuie perdito, qui ante annos, vt aiunt, mille Hercules hinc abrepto tripode oraculum ad Pheneum transtulit? idémq; Sybaritis finem malorum prædicens, postquam tribus exitiis iram Iunonis Leucadiæ expiauerint? Neque diu est quòd Locri desierunt virgines ad Troiam mittere,

Quæ pedibus nudis, ceu seruæ, corpore nudo,
Sub lucem circum uerrebant Palladis æram
Vittarum exsortes, gelidam quoq; ad usq; senectam,

ob Aiacis libidinem. Vbínam hæc rationem habẽt? quo iure fiunt? Neque enim Thraces laudamus, qui in hanc vſque diem ſuas compungunt vxores vlciſcendi Orphei cauſa: neque barbaros ad Eridanum accolentes, qui atris veſtibus amicti Phaëthontem lugent, ſi vera eſt fama. magis etiã, puto, ridiculum hoc fuerit, ſi eorũ hominum, qui vixerunt pereunte Phaëthonte, nemine id curante, nati quinque aut decem pòſt ætatibus cepere eius gratia veſtem mutare & lugere. Quanquam hęc ſtulta duntaxat ſunt, cum nulla pernicie coniuncta. Deorum autem iræ quánam ratione ſubitò occultatæ, velvti nonnulli animum, deinde rurſum in alios erumpunt, & in eorum extremas calamitates deſinunt? Vt primum inhibuit vocẽ, Ego metuens ne de integro orſus plura & grauiora proferret abſurda, ſtatim interrogaui hominem: Eſto, inquam. Hæc enim tu omnia vera putas? Tum ille, An, inquit, ſi non omnia, quędam tamen vera ſint, non putas eodem abſurdo rem laborare? Fortaſſe, inquam. ſicvt vehementer febricitantibus ſiue vnica, ſiue multis veſtibus ſint amicti, idem aut ſimilis ardor adeſt: tamen recreandi gratia multitudo eſt amolienda. Sed, ſi ita videtur, iſta ſic relinque, quanquam pleraque fabulis & cõmentis videntur ſimilia. In mentem verò revoca nuper celebrata Theoxenia, & præclarã illam portionem, quam eximiam præco edicit Pindari poſteros accipere debere: & quàm tibi res ea fuerit viſa pulcra, quàm iucunda. Quis verò, inquit, non delectaretur venuſtate honoris, ita Græcanicè & ſimpliciter antiquitatem referẽtis, niſi ſi cuius atrum cor (vt cum ipſo illo Pindaro loquar) frigida flamma ſit fabricatum? Miſſum facio igitur, inquam ego, huius ſimile edictum Spartæ, ſecundum Lesbium cantorẽ, quod proclamabatur in honorem & memoriam Terpandri. eadem eſt enim vtriuſque ratio. Sed & vos nimirũ inter Bœotos aliis potiores haberi vultis, vt qui Ophel-

Opheltiadæ genere ſitis: & apud Phocenſes propter Daiphantum. Et mihi primùm adfuiſtis, cauſamq; meam iuuiſtis, quãdo Lycormæ & Satelæi dicebant auitam Heraclidarum dignitatem & coronę geſtationem conſeruari ambientibus debere. quod maximè poſteris Herculis beneficia & honores oportet ſarctos tectos curari, cùm ipſi pro collatis in Græcos beneficiis gratia par relata non fuerit. Egregij, inquit, nobis certaminis & philoſophia digni memoriam renouaſti. Mitte ergo, inquam, ſodes vehementiam iſtam accuſationis, neque iniquè ferſi qui malis aut improbis prognati puniuntur: aut lætari ac probare noli, ſi bonis natalibus honor habetur. Nam ſi gratiam quę virtuti refertur, arbitramur ad poſteros debere propagari: conſentaneũ omnino rationi eſt vt ſentiamus debere etiam pœnas flagitiorum non intercidere, aut ante gratiam deſinere: ſed eódem vſq; ſe extendere, vt vtrinq; pari ſuũ cuique tribuatur ratione. Qui verò Cimonis poſteros Athenis honorari cum voluptate videt, Lacharis contrà vel Ariſtonis ſtirpem exſulare indignatur: is nimis quàm mollis eſt & ſocors, aut potiùs querelarum captator & moroſus adverſus deos. incuſans eos ſi iniuſti malíq; hominis poſteritas videatur rebus vti ſecundis: incuſans rurſum ſi familiæ improborum alterentur & aboleantur: & ſiue boni, ſiue mali patris proli res contingant adverſæ, deos culpans. Atque hæc, aiebam, poſita tibi ſunto velvti ſæpes obiecta nimis acerbis iſtis & ad vituperãdum propenſis. Nunc autem quaſi glomeris initio repetito, in tenebricoſa & multas involutiones, multos errores habente de diis diſputatione, cautè noſmet & paulatim evoluamus filo deducente ad ea quæ probabilia videntur. Veritatem enim & de quo conſtet, ne in his quidẽ quę ipſi nos agimus, certò poſſumus habere. Verbi gratia, cur tabe aut intercute aqua exſtinctorum liberos, tantiſper dum cadauer

comburitur, ſedere iubemus pedibus in aquam demiſsis? creditur enim ſic effici, vt morbus in eos nõ tranſeat, neq; eos attingat. Aut quæ cauſa eſt quòd capra eryngium in os ſumente totus ſubſiſtit grex, tãtiſper dum accedens caprarius eximat? aliæ quoque ſunt facultates anſis ac propagationibus præditæ, & incredibili celeritate etiam in longinquum penetrantes. Sed nos temporũ intervalla miramur, non locorum. Atqui plus admirationis meretur, ſi lue in Aethiopia exorta Athenæ ſunt impletæ, mortuúſq; eſt Pericles, & morbo correptus Thucydides: quàm ſi Delphis ac Sybaritis praua vſis viuendi ratione, pœna in eorũ liberos incubuit. Eſt enim facultatibus ſuus quidam recurſus & continuatio ab extremis ad prima pertinens: quorũ cauſa, etiam ſi à nobis ignoretur, tacitè ſuum peragit officium. Enimverò publicæ vrbium ob iras deorum calamitates, rationem in promptu ſitam habent. Eſt enim ciuitas res quædam vnica & continens, animalis inſtar: neque mutationibus ſecũdum ætates ſuã exuit naturam, aut ratione temporis aliud ſit ex alio: ſed ſemper eaſdẽ erga ſe affectiones & naturæ ſuæ conſentaneas ſeruat, omnéſq; eorum quæ publicè agit aut egit cauſas in ſe continet, quandiu communitas, quæ mutuis complexibus devincit vnúmq; corpus efficit, vnitatem ſuam conſeruauerit. Qui verò ex vna vrbe ratione tẽporis inſtituta diuiſione plures atq; adeò infinitas facit: is perinde agit ac ſi vnũ hominem in multos diducat, propterea quòd nunc ſenex eſt, antè iuuenis, olim adoleſcens fuit. Immò iſthæc planiſsimè cum Epicharmeis iſtis quadrant, ex quibus ſophiſtæ ratiocinandi formulam deſumſerunt, auxomenon, id eſt augeſcentem, appellatam, qui dudum pecuniam ſumſit mutuam, is nunc eam non debet, cùm ſit factus alius. & qui heri eſt ad cœnam inuitatus, is hodie invocatus venit: eſt enim alius. Et verò ætates diſcrimina maiora in quovis noſtrũm

De publicis vrbium calamitatib.

noſtrũm efficiunt, quàm in vrbibus. Qui enim Athenas vidit, anno pòſt trigeſimo agnoſcat: & mores, motus, ludi, ſeria, gratia, iræ populi quæ nunc ſunt, priſcorum ſunt admodum ſimilia. Hominis diu non viſi formam vix domeſticus aut amicus agnouerit occurrens. morum ea eſt ad quemvis ſermonem, laborem, affectionem, ac legem mutatio, vt etiam ei qui ſemper vnà ſit miranda inſolentia hominis atq; nouitas videri poſsit. & tamen vnicus homo ab ortu vſq; ad mortem dicitur. Ergo vrbem quoq; eodem modo perdurantem volumus opprobriis maiorum ſuorũ obnoxiam eſſe, quo etiam ſibi gloriam eorum & potentiam vindicat. niſi imprudentes omnia velimus in Heracliteum illum iniicere fluuium: in quem ille negabat bis poſſe eundem deſcendere, natura ſubinde omnia mutante atq; alterãte. Quod ſi vrbs vna res eſt & continua, eſt nimirum etiam genus à principio pendens vno, quod vim quandam & communionem aſsiduam in ſe habeat. & quod inde naſcitur, non ita à procreante liberatur, quomodo opificium ab opifice. nõ enim ab ipſo, ſed ex ipſo fit. itaq; aliquã convenienter à ſua origine partem trahit, ſiue honore, ſiue pœna afficiatur. Ac niſi vererer, ne quis iocari me putaret, dicerem grauiſsimam iniuriam Caſandri ſtatuæ factã ab Athenienſibus cùm eam conflauerunt: aut Dionyſij cadauer, cùm eſt à Syracuſanis extra fines ipſorum proiectũ. multò iuſtiùs eorũ poſteros pœnas luiſſe. Nã ſtatuę quidẽ Caſandri nihil inerat naturæ: & cadauer Dionyſij ab anima fuit deſertũ. Nyſæo autem, Apollocrati, Antipatro, Philippo, aliíſq; itidẽ omnibus nequã hominibus princeps innata eſt inhærẽtq; portio, nõ quieta aut ocioſa illa: ſed per eã viuunt, alũtur, gubernãtur, ſentiunt. & iniquũ minimè eſt, ſi illorum cũ ſint, habeant quę illorũ ſunt. In vniuerſum denique, ſicvt in medicina id quod vtile eſt, iuſtum etiam cenſetur: (ridiculus enim ſit qui iniuſtè fieri

dicat quod coxendicibus laborãtibus pollices vrũ tur: & iocinore vitiato, incidere ventrem circa vmbilicum: & boum extrema cornua invngere quando eorum vngulæ mollicie tentantur) ita qui aliud aliud ius in suppliciis quærit quàm malicię curationem, & indignatur si medicina per alios aliis adhibeatur, (velvti cùm lippitudinis leuandæ gratia vena secatur) videtur nihil vltra ea quę sentiri possunt prospicere: neq; meminit magistrũ vno puerorum cæso reliquos officij monere, & decimatione facta imperatorem totum plectere exercitum. Atque sic quidem nõ tantùm vni parti per aliam, sed & animæ per animam accidunt quædam affectiones, vitia, & correctiones, magis quàm corpori per corpus. Ibi enim, vti par est, oportet eandem affectionem, eandem mutationem evenire: hìc anima vtis ducta vt fidendo metuendóve meliùs aut deteriùs afficiatur, à sua habet natura. Nondum ego finem dicendi feceram, cùm Olympiacus sermonem excipiens: Videris, inquit, huic disputationi quasi fundamentum magnum suppositisse, animæ permansionem. Sanè, inquam, vobis dantibus, aut potiùs iam antè largitis. sermo enim huc processit ab eo principio, quòd dare deus cuique quod eo dignum est ponebatur. Tum ille, Ergo, ait, censes ex hoc, quòd deus singulas res nostras inspicere, ac distribuere pro meritis ponitur, sequi animas aut omnino interitus esse expertes, aut aliquandiu saltem à morte corporis supereſſe? Non sanè, inquam. Sed scilicet sordidus admodũ est deus, ac inanem sumere voluit operam, qui nostrûm nihil in nobis diuinum, nihil habentium ipsius simile quocunque modo, & permanens ac stabile, sed foliorum instar (vt est apud Homerum) breui temporis spacio emarcescentium atque pereuntium, tantam habeat rationem. cùm quidem quomodo mulieres Adonidis hortos in testis colunt atque educãt, ita nos animas in diem victuras in

De animæ perpetuitate.

Ilia. ζ. 147: & 464.

ras in carne delicata vitáq; non durabili germinantes habeamus, & qualibet occasione exstinguẽdas. Quod si lubet, reliquis diis omissis, Apollinem hæc degentem nostrũ considera. Videtúrne is tibi compertum habens animas mortuorum statim interire, ac fumi instar aut nebulæ à corporibus exspirare, tam multas expiationes vita defunctorum, ac tot tantáque præmia & honores iis habendos exigens, credulis hominibus fraudem facere & ora sublinere velle? Ipse profectò animæ perpetuitatem nunquam sim inficiaturus, nisi quis Herculis in morem erepto Pythiæ tripode aboleat ac perdat hoc oraculum, qui sciam in hunc vsque diem multa id genus hæc data fuisse responsa. sicvt Coraci Naxio ferunt edictum esse, Impium esse animam morte damnare. Ibi Patrocles, Quid, inquit, hoc oraculi est, aut quis Corax iste? nam & res mihi ignota, & inauditum est nomen. Nequaquam verò, inquam. sed ego in causa sum loco nominis cognomine vsus. Is enim qui Archilochum in pugna interfecit, Callondas nomine fuit, cognomento Corax. is primùm eiectus à Pythia, vt qui Musis sacrum virum necasset, vsus deinde supplicibus precibus & obsecrationibus cum excusatione sui, iussus est proficisci ad Tettigis habitationem, ibíque animam Archilochi placare. Is autem locus erat Tænarus, quò fertur Tettix Cretensis cum classe appulisse, ac vrbe condita habitasse pone Psychopompeum, qui est locus animis demulcendis sacer. Similiter cùm Spartani oraculo essent iussi placare animam Pausaniæ, exciti ex Italia animarum lustratores, facto sacrificio simulacrum templo avellerunt. Vna igitur, aiebam, eadémque ratione & providentia dei, & animæ humanæ permansio stabilitur: neque potest relinqui altero sublato alterum. Ergo animæ post mortem exstanti magis probabile est vel præmia vel pœnas reddi. vi-

tam enim quasi certamen quoddam obit, & certamine peracto consequitur quod meruit. Enimvero quos ibi honores, aut quæ supplicia ob actam vitam percipit ea sola existens, nihil ista ad nos qui viuimus attinent, sed ignorâtur, fidésq; iis derogatur. quæ liberos stirpémq; pervadunt pœnæ, viuentibus conspicuæ, multos malorum dehortantur atque reprimũt. Non esse autem fœdiorem vllam pœnam aut quę maiorem afferat dolorem, quàm si quis videat sua culpa suis posteris malè esse, & cùm impij sceleratíque anima hominis post mortem cernit nõ statuas suas aliquas everti aut honores antiquari, sed propter sua ipsius flagitia liberos suos, aut amicos, aut necessarios grauibus premi calamitatibus & pœnas dare * * nemo acquiescet Iouis honoribus iniustum fuisse & intemperantem. Possem etiã sermonem quendam nuper mihi auditum referre, nisi vererer ne vos fabulam putaretis. itaq; tantùm vtar probabilibus. Quin tu, inquit Olympiacus, eum nobis narra. Eadem reliquis orantibus, Sinite, inquam, me probabilia persequi: deinde, si ita videbitur, fabulam (si quidem fabula est) proferemus. Etenim Bio deum qui malorũ liberis supplicia inferret, magis aiebat ridiculũ esse medico, qui filio aut nepoti ob morbum patris vel aui medicinam adhiberet. Sunt verò hæ res aliquatenus dissimiles, aliquatenus etiam similes. Alius enim dum sanatur, alium qui simili est in morbo, nihil iuuat: neque quisquam ex oculis aut febre laborans leuatus est malo, quòd alium videret vngi aut emplastro illini. malorum autem supplicia omnibus hoc demonstrant, Iusticiæ ratione pergentis opus esse aliis puniendis alios coërcere. Neq; sensit Bio, quid in hac similitudine conueniret propositæ quæstioni. Quippe viri qui in morbum grauem, neque tamen immedicabilem, inciderit, ac deinde ob intemperantiam & molliciem prodito corpore perierit, filium non ægro-

Posteri propter culpam maiorũ puniti.

ægrotare, sed procliuem duntaxat ad idem morbi genus creditũ medicus, aut necessarius aliquis, aut alipta sentiens, aut bonus dominus, inuictus rationem austeram coniiciens, adiménsque obsonia, bellaria, potationes, scorta, vténsq; continentibus medicationibus, exercitationibúsque corpus durans, magnum malum exiguo semine dissipando auerterit, non passus progrediendo augeri. Nónne enim sic præcipimus, animadvertendos, non negligendos esse qui patre aut matre morbosa nati sunt, statímque innatum mali principium mobile & addendum in procliui situm eiiciendum esse antevertendo? Omnino quidem, respondebant. Non ergo absurdam rem, inquam ego, sed necessariam, neque ridiculam, sed vtilem agimus, quando filiis comitiali morbo, melancholia, aut podagra detentorum exercitationes, victus rationem, & medicamenta accommodamus, non quòd ægrotent, sed vt ne hoc fiat. Natũ enim è malo corpore corpus supplicium sanè nullum, sed medicinam tamen & custodiã meretur: quam quia voluptatibus abstinet, morsumq; & dolorem infert, qui ob molliciem & timiditatem supplicij afficit nomine, missus est faciendus. An ergo corpus è vitioso natum corpore curare & custodire convenit? maliciæ innatam similitudinem in tenera indole germinantem & enascentem negligere debemus, & moras nectere tantisper dum se effundat, motibúsque prauis malignum occulti animi fructum detegat, vt ait Pindarus? An hac ratione nihilo deus sapientior videbitur quàm Hesiodus, qui sic præcipit:

Neu serito rediens tristi de funere prolem.
Da natis operam diuũm conuiuia linquens.

scilicet non vitij modò & virtutis, sed gaudij etiam ac tristiciæ, omniúmque id genus rerum capax quia esset genitura, ideò ad procreationem prolis iubens

nos hilari animo serenóq; aggredi? Illud verò non à sententia Hesiodi proficiscitur, neque humanæ est opus sapientiæ, sed dei, perspicere ingeniorum similitudines & discrimina, priusquam ab animorum motibus in magna erumpentibus flagitia deteganmalitia delitescat.
tur. Sanè vrsorũ catuli, & luporũ ac simiarũ, statim suam ostendũt indolem, nulla velatam aut oblitam re. Humanũ ingenium in mores, opiniones, legésq; se coniiciens, sæpenumero vitiis occultatis bona imitatur, vt aut omnino tandem eluat innatam vitij maculam, aut versutia tanquam exuuio quodam tectum longo tempore delitescat, ac nos fallat. qui velvt icti aut morsi vno quovis flagitiorum vix tandem nequitiam sentimus, immò tum demum iniustos fieri putamus homines, cùm iniuria nos afficiunt, intemperantes cum libidinem exercent, timidos cùm fugiunt: non aliter quàm si quis opinetur scorpiis stimulum innasci quando pungunt, & viperis venenum quando mordent. Quæ quidem stulta est opinio. Non enim simul & fit malus aliquis, & malus esse cernitur. sed iam inde ab initio præditus prauitate, occasionem facultatémque nactus furatur fur, leges violat tyrannicæ indolis homo.

IX. Pœna nondum cõmissi flagitij.

At verò deus non ignorat cuiusque ingenium & naturam, vt qui animam suapte natura magis quàm corpus sentiat, neque eò rem differt, vt violentiam iam manibus, impudentiam voce, libidinem pudendis proditam puniat. Non enim vlciscitur se accepta iniuria, neque raptori irascitur vim passus, aut mœchum odit affectus iniuria: sed medicinæ facien dæ causa sæpe plectit ad adulterium, auariciam, vel iniuriam faciendam procliuem, vitium velvti morbum comitialem antevertens priusquam erumpat. Nos interim qui paulò antè indignabamur ob sera sontium supplicia, nunc id culpamus, quod deus ante quàm committantur flagitia ipsum prauum animi habitum coërcet: quippe ignorantes sæpe fu-

pe futura factis, & occulta apertis deteriora maiorique digna metu esse: neque docti ratiocinari causas, propter quas nonnullos expedit etiam perpetrato scelere missos facere, alios etiamnum meditantes maleficium pœna anteverti. quomodo medicamentorum quædam non congruunt ægrotantibus, conducunt autem aliis non laborantibus, sed in periculo quàm ægroti versantibus maiore. Hinc est, quòd non omnia parentum peccata dij in liberos convertunt. sed si quis de malo nascitur bonus, tanquam bene affecti corpore natus de morboso, is generis pœna liberatur, vtpote è malicia vt qualitate ortus. qui verò morbo in similitudinem generis refertur atque redigitur vitiosi, ei nimirum convenit tanquam hæredi debitas pœnas vitij persoluere. Non enim profectò Antigonus propter Demetrium, non Phyleus propter Augeam, non Nestor propter Neleum sustinuit pœnam: nati enim hi malis, boni ipsi fuerunt. sed quorum natura amplexa est cognatam maliciam, hos Iusticia similitudinem prauitatis persequens supplicio affecit. Verrucæ, næui, lentes parentum in filiis non visi, aliquando in nepotibus denuò apparuerunt. & quædam mulier Græca cùm nigrum peperisset infantulum, adulterij postulata, invenit se quarto gradu progeniei ab Aethiope procretam: ac Pythonis Nisibensis, qui nuper commutauit vitam cum morte, dictus genus à Spartis (hi sunt homines è satis à Cadmo draconis dentibus enati) ducere, filiorum quidam hastæ figuram in corpore suo in lucem extulit: similitudine generis tam multis pòst ætatibus tanquam è profundo emergente. Eodem modo sæpe animi adfectiones in prima prole occultantur: in posterioribus propaginibus natura demum similitudinem vitij aut virtutis instaurat. His dictis ego cùm conticuissem, subridens Olympicus: Non, inquit, laudamus te, ne quasi satis demõstrato pro-

Qui posteri puniantur ob delicta maiorum.

Fabula de Theſpeſio Soleńſi redivivo.

poſito videamur fabulam dimittere. hac demũ audita, pronunciabimus. Tum ego narrationẽ ſic ſum proſecutus. Theſpeſius Solẽſis vir Protogenis, eius qui hæc nobiſcũ fuit, familiaris atq; amicus, cùm primis tẽporibus perquàm diſſolutè vixiſſet, atq; exinde rem familiarem celeriter perdidiſſet, aliquandiu etiam neceſsitate impellente malis ſe dedit artibus: & pœnitentia ductus, dum diuitias ſectatur, idẽ eſt expertus, quod vſu venire intẽperantibus ſolet. qui vxores dum habent, nõ cuſtodiũt, dimiſſasq; & aliis coniunctas improbè corrumpere conantur. Is ergo Theſpeſius dũ nulla turpi re abſtinet, quæ voluptatem aut quæſtum videretur conciliatura, breui temporis ſpacio opes non ſanè magnas, opinionem autem maliciæ ſummam ſibi parauit. Maximè autem eum notauit oraculum ab Amphilocho allatum. cùm enim (vt fertur) miſiſſet ad deum, ſcitatum an reliquum vitæ victurus eſſet melius, reſpõſum fuit, Meliùs habiturum poſtquã mortuus foret. Ac ſanè hoc illi quodammodo non poſt multum temporis accidit. De ſublimi enim in ceruicem delapſus, ictu abſq; vllo vulnere accepto mortuus eſt: tertiáque pòſt die ſub ipſam funerationem revixit. Mox recuperatis viribus ad ſe reverſus, incredibilem quandam vitæ mutationem inſtituit. nam neque iuſtiorem in contractibus vllum eo tempore nouerũt Cilices, neque maiore adverſum deos pietate, neque hoſtibus moleſtiorem, neq; magis fidũ amicis. quo factũ eſt vt quibus res cum ipſo erat cauſam cognoſcere tantæ diuerſitatis auerent, non vilem aut vulgarem eam fuiſſe arbitrantes. Quam eorũ fuiſſe veram opinionẽ, intelligi poteſt ex his quæ ipſe Protogeni, aliiſq; bonis amicis narrauit. Nam ſimul atque mens corpore excidit, principio eiuſmodi ſenſit mutationem, qualis eueniret gubernatori è naui in profundum mare abiecto. Deinde paululum elatus, viſus eſt ſibi totus reſpirare, & anima velvti vnico ocu-

co oculo aperta vndiquaq; circumſpicere. Conſpexit autem nihil eorum quæ anteà. ſed ſtellas ingentes, & inter ſe immenſis diſtantes intervallis, ſplendorémque admirabilis coloris emittentes efficacitate præditum, ita vt anima eò leuiter vecta, tanquam in ſerenitate in lumine vſquequaque celeriter vagaretur. Prætereo hìc plurima ſpectacula ab eo commemorata. Animas autem morientium narrabat cùm ſurſum adſcendunt, aẽre cedente bullam efficere flammeam: qua deinde ſenſim rupta exeant forma præditæ humana, mole exigua, & motu non eiuſdem omnibus modi. quaſdem enim celeritate admirabili exilire, & ad rectam lineam ſurſum emicare. aliàs fuſi inſtar in orbem converſas, aliàs ſurſum, aliàs deorſum vergendo, mixta quadam & turbida moueri agitatione, vix longo admodum temporis tractu ſubſiſtente. Pleraſque earum ignorabat (vt retulit) quorũ eſſent. duas aut tres notas ſibi cùm conſpexiſſet, conatus eſt accedere & alloqui. illæ autem neque audiebant, neque apud ſe erant, ſed mentis expertes ac conſternatæ, omnem conſpectũ tactúmq; fugientes vagabantur primùm ſeorſim vnaquæque, deinde multis eodem modo affectis obviam factæ & implicatæ, motibus promiſcuis & temerariis ciebantur, vocéſque edebant obſcuras, quaſi vociferationes eiulatu & pauore mixtas. Aliæ autem ſuprà in ſummo ambientis erant adſpectu ſplendidæ, & invicem ob benevolentiam coëuntes, tumultuantibus iſtis vitatis: ſignificabant nimirum ſeſe in ſe contrahendo moleſtiam, extendendo autem & pangendo gaudium & approbationem. Ibi aiebat quandam cuiuſdam cognatorum animam, quem vtpote ipſo puero mortuum, non ſatis bene agnoſceret, propè acceſsiſſe, ac dixiſſe: Salue Theſpeſi. Miratum ſe reſpondiſſe, Non Theſpeſius ego ſum, ſed Aridæus. tum animam intuliſſe: Priùs quidem Aridæus fuiſti, poſt modò au-

De animis morientium fabula.

tem Thespesius (vox ea diuinum significat) eris. non enim mortem obiisti, sed diuino quodam fato tua huc venit mens, reliquis animæ facultatibus velvti anchora in corpore relictis. atque rursum nunc tibi argumento hoc sit, quòd animæ defunctorum neque vmbram faciunt, neque conniuent. His auditis Thespesius iam & magis colligere se ac ad rationis vsum redire cepit, & cùm perspexisset, animadvertit sibi comitari appendicis loco obscuram quandam & vmbrosam lineam: illas verò animas fulgore circundari ac intus esse pellucidas, non omnes tamen eodem modo. nimirum alias plenæ instar purissimæ Lunæ vnum colorem læuem ac continentem æquabiliter exhibere: alias squamis quibusdam exilibus ac vibicibus percurrentibus maculatas: alias admodum vario & insolenti adspectu, nigris notis viperarum instar compunctas: alias etiam obtusis distinctas fissuris. Cæterùm singula enarrans Thespesij ille cognatus (nihil enim impedit, quin hominum nominibus animas adficiamus) docuit Adrasteam Iouis & Necessitatis filiam omnibus flagitiis vindicem supremo loco collocatam esse: neque malorum quenquam ita vel magnum vel paruum vnquam fuisse, vt aut latendo aut vim faciendo pœnæ subducere se potuerit. Porrò alios aliter puniri, & ipsam tria suppliciorum genera tueri atque exsequi. Quosdam enim (aiebat) statim in corpore & per corpora plectendos pœna velox arripit miti quadam ratione, & quæ multa omittat expiationis indigentia. Quorum verò malicia operosiorem flagitat medicinam, eos genius post mortem Iustitiæ tradit. Prorsus autem insanabiles Iustitia repellente, tertia & sæuissima Adrasteæ administrarum Erinnys hinc inde vagantes atque fugientes cursu adsequens miserabiliter atque immaniter vniuersos abolet, inque locum demergit qui neque cerni oculis, neque visu adiri potest. De cæteris

teris vindictis, ea quæ in hac vita pœnam infligit, barbaricarum est similis. Sicvt enim apud Persas eorum qui puniuntur vestes atque tiaras convellunt ac flagellant ipsis plorantibus, & vt desistatur cepto obsecrantibus: ita supplicia quæ à facultatibus & corporibus exiguntur, vehementem non inferunt ictum, neque ipsam attingunt malitiam, sed pleraque tantùm opinionem quandam sensúmq; externum pœnæ præbent. Qui verò hinc pœna evitata & inexpiatus eò pervenit, hunc excipiens Iustitiæ conspicuum atque nudum, ac qui prauitatem suam nulli rei immergere, nullo velare modo possit, sed vndiquaque ab omnibus talis qualis est perspiciatur, primum parentibus ac maioribus suis probis (si quidem tales sint) demonstrat, indignum ipsis atq; conspuendum. sin mali fuerunt, pœnas eorum videns, ipsis vicissim cernentibus plectitur per longum satis tẽpus, singula vitia iis luens doloribus ac cruciatibus, qui magnitudine & vehementia tanto superãt corporis dolores, quanto res vera est quàm somnium efficacior. cicatrices autem & vibices restant à singulis vitiis, maiores aliis, aliis minores. Iam mihi (aiebat) considera varios istos animarum & omnigenos colores. Squalidus iste & caliginosus, illiberaliũ sordium est pigmentũ atq; auariciæ. sanguinolentus & igneus, crudelitatis atque sæuiciæ. cœruleus intẽperantiæ circa voluptates * linidus ac violaceus, & qualis atramenti quod sepia emittit, invidiæ ac malignitatis. Etenim vt hic vitiositas per animæ motus in corpora certos colores didit: ita ibi color finis est lustrationis atq; pœnæ. His coloribus omnino detersis, anima splendida & macularum expers redditur. Quandiu autem inhærent, reciprocant affectus cum saltu quodam & agitatione, quæ in quibusdam languidior est ac facilè exstinguitur: in aliis vehementer se intendit. Ac harum animarum aliæ iterum iterúmque puni-

tæ conuenientem sibi habitum affectionémq; tandem adipiscuntur: alias rursum in corpora animalium expellit violentia quædã insciti æ ac cupiditatis voluptatũ genus. nam rationis imbecillitas ob contemplatricis facultatis socordiã actiuã inclinat ad procreationem: hæc cum instrumentũ intemperantiæ desideret, cupit suos appetitus ad fruendum perducere, & per corpus implere. isthic enim nihil nisi vmbra quædam imperfecta & somnium voluptatis nunquã implendæ adest. Hæc locutus Thespesium celeriter sanè, cęterùm per immensum spaciũ, vt apparebat, produxit, facilè atq; expeditè pergentem: quippe qui splendore luminis tanquam alis veheretur, donec ad magnum quendam hiatum deorsum penetrantem fuit perventum. ibi desertus à vi eum tenente, vidit alias idem pati animas. Instar auium enim coëuntes eò, atque in orbem circum hiatum obambulantes, rectà transire non audebant. Ipse hiatus intus bacchici in morem antri conspiciebatur materia, viriditate, & floribus omnis generis variè ornatus. exhalabat autem lenem auram quæ odorem exhibebat suauitatis admirabilis, eámque temperiem adferebat fruentibus, quam vinum solet ebriis. nam fragrantia illa perfruentes animæ, lætitia perfundebantur, sibíq; invicem blandiebantur. Circa eum locum in orbem erat bacchatio, risus, omnísque iocantium & sese oblectantium musa. Atque eà cognatus ille Thespesij dicebat Bacchum in deos abiisse, Semelémque postea eódem adduxisse. vocari autem Lethæ, id est Obliuionis locum. Itaque cupientem non passus est ibi commorari Thespesium, sed vi abstraxit: simul docens, præ voluptate colliquari & humectari mentem: brutam verò partem rigatam & obstupefactam, memoriã corporis excitare, ex ea desiderium nasci quod trahat ad generationé, quæ sic dicatur, cùm sit inclinatio intendens animam humore grauatam

uatam. Tantundem porrò itineris vbi confecit Thespesius, visus est sibi videre ingentem craterem, inque eum riuos influere, quorum alius candidior maris spuma aut niuibus esset, alius purpuram arcus cœlestis referret, alij aliis coloribus infecti eminus suum perhiberent splendorem. vt propiùs accessit, crater ambiente aëre magis abolito, & obscuratis coloribus floridissimum retinuit absq; albedine colorem. vidit autem tres genios ibi in formam trianguli considentes, qui aquam influentem inter se mẽsuris quibusdam dimetirentur. Huc vsque aiebat Thespesij animæ ductor Orpheum peruenisse, quo tempore animam vxoris quæsiuit: & non probè memoria suggerente falsum hunc ad homines sparsisse sermonem, oraculum quod apud Delphos est, Apollini esse cum nocte commune. cùm quidem cõmune Apollini cum nocte sit nihil. Verùm hoc (addebat) noctis est & Lunę cõmune oraculum, nullo terræ fine incluſum, neque vna certa fixum sede, sed quod vsquequaque inter homines visis somnisque vagetur. Hinc enim somnia, vt vides, temperata, & fallaci ac vario simplex verúmque adsciscentes disseminantur. Apollinis autem neque vidisti, neque videre potes. altiùs enim se non effert neque concedit animæ terrestris portio, sed deorsum tendit à corpore dependens. Simúlque conatus est adducto Thespesio ostendere lumen, quod (vt narrabat) è tripode per sinus Themidis enititur in Parnassum. sed cum id is videre cuperet, præ splendore non conspexit. audiuit tamen præteriens vocem acutam mulieris carmine edentis cùm alia quædam, tum tempus etiam quo ipse extremum esset vitę diẽ confecturus. Dicebat autem genius, vocem hâc esse Sibyllæ, quæ in facie Lunæ circumvehens futura caneret. Cùm autem plura vellet audire, impetu Lunæ velvti fluctu in diuersam partem compulsus, pauca percepit: è quibus fuit etiam vaticinium de

Universidad de Deusto
Biblioteca

Supplicia mortuorũ.

monte Vesuio, & Dicæarcheæ cõflagratione, ac de principe eius temporis inciſum hoc, Bonus cum ſit, morbo tyrannidem finiet. Secundum hæc ad ſpectanda ſupplicia ſe converterunt. Atque initio quidem tantum difficilia & miſerabilia viſa ipſis ſunt oblata. pòſt in amicos etiam, familiares, & ſocios præter omnem ſuam exſpectationem incidit Theſpeſius, qui graues cruciatus, ac fœda ſupplicia duriſsimáque perferentes ipſum cum lamentatione & ploratu compellarent. denique etiam patrem ſuum conſpexit è voragine quadam emergẽtem, plenum punctũrarum atque cicatricum, manus adverſus ſe intendentem, ac ſilere non paſſum, ſed coactum à præfectis ſuppliciorum fateri, nefariè ſe hoſpites quoſdam auro præditos veneno ſuſtuliſſe, & cùm iſthic latuiſſet, hîc ſceleris convictum partim dediſſe pœnas, & iam duci vt reliqua patiatur. Deprecari ibi aut intercedere pro patre non auſus præ metu & terrore Theſpeſius, cùm referre pedem & fugere vellet, non iam amplius benignum illum & familiarem vidit ductorem: ſed ab aliis quibuſdam adſpectu terribilibus propulſus, reliqua ſpectauit. Eorum qui apertè mali fuerant, aut in vita pœnas dederant, animadvertit vmbram non ita iam difficilem eſſe neque atteri ſimiliter imperfectam, aut laborare de bruta & adfectibus obnoxia parte. Qui verò ſub prætextu & opinione virtutis vitam latente improbitate exegiſſent, hos alij adſtantes cogebant magno cum labore & dolore interiora animæ foras obvertere, contra naturam torquentes ſeſe & flectentes, quomodo marinæ ſcolopendræ hamo vorato ſeſe voluentes invertunt. quoſdam cute derepta explicantes, oſtendebãt intus vitioſos, & qui nequiciam in ratione animæ partis principe tectã geſsiſſent. Alias quoque ſe vidiſſe animas perhibebat, quæ viperarum inſtar binæ, ternæ, aut etiam plures complicatæ, invicem ſe manderent, ob memoriam

moriam iniuriarum & mœſticiam de rebus in vita actis aut toleratis. Eſſe etiam lacus iuxta ſe poſitos, vnum feruentis auri, alium frigidiſsimi plumbi, tertium aſperi ferri. his adſtare quoſdam genios, qui fabrorum æratiorum in morem inſtrumentis ſuis animas eorum qui ob auariciam & habendi inexpletam cupiditatẽ malefici fuiſſent lacubus quà demitterent, quà extraherent. nam in aureo lacu cùm candentes ac vi ignis perſpicuæ eſſent reddi-
tæ, plumbeo iectæ congelabant: & grandinis ritu duratæ, in ferreo nigerrimæ fiebant ac confringebantur conterebantúrque ob duriciem, formáque mutata rurſum ad aureum lacum reiiciebantur, atroces (vt aiebat) hiſce in mutationibus cruciatus perferentes. Omnium autem miſerrimè excruciari eas, quæ iam miſſæ factæ cum viderentur, ad ſupplicium retrahebantur. hæ autem erant, quarũ pœnæ in poſteros redvndarent. cùm enim harum aliqua eodem pervenit, irata incidit, & clamore obtundit, ſigna oſtendens eorum quæ paſſa eſt, expro brátque & inſequitur fugere & ſe ſubducere fruſtra conantẽ. celeriter enim tortores accurrunt ad ſupplicium, & denuò compellunt eiulantes ob prænotionem pœnæ. nonnullas quoque & multas poſterorum animas ferebat à ſe invicem pendere, & apum aut veſpertilionum modo maiorũ animã inſectari ac ſtridere ob memoriam eorum, quæ ipſis propter eos eveniunt. Extremo loco vidit animas quæ ad ſecundum ortum converſæ in varia animalia vi flecterentur atque transformarentur inſtrumentis ac verberibus, ab iis quibus illud opificium commiſſum eſt. qui integra membra aut cõtundunt, aut avertunt, aut etiã omnino dedolant atq; abolent, vt alij vitæ congruere poſsint. In his conſpexit etiam Neronis animam, malè iam cùm aliàs affectam, tum clauis confixam aureis. Hîc cum iam opifices formam viperæ Pindaricæ præberent, in qua geſtata

in vtero & matre peresa viueret, subitò (vt narrabat) magnum effulsit lumen, & vox ex eo edita iussit in aliud mansuetius animal mutari, quod circum paludes & lacus caneret. dedisse enim pœnas flagitiorum, & aliquod ei à diis deberi beneficium, quòd subditorum optimam piissimámque gentem Græcos liberasset. Atque hactenus fuit spectator. Reversurus autem præ metu in extremum mali venit. quædam enim mulier mirabili forma ac magnitudine eũ arripiens, Huc, ait, ades, vt singula rectiùs memoria complectaris, & bacillum quoddam, quali pictores vtuntur, cãdens ingessit. alia autem prohibuit. Ipse autem tanquam à fistula subitò vento vehementi impulsus in corpus incidit, & oculos aperuit, tantum non iam in sepulcrum conditus.

PLVTARCHI,

Virtutem doceri posse.

DE virtute consultamus ac disputamus, docerine possit prudentia, iusticia, vitæ rectitudo. Ergo rhetorum præclara opera, & gubernatorum, & architectorum, & rusticorum admiramur: (sunt enim sexcenta) viri autem boni nominantur tantum eo pacto, quo hippocentauri, gigantes, & cyclopes: opus autem repræhẽsioni non obnoxium virtutis atque sincerum nullum est, neque mores malarum perturbationum vacui? sed si quid sponte sua natura producit boni, id multo alieno obscuratur, tanquam fructus sylvestri & immunda permixtus materia? Fidibus canere discunt homines, & saltare, & legere litteras, & agros colere, & equi-

equitare: calceis se & vestibus induere discunt, vinum infundere, cibos parare: atque hæc omnia nisi discantur, rectè non fiunt. bene autem viuere, cuius rei gratia isthæc sunt omnia, disciplina, ratione, atq; arte caret, & fortuitum est, ô mortales? Cur virtutem non doceri dum affirmamus, virtutem esse vllã negamus? Si enim discendo ea nascitur, qui disci eã vetat, is ne exsistat ea impedit. Atqui, vt est apud Platonem, ob pedis ad lyram incõcinnitatem neq; frater fratri bellum facit, neque amicus cum amico litigat, neque ciuitates ciuitatibus orta contentione extrema mala vicissim inferunt. neque seditionẽ ortam dicere possis in ciuitate propter accentum, & quomodo pronunciandum sit Telchines: neque in familia iurgium inter maritum & vxorem de stamine aut subtegmine. Et tamen telam, librum, aut lyram non tractabit qui non didicit, quanquam nullum inde magnum damnum accepturus: sed ridiculus fieri veretur. nam, vt Heracletus ait, præstat insciti am celare. Domum autem, cõiugium, rempublicam, magistratum putat rectè tractari * Pueri obsoniis edendis dediti pædagogo Diogenes pugnũ incussit, rectè non ei qui non didicisset, sed qui non docuisset, culpam imputans. Iam participare patinam aut calicem dextrè non potest qui non statim à puero didicerit, vt Aristophanes ait,

Non obsonia, non turdos auere, non pedes
Alternos ponere: — *Nebulis.*

familiæ autem, ciuitatis, coniugij, vitæ, magistratus societas iniri inculpata potest ab his, qui non didicerunt quomodo se invicem gerere homines debeant? Aristippus interrogatus à quodam, Ergo vbiq; tu es? ridens, Nónne, inquit, ego naulum perdo, si vbique sum? Cur ergo non ipse quoque dicis, si homines discendo nõ fiunt meliores, perit merces pedagogis data? Hi enim primùm accipientes ab ipso

lacte puérum, sicvt nutrices corpus manibus formant, ita ipsi animum fingunt, consuetudine ad prima virtutis vestigia adducentes. Et Laco interrogatus quid vtilitatis adferret pueris quos instituebat: Facio, respondit, vt honesta eis fiát suauia. Atq; ipsi pædagogi docent in via ambulare capite demisso, vno digito salsamentum, duobus tangere piscem, panem, carnẽ, sic scabere, sic vestem gerere. Quid, dicés vitiliginis esse & reduuiæ medicinã, nõ esse pleuritidis, febris, phrenitidis, differtne ab eo qui rerum puerilium affirmet rectè scholas esse, doctrinam, præcepta, magnarum & perfectarum vsum rationis expertem atq; fortuitum? Sicvt enim ridiculus est qui remum agitari ait ab eo qui didicerit, ita qui aliarum artium disciplinam ponens, virtutis tollens, contrarium videtur eius facere quod Scythæ solẽt. *Initio Melpom.* Hi enim, vt Herodotus ait, seruis oculos eruunt, vt ipsis adsistant. hic ancillis & inseruientibus artibus rationem velvti oculum tribuens, virtuti eum adimit. Atqui Iphicrates imperator Calliæ Chabriæ F. interroganti, Quid es, sagittarius, cetratus, eques, grauis armaturæ miles? nihil, inquit, horum, sed qui his omnibus præcipio. Ridiculus proinde sit, qui discat artem sagittandi, arma tractandi, funda iaciendi, equitandi posse doceri, ducendi exercitus rationem esse fortuitam. Nónne magis etiam ridiculus ille, qui solam prudentiam doceri posse neget, sine qua reliquarum artium vsus est nullus, nullum emolumentum. Quod si ea princeps est, ornatúsque & ordo omnium, quodvis ad vtilitatem componens: iamprimùm quæ gratia est cœnæ, pueris ita institutis vt coquere, assare, & vinum infundere possint, si nulla sit dispositio, nulla ordinatio administrantium?

*

PLV-

PLVTARCHI

Libellus, docens Qua quis ratione seipsum citra invidiam laudare possit.

NEMO est, Herculane, qui non dicat molestum atque illiberale esse, de seipso ad alios loquendo aliquam sibi dignitatem aut potentiam vindicare. sed re ipsa pauci, eorum etiam qui rem istam vituperant, ingratam eius importunitatem evitauerunt. Euripides quidem insolentissima vsus est iactantia, hæc canens:

Venalis oratio si esset mortalibus,
Laudes nemo sui ipsius uellet dicere.
Nunc (ex profundo nanq; gratis aere
Sumere licet) nemo non gaudet dicere
Tam falsa quàm uera: hoc impunè quia licet.

adde, quòd orationem de seipso inseruit casibus & rebus in tragœdia propositis, nihil ad eas pertinentem. Similiter Pindarus quoq;, qui intempestiuam iactantiam insaniæ succinere dixit, nullum facit finem magnificè loquẽdi de sua facultate. digna quidem laude: quis hoc negaret? Sed tamen & eorum qui in certaminibus coronantur, alij victoriam proclamant, vt molestam de seipso loquendi ansam præcidant. & Timotheo in victoriam de Phrynide partam scribenti, Beatus eras Timothee, quando præco dixit, Vincit Timotheus Milesius Carbonis filium Ionocamptam: non iniuria succensemus, qui indoctè & iniustè suam ipsius prædicauerit victoriam. Vnicuiq; enim, vt ait Xenophon, laus ab aliis *Olymp. ode 9.*

Propria laus cur sordeat.

profecta suauissima est auditu: aliis autem ea molestissima, quam sibi quis ipse tribuit. Primùm enim impudentes eos arbitramur, qui seipsos laudant: quia decebat eos pudor, etiam si ab aliis laudarentur. Secundò, iniustos: sibi sumentes scilicet, quod tribui ab aliis debuit. Tertiò, aut silentes videbimur molestè ferre & invidere: aut hoc dum vitamus, cogemur præter animi nostri sententiam ipsi quoque nos ad laudandum conferre, & ipsos testimonium dicendo in faciem laudare: hoc est, rem in nos recipere, quę magis illiberali adulationi, quàm honoris exhibitioni convenit. Verùm enimverò quanquam hæc ita habent, vsu venire tamen potest, vt audẽdum sit viro ciuili aliquid de seipso dicere, non gloriæ vllius aut gratiæ captandæ causa: sed quia occasio & res ita postulent, vt sicvt alia vera, ita de seipso etiã proferat: maximè cum ad præsens institutum commodè cadit, vt liberaliter profiteatur tale aliquid abs se fuisse gestum aut confectum. Huiusmodi enim laus bonum producit fructum, ex ea tanquam semine pluribus & auctioribus pullulãtibus laudibus. Quippe gloriam ciuilis vir non vt præmium aut solatium virtutis exigit, aut amplecti tur suis actionibus comitantem: sed quòd credi & haberi pro probo, causam & occasionem ipsi plurium pulcriorúmq; parit facinorum. dicto enim audientibus & amantib. faciliùs & suauiùs licet prodesse: qui suspecti sunt aut calumniis onerati, virtute sua non possunt vti, & vim facere beneficium ipsorum fugientibus. Si verò alias etiam ob causas ciuilis vir seipsum laudare debeat, considerandum est quales eę sint: vt vanitatem & importunitatem evitantes, quod vtile est, interim non prętermittamus.

Gloria.

Vanæ laudes sui.

Proinde vana est laus eorum qui se ipsos propterea videntur laudare, vt laudentur, ac maximè contemnitur, ab ambitione intempestiuæ gloriæ proficisci credita. Sicvt enim qui cibi penuria laborant, contra

tra naturam ex suis ipsorum corporibus ali coguntur, isq; finis est famis: sic qui laudes esuriunt, nisi obtingãt alij laudatores, decorum violant, dum ob arrogantiam ipsi sibi aliquid tribuere ac conferre videntur. Quando autem non simpliciter & pro se laudari cupiunt, sed certamine adversus aliorum laudes suscepto, res suas gestas iis opponunt, tanquam oblitteraturi: ad vanitatem facinus invidum atq; malignum adiiciunt. Nam qui in alieno choro pedem ponat, eum proverbio curiosum atq; ridiculum demonstrant. sed de seipso inter aliorũ laudes in mediũ ab invidia & obtrectatione extrusum sermonem, cauere diligenter debemus: ac ne alios qui dem ferre qui tum nos laudent, sed meritis laudem suã cõcedere. aut si eo honore indigni ac vitiosi videantur, non nobis laudandis hunc ipsis adimere, sed palàm arguere atq; ostendere, nõ competere in eos qui habetur honorẽ. Hæc cauenda esse, liquet.

I. Occasio se ipsum laudandi, defensio.

Seipsum autem absq; culpa repræhensionis laudare aliquis potest, primùm si calumnię aut accusationis depellendæ gratia hoc faciat. vt Pericles: Ac mihi quidẽ vos irascimini, ei viro, qui nemini vestrũm cedo vel peritia rerum, vel elocutione intellectarum, vel amore patriæ, vel pecuniæ despicientia. Non enim crimen modò arrogãtiæ, vanitatis, & ambitionis effugit tunc de se magnificè loquendo: sed & altitudinem animi, & virtutis declarauit magnitudinem, eo ipso inuidiam opprimentis, quòd deiici se & frangi non est passa. Et non iã ferre de talibus suffragia volunt ciues: sed extolluntur, lætantur, & instinctu quodam animi prosequuntur talem iactantiam, si vera sit & cõstans. Testimonio sunt historię. Pelopidam à principibus reip. accusatum, quòd exacto Bœotarchiæ tempore non statim domum redisset, sed in Laconicam irrupisset, ac Messenam in staurauisset, submittentem se & deprecantẽ Thebani ægrè absoluerunt. At contra Epaminondam, qui

Universidad de Deusto
Biblioteca

eius tum fuerat collega, multa de rebus suis gestis magnificè prædicantem, eúmq; orationi finẽ imponentem, vt diceret, Paratum se esse mori, si fateri velint ciues, ipsum iis inuitis Laconicam vastasse, Messenem condidisse, & Arcades in vnum corpus conduxisse: non sustinuerunt iidem ire in suffragia, sed admiratione viri gaudio simul risúq; oborto discesserunt. Itaq; ne Homericus quidem Sthenelus planè damnandus nobis est, cùm diceret,

Iliad. δ. 405.

Nos nostris multo meliores patribus esse
Iactamus: —

Ibid. 370.

siquidem horum meminimus etiam verborum,

Eheu Tydide, tam forti nate parente,
Quid trepidas, timidusq; acies circumspicis amplas?

ipse enim nullo impetitus maledicto, amicum ignominiosè compellatum defendit, ipsa causa veniam de se dicenti conciliante. Et quidem Romani ægrè tulerunt Ciceronem crebrò res suas contra Catilinam gestas prædicantem. iidem tamen Scipionem dicentem, Non debere eos sententiam de Scipione ferre, quibus ipse potestatem decernendi de omnibus hominibus parauisset, coronati in Capitolium deduxerũt, sacrificioq; eius interfuerunt. ille enim nulla vrgente necessitate, tantùm gloriæ cupiditate impulsus laudibus suis vtebatur: hunc periculũ

II. *Aduersæ res sui laudationẽ excusant.*

inuidia liberauit. Non aũt reis duntaxat, & in periculo constitutis, sed etiam iis qui in aliquam inciderunt calamitatem iactantia & fastus cõuenit, magis quàm cùm rebus vtuntur secundis. hi enim velvti arripere gloriam, & ambitioni suæ indulgere videntur: illi procul ab arrogantia ob temporis rationem deiuncti, emergere aduersus opprimentẽ fortunam, ac magnitudinem animi fulcire, omninóq; fugere aduersarum rerũ miserationem deplorationemq; existimantur. Quemadmodum ergo eos qui inter ambulandum sese erigunt, ceruicémq; sublimem

mẽ attollũt, stolidos vanósq; putamus: qui in pugillatione vel pugna seipsos excitãt, eos laudamus. sic vir fortuna iniqua vbi se rectum statuit atq; reluctatur,

Soph. Trachin.

Tanquam pugilq; conferens manum

de abiecto & miserabili gloriositate sua elatũ se & altum redigens: nõ molestus aut ferox, sed magnus esse videtur atq; inuictus. Hoc scilicet modo Homerus Patroclum moderatum & inuidiæ expertem in re præclarè gerenda, gloriosum in morte facit:

Si mihi uiginti tales equidem occurrissent. *Iliad. π. 847.*

Et Phocio, mansuetus aliàs, postquam dãnatus fuit, cum multis aliis indiciis suam detexit magnanimitatem, tum cuidam vnà morituro eiulanti & graviter casum suum ferenti, Quid? inquit, Non tibi gratum est cum Phocione mori. Non minor, sed maior etiam ciuili homini iniuria affecto licentia datur de se verba faciendi ad ingratos. Sic Achilles aliàs diis gloriam cõcedens, & moderatè loquens,

Iliad. α. 128.

—*Si Iuppiter olim*
Concedet nobis euertere Pergama Troiæ.

indignè autem adfectus contumelia & circumscriptus, iræ iactantiam permittit,

Cepi bis senas comitatus nauibus urbes. Et: *Iliad. ι. 328.*
Non etenim galeæ fulgorem cernere nostræ
Comminus audebunt. — *Iliad. π. 70.*

admittit enim libertas, quæ excusationis sui pars est, magniloquẽtiam. Sic nimirũ etiã Themistocles, cùm in actionib. suis nullũ dictũ aut factum molestũ adhibuisset, ab Athenienſibus se ob satietatem fastidiri ac despici animadvertens, nõ abstinuit dicere, Quid, ô felices, defatigamini sæpenumero beneficiis ab eodem accipiendis? & tempestate obortã sub arborem hanc confugitis, serenitate reddita inter digrediendum frõdes eius stringitis? Hi ergo iniuriis lacessiti, aduersum ingratos memoriã rerũ abs se præclarè gestarũ intulerunt. Iã cuius rectè sa

III. *Defensio rei bene gestæ.*

cta culpãtur, is ea si laudat, omnino veniã meretur, & repræhensione vacat. videtur enim nõ exprobrare, sed defendere. Hæc res splendidam Demostheni parauit libertatem, laudúmq; amolita est fastidium, quas ferè per totam pro Corona orationem vsurpauit, iactans suas quæ culpabantur de bello legationes, & decreta. His admodum vicina est venustas oppositionum, cùm quæ cui res vitio datur, eius cõtrariũ turpe ostendit esse atq; vitiosum. Ita Lycurgus Athenis, cum ei exprobraretur, quòd argẽto dato calumniatorẽ placasset, Et qualis tandẽ, inquit, vobis videor ciuis, qui apud vos tanto tẽpore rem gerens publicã, dare potiùs quàm accipere iniustè depræhensus sim? Et Cicero Metello obiicienti, plures ipso testimoniũ contra eos dicente damnatos, quàm defendente absolutos esse, Quis verò, inquit, non hoc dicit, plus in me fidei esse quàm eloquentiæ. Talia sunt etiã isthæc Demosthenis: Quis verò me non iurè occidisset, si quid eorum quæ vrbi pulcra sunt, verbo saltem ausus fuissem dedecorare? Et: Quid existimatis dicturos fuisse impuros istos homines, si tunc me his de rebus subtiliter rationes subducente abiuissent ciuitates? Omnino autem oratio illa de Corona ingeniosissimè oppositionib. & solutionibus causarum laudes superinducit. Verùm hoc quoq; vtile est illa ex oratione discere, qp de se dictis accuratissimè admiscens auditorũ laudes, invidiam & amorem sui à se remouit. vt cùm refert quales se Eubœensibus præbuerint Athienses, quales Thebanis, quæ in Byzantios & Cherronesitas beneficia contulerint: quorũ se administrũ duntaxat ait. Ita enim occultè propriis laudibus auditori se insinuat, cũ voluptate admittenti quæ dicuntur, & gaudẽti suis pulcris facinoribus: cui gaudio statim comitatur admiratio & amor eius, cuius opera res ita bene gesta fuit. Eò respiciens Epaminondas Meneclida ipsum aliquando traducente, vt qui

qui de se quàm Agamemnone ampliùs sentiret: Facio, inquit, hoc propter vos, Thebani, quorum solorum opera Lacedæmonium imperium vnica die euerti. Sed quoniã qui seipsos laudant, iis pleriq; admodũ adversantur & succensent, nõ item alios laudantibus, sed frequenter gaudent alacritérq; adstipulantur suis testimoniis: solent nõnulli iis, quibus idem studium fuit, eædem actiones, iidem denique mores, tempestiuè laudãdis cõciliare sibi & in se cõvertere auditorem: qui statim intelligit, dicentem, etiamsi de alio loquatur, ob virtutis similitudinem dignũ eadem esse laude. Sicvt enim qui alteri exprobrat ea quib. ipse obnoxius est, facilè sentitur non tam aliũ quàm sese vituperare: sic boni dũ bonos honorant, sui ipsorum memoriam renouant apud eos qui virtutis ipsorũ sunt conscij, vt statim acclamẽt, Quasi verò tu nõ sis talis? Sic Alexander Herculem venerans, & rursus Alexandrum Androcottus, effecerunt vt ipsi quoq; à similibus honorarentur. Dionysius autem Gelonem subsannãdo, & gelota, id est risum, Siciliæ nominando, imprudens per invidiam suæ potentiæ magnitudinem auctoritatémq; infregit. Atq; hæc quidem etiam aliàs scire & obseruare ciuilem hominem convenit. Qui verò coguntur sese laudare, eos tolerabiliores facit si non omnia sibi arrogent: sed gloriam molestam aliis sentientes, alia fortunæ, alia deo accepta ferant. Itaq; præclarè Achilles:

Hunc postquam superi nobis superare dederunt. Ilia. x. 379.

Præclarè etiam Timoleo, qui Syracusis fanum Fortuitorum casuũ ob res à se gestas posuit, domúmq; suam bono genio consecrauit. Optimè Pytho Aenius, qui cùm Cotyn interfecisset, ac deinde Athenas venisset, certatim oratoribus ipsum ad populũ laudantibus, cùm invidere sibi quosdam & indignè ferre hoc sentiret, progressus: Hæc, inquit, Athenienses deorũ aliquis fecit, nos manus ei vtendas præ-

IV. *Se per alium laudare.*

V. *Translatio suæ laudis in aliũ.*

buimus. Sylla quoq; invidiam amolitus est, identidem Fortunæ mentionẽ faciens, & ad extremũ Venusti cognomẽ sibi sumens. Malũt.n. homines fortunæ quàm virtutis laudẽ aliis cõcedere: quòd illius dona bonũ alienũ, huius defectũ à seipsis proficisci existimãt. Quare Zaleucus maximè suas leges Locrensib. cõmendauit. Mineruam identidẽ sibi in cõspectũ venire, legésq; dictare & exponere dicens, nihil eorũ quæ promulgaret abs se excogitatũ aut cõsultatũ esse. Verùm hæc quidem remedia, hásq; excusationes fortasis necesse est adversus planè morosos invidósq; præparare. Apud moderatos non est absurdũ etiã correctionib. laudũ vti. Verbi gratia, Laudauit aliquis te à doctrina, aut diuitiis, aut potentia. hũc tu iubebis nõ ista de te cõmemorare, verùm hoc potiùs dicere, si bonus sis, si innocuus, si vtilis. Hoc qui facit, nõ infert, sed trãsfert laudẽ: neque videtur gaudere laudatorib. sed succẽsere quòd nó cõvenienter laudauerint, aut ob eas res quas oportuit, ac deteriora meliorib. occultare: vt qui nõ velit laudari, sed doceat laudare ita vt decet. Tale aliquid spectare videntur ista Demosthenis. Non enim lapidib. ego, nõ latere cocto vrbẽ muniui: sed si meas munitiones cõsiderare velis, arma invenies, equos, atque socios. Ac multo magis illud Periclis. Cùm enim iam morientẽ necessarij mœsti deplorarent, ac præturas cõmemorarẽt, potentiã, & quę trophæa, quas victorias vrbésq; Athenienſib. partas relinqueret: paululũ sese erigẽs, repræhẽdit eos, quòd cõmunes multorũ, & fortunæ magis quàm virtuti debitas laudes retulissent, pulcerrima, & maxima ipsiq; propria hac laude prætermissa, Quòd propter ipsum nemo Athenienſiũ nigrã vestem vnquã sumsisset. Hoc exemplũ & oratorem docet, si quidẽ vir bonus sit, laudatum ob facundiam, laudem in vitam & mores avocare: & imperatorẽ, si ob peritiã rei militaris aut felicitatẽ sit in admiratione, de mansuetudine sua & iusticia liberè loqui. Et contrà vbi nimię

VI. *Correctio tributæ laudis.*

laudationes proferũtur, vt vulgo per adulationem solent invidiosa tribuere, dicere:

Non deus ipse ego sum, quid me immortalibus æquas? Odyss. ω, 187.

si me rectè nosti, integritatem meam lauda, aut temperantiam, aut æquanimitatem, aut humanitatem. Invidia.n. citra molestiã ei qui maiora recusat, minora cõcedit: veráq; laus iis nõ adimitur, qui falsas & vanas nõ admittũt. Itaq; reges quoq;, qui nõ deos se, aut deorũ filios, sed fratrũ, aut matris amatores, aut beneficos, aut diis charos appellauerunt, haud grauatè pulcris quidem istis, sed humanis tamen cognomentis honorauerunt. Sicvt rursum de his qui scribunt aut docent, eos molestè ferunt, qui sapientũ nomen sibi adscribũt, amplectũtur aũt se philosophiæ studere, aut proficere, aliúdve aliquid tale moderatũ & invidiæ expers dicentes. At oratores & sophistæ dũ declamantes patiunt sibi acclamari, Diuinitus, moderatorũ & humanorũ laudem amittunt. Porrò sicvti qui oculorũ debilitate affectis cauent ne molestiam exhibeant, ij nimiũ splendidis vmbræ aliquid admiscent: ita sunt qui suas laudes nõ omnino splendidas ac puras proferunt: sed defectus quosdam & errata aut leuia peccata iniiciẽdo, importunitatẽ & invidiam declinant. Ita Epeus nõ mediocriter se de pugillatione iactãs atq; ferociẽs,

VII. *Vitiorum inter laudes confessio.*

Comminus huic corpus rumpam:— Iliad. ψ, 670.

simul & hoc dicit:

Non satis est aliis me pugnando esse minorem?

Quanquam hic quidẽ fortasse ridiculus est, athleticã arrogantiã timiditatis & ignauiæ cõfessione excusans. Is accuratus & elegãs, qui obliuionẽ de se aliquã, aut ignorantiã, aut ambitionẽ, aut auditionẽ alicuius disciplinę vel sermonis prodit. Sic Vlisses,

Ast ego Sirenum uoces audire cupiui, Odyss. μ, 192.
Soluere me socios nutuq; oculisq; iubebam. Et:
Nec mihi persuasum est: (melius parere fuisset Odyss. λ, 228

Odyss.6,228 *Multo equidem uolui lustrare, & munera ab illo*
Sperabam.—

atq; omnino quæcunq; non planè turpia & indecora peccata laudib. admixta, invidiam avertunt. Multi paupertatem, imperitiam, atq; adeò ignobilitatē inter suas laudes dum confitentur, invidiam retundunt. Sic Agathocles aurea pocula & cælata præbibens adolescentibus, iussit etiam fictilia proferri: &, Talis, inquit, res est adsiduitas laboris ac tolerantia & fortitudo. nos olim lutea, nunc aurea facimus pocula. etenim Agathocles, qui ob obscuritatem generis & egestatem credebatur in figuli officina educatus, postmodò regnum totius propè Siciliæ obtinuit. Atque hæc quidem remedia extrinsecus adsciscuntur orationi quam de se quis habet. Quædam alia in ipsis quodammodo insunt, qui seipsos laudant. His Cato usus est, Invideri sibi dicens, quod suis rebus neglectis noctes patriæ causa vigilaret. tale & istud:

III. *Fiducia se laudantis.*

Iactóne me? qui poteram sine negocio,
Numeratus in uulgari censu exercitus,
Fortuna eadem cum primo sapientia
Frui.— Item:
Vereor laborum gratiam profundere
Quos pertuli: neq; nunc hos detrecto nouos.

Vt enim domū aut prædiū, ita gloriā quoq; & virtutis laudē vulgo, iis qui gratis & nullo negocio, non qui redemerint multis laborib. & periculis, invidēt. Quoniā aút nō modò citra dolorem aliorū & invidiam, sed etiam cum eorū vtilitate vsurpādæ nobis sunt nostræ laudes, ne hoc agere, vt nos laudemus, sed eo ipso aliud aliquid moliri videamur: primùm hoc cōsidera, an excitandi studij æmulationisq; virtutū gratia apud auditores aliquis seipsum laudare possit. Hoc sanè modo Nestor suas pugnas & præclara facinora narrando, & Patroclū ad pugnā instigauit,

IX. *Laus propria ad utilitatem auditoris referenda.*

Iliad.9,669.

gauit, & nouem Græcos heroës ad singulare cū Hectore prœliū excitauit. Exhortatio enim quæ factū verbis coniunctum habet, exemplúmque proprium ad imitationem invitās, animata est & mouet atque exstimulat, & cum impetu ac proposito animi spem etiam consequendi & potiundi eius, ad quod impellimur, certam iniicit. Hinc est, quod Lacedæmone chorus senum cantat, Iliad.π,132.

Nos fuimus olim iuuenes ualdè strenui: puerorum,
Nos erimus olim fortiores plurimò: iuuenum,
Fortes sumus nos: fac, si uis, periculum.

legislatore præclarè & ciuili rationi convenienter vicina & domestica exempla adolescentibus eorum qui rem gessissent proponēte. Enimverò interdum etiam ad reprimendum, ac humiliandum & cicurandum hominem insolentem ac ferocem conducit de se ipso aliquid tumidiùs iactare. vt rursum Nestor,

Certè, ego cum, quàm uos sitis, melioribus olim Iliad.ά,260.
Consuetui, uixíq; uiris: neq; me tamen illi
Spreuerunt.—

Sic etiam Alexandro Aristoteles scripsit, Non his tantum, qui magnum tenerent imperium, permissum esse magnificè de sentire: sed his etiam, qui rectè de diis statuerent. Vtilia sunt etiam adversus hostes & inimicos isthæc:

Occurrunt nati miserorum uiribu' nostris. Iliad.ζ,127.

Et de Persarū rege, qui Magnus vsurpabatur, Agesilaus: Quî, inquit, maior me est, si non etiā iustior? Et adversum Lacedæmonios, cùm ij Thebanos accusarent, Epaminondas: Sanè, ait, nos breuiloquentiæ vestræ finem imposuimus. Atque hęc quidem in hostes & inimicos. De amicis porrò & ciuibus, tempestiuè nos iactando non modò ferocientes retundere possumus & humiliores reddere: sed & timidos atque attonitos animare. Sic & Cyrus in peri-

Universidad de Deusto
Biblioteca

culis & prœliis magnificè de se loquebatur, non aliàs. & Antigonus secundus, cætera fastu vacuus & moderatus, in nauali ad Côn prœlio amicorũ quodam dicente, Non vides quãto plures sint hostium naues? Me verò ipsum, inquit, quot nauibus opponis? Apparet hoc perspectũ fuisse Homero. Facit enim Vlissem sociis ad fluctus & strepitũ circa Charybdin animos despondentibus, in memoriam iis redigentem calliditatem suam & fortitudinem:

Odyss. μ. 209.

Non tamen hocce malum nunc grandius ingruit illo,
Cùm nos ui tenuit uasto Polyphemus in antro.
Et tamen hinc uirtute mea nos consilioq;
Fugimus.——

Non est enim popularem captantis auram, aut sophisticæ ostentationis ista laudatio, neq; strepitum & applausum quærentis, sed eius, qui confidendi pignus virtutem scientiámque suam amicis exhibeat. Nam in periculis ad salutem permultum conducit auctoritas & existimatio viri imperatoria peritia ac facultate prædita. Cæterùm suprà docuimus, nequaquam ciuile esse laudi & gloriæ alienæ seipsum opponere. Tamen vbi falsæ laudes nocent ac corrumpunt, studiúmque rerum malarum & prauum de rebus magnis consilium animi generant, non invtile est eas refutare, aut potiùs indicato discrimine auditorem ad meliorem avertere sententiam. Etenim quis non gratum habeat, si plerosque vltrò videat abstinere à vitio quod maledictis ac reprehensionibus sit exagitatum? Quod si autem malicia honestam opinionem nacta fuerit, eiúsq; ad voluptatem auariciámve illecebris honor & gloria accedat: nulla iam ita felix, ita valida est natura, quæ his nõ vincatur. Itaque oportet non hominum laudibus, sed ipsarum rerum, si prauæ sint, adversari ciuilem hominem. hæ enim laudes pervertunt, secúmque trahunt imitationem turpium pro honestis habitorũ.

X. Quando aliorũ laus impugnanda.

Maximè

Maximè autẽ refelluntur, veris iuxtà oppositis. Hoc modo Theodorus actor tragœdiarũ fertur aliquando ad Satyrum histrionem comicum dixisse, Non spectatoribus risum mouere, sed lacrymas elicere admirabilitatem habet. Quod si huic ipsi Theodoro philosophus aliquis diceret, Atqui, mi homo nõ id præclarum est fletum mouere, sed fletu & mœstitia liberare: is seipsum prædicando auditorem iuuaret, eiúsq; iudicium corrigeret. Sic Zeno de multitudine discipulorum Theophrasti, Chorus, inquit, eius maior, meus est cõcinnior. Et Phocio Leosthene adhuc rem feliciter gerẽte interrogatus ab oratoribus quídnam beneficij in Vrbem cõtulisset? Nihil, inquit, quàm quod me prætore vos orationem funebrem nullam habuistis, sed quotquot mortui sunt, in sepulcris maiorum sunt humati. Admodum venustè etiam Crates his versibus,

Hæc habeo, quæ edi, quæq; exsaturata libido
Hausit:—— *opposuit hos:*
Hæc habeo, didici studio quæ pulchra, Camœnæ
Me quibus instruxere.——

Pulcra enim est hæc laus & vtilis, docens vtilia & commoda mirari atq; amplecti, vanis & ociosis rebus posthabitis. Itaq; hoc cũ dictis ad quæstionem explicandã coniungatur. Restat vt ipsa iam disputatione hoc flagitãte porrò explicemus, qua quis ratione intempestiuã sui laudationem cauere possit. Etenim amorẽ sui arcẽ habens de seipso dicendi studium munitã, etiam his qui admodum mediocriter erga gloriam affecti videntur, depræhenditur sæpenumerò insidians. Sicvt enim de præceptis bonæ valetudinis tuendæ vnum est, omnino cauere sibi à locis insalubribus, aut maiori cura valetudinis vti in illis versantem: sic de seipso loquendi studium quasdam habet occasiones & rationes lubricas, & quovis prætextu propriam laudem elicientes. Pri-

Quomodo vitanda sit importuna sui laudatio.

mùm vbi laudantur alij, ibi (vt diximus) ambitiõ ser monem de seipso facilè extrudit, animúmque morsum aliena laude ac titillatum pruritus instar occupat quædam gloriæ cupiditas & ad eam parandam incitatio: idque cùm aliàs, tum adprimè si alius æqualis aut inferior etiã nobis sit in ea re ob quã laudatur. Quemadmodum enim esurientium appetitio aliis coràm edentibus magis acuitur & iritatur: ita laus in proximum collata intemperanter erga gloriam affectos quasi riualitate quadam accendit. Secundo loco narrationes rerum feliciter & ex animi sententia gestarum, multos præ lætitia in iactantiam ampullasque verborum efferunt. incidentes enim in commemorationem victoriæ suæ alicuius, aut rei in rep. præclarè gestæ, aut actiones vel orationes principibus probatas, non se tenent, neque modum seruant. quo genere sui prædicandi maximè videas homines nauticos & militares decipi. Accidit etiam his qui è provinciis à se gubernatis, aut magnis negociis revertuntur hoc frequenter. mentione enim facta illustrium & regiorum hominum, annectunt collaudationes sui ab iis profectas: arbitrantes non se à seipsis laudari, sed aliorum laudes ipsis tributas referri. sunt qui planè rem ab auditoribus non animadverti putant, cùm regum aut imperatorum erga ipsos in dextra danda, alloquendo & amicè tractando referunt comitatem, non vt suas hæc laudes, sed illorum humanitatis atque benignitatis documenta narrantes. Qua in re attendere se quisque diligenter debet, vt cum alios laudat, laudatio ea suspicione amoris sui ipsius, ac studij de se verba faciundi careat: ac ne videatur

Iliad.7,301. *Patroclum prætendendo* —

seipsum laudandis aliis laudare. Proinde id dicendi genus, quo alios vituperamus aut culpamus, periculosum est, & ambitiosis multas præbet ad excurrendum

rendum in sui laudationem occasiones. In hoc vitij cum primis incidunt senes, vbi ad castigandum alios & culpandum malos mores ac malè facta conversi, eò progrediuntur, vt seipsos laudibus vehant, qui mirabilem in tali re virtutem ostenderint suam. His quidem, si non ætate tantùm, sed gloria etiam & virtute sint præditi, danda est venia. tantum enim abest vt inutilis sit horum iactantia, vt qui hoc modo castigantur, magna simul virtutis æmulatione & pulcritudinis studio incendantur. Nos alij cauere diligenter & metuere etiam istas debemus digressiones. Nam cùm alioqui molesta sit & pœnè intolerabilis proximi reprehensio, multámque requirat cautionem: qui alterius reprehensioni suam immiscet laudem, sibíq; gloriam ex alterius dedecore venatur, molestissimus planè importunissimúsque est: quippe qui ex aliorũ culpa laudẽ sibi videatur velle quærere. Addamus hoc. Qui facilè in risum soluuntur, ij maximè cauere debent & fugere titillationes atque contrectationes, in quibus læuissimæ corporis particulæ delabentes & confluentes, excitant impellúntque eam adfectionem. Et qui effusiùs ad gloriæ cupiditatem feruntur, iis vel maximè hoc consulendum est, vt cùm laudantur ab aliis, sese laudando abstineant. Eum enim qui laudatur, erubescere convenit, abiicere verecundiam non convenit: & inhibere eos, qui magnum aliquid de ipsis dixerint, non reprehendere tanquam intra modũ laudes ipsorũ prosecutos. qua in re peccãt multi, admonentes præterea de aliis quibusdã suis actionibus & egregiis facinoribus, eáq; dictis inculcantes, donec simul & à se, & ab aliis tributã ipsis laudem corrumpant. Nonnulli dũ sibi ipsis blandiuntur, quasi titillant se atq; inflant. Sunt qui aliquam laudem quasi escã submittentes maligne, provocent eos, qui suorum ipsorum prędicandorũ vitio correpti sunt. Alij percunctantur eo modo quo illi apud Menandrum,

Vt rideant. Hoc uulnus unde tibi accidit?
Sion læsus hastili. quî prò desim? gradus
Muris admotos conscendens. promtè simul
Ostendo uulnus. rursum me sannis premunt.

In omnibus his quàm potest fieri maximè cauendum est, ne laudibus præcipites agi nos patiamur, néve interrogati nosmet prodamus. Ad quam rem perfectissima est hæc cautio atque custodia, vt animadvertamus alios qui seipsos laudãt, quàm ij rem omnibus ingratam molestámq; agãt, vtq; nulla alia oratio sit perinde invisa & grauis. Quippe vt nullam aliam iniuram in nos eorum qui seipsos laudãt allegare possimus: tamen tanquam naturæ instinctu molestè ferentes eam rem & aversantes, dimitti ab eis & respirare properamus. Cùm quidem adulatori & mensarum assectæ atq; indigenti intolerabilis sit etiam tum cùm eius est vsus, dives aliquis, aut satrapa, aut præbitor. atque has symbolas aiunt conuiuiorum se dare maximas: vt ille apud Menãdrum:

Hic me enecat, fio macer conuiuiis,
Sapientia audiens, & militaria
Dicteria ista. glorioſus est nimis,
Nimisq; impurus ac sceleſtus. ——

Hæc etenim nõ ad milites duntaxat, atq; recèns ditatas, prætextatis illis & comtis suis narratiunculis alios detinẽtes, sed & de sophistis, philosophis, imperatoribus sua nimium extollentes atq; cum fastu iactantes adsueuerimus dicere: si quidem memoriã teneamus propriis laudibus aliorum comitari vituperium, ac vanam hanc gloriæ cupiditatem desinere in ignominiam: idque ad extremũ nos consequi, (quod Demosthenes dixit) vt offensis auditoribus existimemur tales non esse, quales nos ipsi prædicauimus. his (inquam) consideratis, ipsi de nobis loqui omittemus, nisi magna id vel cum nostra, vel cum auditorum vtilitate futurum speremus.

PLV-

PLVTARCHI
De cohibenda ira dialogus.

SYLLA. Rectè mihi, Fundane, facere videntur pictores, qui operã suã, priusquàm ea absoluant, per intervalla temporis contemplantur. ita enim abducto ab iis paulisper visu, sæpius iudicium revocantes, etiã exigua discrimina obseruando attingunt, quæ continenti inspectione & consuetudine quotidiana occultarentur. Nobis autem quandoquidem nõ licet vt aliquandiu à nobis ipsi digrediamur, nostríve sentiendi faciamus aliquam intercapedinem: (quod ipsum efficit potissimùm vt sui quisq; peior sit quàm aliorum iudex) proximum est, vt interdum amicos conueniamus, iisq; nos præbeamus considerandos. non an celeriter consenuerimus, aut corpus meliùs peiúsve sit affectum: sed an moribus nostris tempus boni aliquid addiderit, aut vitij ademerit. Ego itaq; anno reversus Romam secundo, ac quintũ hunc tecum degens mensem, felicitate naturæ tuæ reputata non admodum mirabile duxi tantum virtutũ tuarum esse factum incrementum. sed mihi animadvertenti vehementiam illam tuam, & ad irascendum ef ferueſcentiam ita placatam, & rationi obedientem atq; mansuetam redactam, subiit ad animũ dicere:

Proh superi, uerè quàm multo mollior hic est! Iliad. X. 373

Atq; hæc mollitudo non ignauiam, non dissolutionem, sed instar subactæ cultura terræ læuitatẽ quandam & profunditatem ad agendũ efficacem habet, loco pristinæ illius incitationis ac celeritatis. Vnde liquet, iracundiam nõ ob decedentem ætatis vigorem, neque fortuitò elanguisse, sed rationibus quibusdam bonis procuratam fuisse. Sanè (vt verum ti-

bi dicam) cùm Eros ſocius nobis hæc nunciaret, ſuſpicabar eum non quæ adeſſent, ſed quæ decerent præclaros homines benevolentia adductum ſuo teſtimonio tibi tribuere. tametſi, vt noſti, aliâs perſuaderi ſibi nequaquam ſineret, vt in gratiâ alicuius de ſententia ſua decederet. Nunc autẽ & illum crimine falſò dicti teſtimonij abſolui: & tu, profectione ocium præbente, expone nobis tuam quaſi medicam curationem, qua vſus animum ita probè frænatum, ſimplicem, rationíque obtemperantem reddideris. FVNDANVS. Caue amiciſsime Sylla, ne ipſe quoque amore noſtri in aliqua rerum noſtrarum allucineris. Eroti enim, cui ipſi quoque non rarò animus ſuo loco non manet, neq; Homericâ illam ſeruat obedientiam, ſed odio malorum aſperiùs effertur, par eſt nos manſuetiores fuiſſe viſos. quomodo in muſicis deſcriptionibus quædam de infimis fides aliarũ reſpectu ſummæ habentur. SYL. Neutrum horum factum eſt Fundane. Sed age, in gratiam noſtram fac quod petij. FVND. Equidem præclarè dictorũ Muſonij, quæ memoria tenemus, vnum hoc eſt Sylla, Eos qui ſalui eſſe velint, ita viuere debere vt perpetuò curentur. Non enim, puto, ratio curationi morbi ita eſt adhibenda, vt vſurpatur elleborus: ſed animo percepta doctrina inhærere debet, iudiciáque continere & cuſtodire. Quippe vis rationis nó medicamẽti eſt, ſed ſalubris alimenti ſimilis, quæ nobili indoli familiaris vſu facta probum inducit habitum. Cæterùm admonitiones & caſtigationes, quæ vigentibus animi turgentibúſq; acçõmodantur moribus, ægrè & vix efficiunt quicquam: nihilo vtiliores odoratis rebus, quę proſtratos comitiali morbo excitant quidem, non tamen morbo liberãt. Quanquam aliq quidem animi perturbationes etiam quo tempore vigent, vtcunq; concedunt, & admittunt rationem extrinſecus in animã opitulandi cauſa venientem. Excandeſcentia non, vt ait Melanthius,

Odyſſ. v, 23.

Aduerſus iram habitu eſſe animũ confirmãdũ.

Migrare

Migrare coacta ratione malas res agit:

ſed electa prorſus, & excluſa. & perinde ac qui ſe vnà cum domo incendunt, omnia quæ intus ſunt tumultus, ſumi, & ſtrepitus plena facit, nihil vt eorum quæ conducunt videri audiríve poſsit. itaq; facilius in tempeſtate & alto mari nauis vacua aliunde gubernatorẽ recipiet, quàm homo ira feruens atq; fluctuans alienam admittat orationẽ, ſi ſuam intus rationem non habeat præpatatã. Sed quemadmodum qui obſidionem expectant, deſperatis externis auxiliis intrò neceſſaria congerunt atq; deponunt: ita maximè oportet quæ adverſus iram faciunt eminus è philoſophia deſumta in animũ comportare. Quippe non facilè facultas dabitur ea inferendi cùm eorum vſum tempus poſtulabit. Nó enim audit ob tumultum tunc anima quæ foris ſunt, niſi intus ſuam rationem habeat quaſi moderatorem, quæ celeriter accipiat & intelligat ſingulas exhortationes: ac ſi audiat etiam, placidè dicta contemnit: aſperiùs ſi quis inſtet, iritatur. Etenim animus ſuperbus, contumax, omninóq; ab alio difficulter ſe moueri ſinens, velvti munita tyrannis, neceſſe eſt vt in ſe habeat, domeſticúmq; ſit id, quo debet opprimi. Proinde continentes iræ, & crebræ offenſæ, habitum animo ingenerant malum, qui iracundia dicitur, ac in leuitatem ſtomachandi, acerbitatem, moroſitatémq; deſinit: quando exulceratus animus minimas ob res dolorem concipit, & quævis etiam vilia culpat, ab iis ferri inſtar tenuis atq; mollis laucinatus. At iudiciũ illicò iras inhibens atq; reprimens, non in præſentia tantùm medetur, ſed in poſterum quoq; firmum facit animum & affectionum ſecurum. Mihi quidem bis terve iram continenti id vſu venit quod olim Thebanis: qui cùm primùm Lacedæmonios antè inuictos creditos puliſſent, nullo vnquam deinde ab iis victi ſunt prœlio. Sic & ipſe fiduciam animo concepi, poſſe iram ratione ſuperari. Vidi autem nõ mo

Iram poſſe cohiberi.

dò frigida affusa iram sedari, vt Aristoteles narrauit: sed & metu oblato exstinctam, & subito etiá me
Ilia. ψ. 600 hercle gaudio delinitum (vt est apud Homerũ) multis pacatúmq; animum. Itaque in hanc veni sententiam, iis qui operam nauare velint, iram non esse incurabilem. Nam ne initia quidem semper habet magna ac valida. cùm & dicterium, & iocus, & risus, & nutus, & multa id genus alia multis iræ causa fuerint. vt Helena consobrinam suam compellans

Eurip. Oresc. *Electra longo sanè uirgo tempore,*
ita iritauit, vt ea responderet:
Serò sapis, olim turpiter ædes deserens.
& Alexandrũ Callisthenes, cùm diceret magno circumlato calice, Nolo poculo Alexandri hausto Aesculapio opus habere. Sicvt ergo flammam pilis leporis, ellychnio, aut paleis accensam facile est inhibere: vbi verò solidas ac crassas res corripuit, celeriter absumit

Sublime fabrorum se subiiciens opus,
Iræ initio re sistendum. vt ait Aeschylus. ita qui iram ab initio animadvertit, sensimq; intelligit eã à sermone aliquo aut promiscua scurrilitate incensam fumare, is non magno opus habet labore, sed plerunq; ipso silentio & contemtu oppresit. vt enim ignem exstinguit qui materiam ei nõ suggerit: ita iram præcauet & arcet, qui eam initiò non alit, neq; sese inflat. Quare tametsi multa alia vtiliter dixerit atque docuerit Hieronymus, mihi tamen hoc eius dictũ nõ probatur, quòd iræ nõ nascentis, sed iam natæ atq; exsistentis ait ob celeritatem esse sensum. cùm nulla animi perturbatio alia collecta & exagitata tam conspicuũ habeat ortum atq; incrementum. Atque hoc peritè docuit
Ira nascens sentitur. Homerus Achillem audito sermone subitò corripi dolore faciens:

Dixit. at hunc nubes circumdedit atra doloris.
lentè autem irascentem Agamemnonem, ac multis verbis

verbis inflammatum. quæ si quis ab initio intercepisset, non in tantam magnitudinem excreuisset iurgium. Itaque Socrates quoties sentiret se vehementiùs commotum adversus amicorum aliquem,

Ante fluctum subiens maritimum aliquod promontorium
vocem remittere solebat, vultu renidere, & mansuetiùs obtueri: vergendo in diuersam partem, & contrarios perturbationi motus instituendo invictum erectúmq; seruans. Est enim, amice, prima quædam excandescentiæ, tanquam tyranni, opprimendæ ratio, non parére, neq; obtemperare ei iubenti vociferari, toruum tueri, cædere seipsum: sed quiescere, neq; affectum morbi in mõrem intentiorem iactatione & clamore facere. Nam amatoriæ quidem actiones, vt comesatum ire, cantare, sertis ianuam ornare, habent vtcunque alleuationem aliquam neq; inelegantem neque rudem

Nil clamans quis uel cuius ueniam, oscula amicæ
Fixi. ni licet hoc, flagitiosus ego.
& permisi in luctu fletus atq; eiulatus, multum doloris vnà cum lacrymis educunt. Ira autem magis etiam accenditur iis quæ irati agunt ac dicunt. Ergo optimum est vt placidè nos contineamus, aut fugiamus, occultemúsve nos, & in quietem tanquam portum confugiamus, vbi iræ quasi morbi comitialis accessionem præsensimus: ne cadamus, aut in alios potiùs incidamus. Incidimus autem potissimùm & sæpissimè in amicos. Non enim omnes amamus, nõ omnibus invidemus, non omnes metuimus. Soli iræ nihil intactum, nihil inaccessum est. irascimur & hostibus, & amicis, liberis, parentibus, atq; adeò etiam diis, bestiis, anima carentibus instrumentis, vt Thamyris *Ira qualis affectus.*

Auro illigatum cornu rumpens,
Rumpens harmoniam tendifidis lyræ.
& Pandarus sese exsecrans, nisi arcum combvreret

Confractum manibus. — Xerxes autem & mari stigmata ac verba ingesit, & ad montem epistolam misit: Atho diuine, cœlum tangens vertice, noli meis operibus lapides facere magnos & intractabiles: alioqui te excisum in mare deturbabo. Sunt enim iræ multa terribilia, multa ridicula. itaq; nullus animi motus perinde & in odio est & contemnitur. Expedit autē ambo isthæc considerari. Ego itaque, nescio an rectè, medicinæ adversus id malum hoc initium cepi, vt in aliis (quomodo Lacones in hælotibus ebrietatem) obseruarem iram, qualisnam ea res esset. Ac principio, sicvt Hippocrates eū morbum periculosissimum ait esse, in quo ægrotantis facies sui dissimilima fiat: ita sentiens iratos maximè mutare faciem, colorē, incessum, vocem, velvti imaginem quandam eius affectionis animo mihi cōformaui. admodum indignam rem existimās, si ita terribilis & abalienatus aliquando conspicerer ab amicis & vxore & filiabus, non visu modò ferus & insolens, sed & vocem edens immanem atq; asperā: sicvt ipse in quosdam familiarium incidissem, qui præira neque mores, neque formam, neq; sermonis elegantiam, neque in colloquio comitatem seruare poterant. C. quidem Graccho oratori, qui & moribus esset austerioribus, & in dicendo vehementior, fistula fuit concinnata, quali Musici vocem paulatim in vtranque partem per tonos deducūt. hanc eo oranteseruus tenens à tergo adstabat, tonúmque lenem suggerebat, itaq; herum à vociferatione revocabat, asperitatémq; & iracundiam vocis auferebat, ita is iram dicentis demulcebat atq; sedabat:

Vt pastoralis cera iuncta fistula,
Quando soporiferos sonitu ciet modos.

At mihi si quis elegās & accuratus comitetur famulus, ægrè non tulerim si mihi irascenti speculum offerret: sicvt nōnullis vbi lauerint nulla vtilitate exhibetur.

Iliad. 3. 216.

Coicis prænotionibus.

hibetur. Etenim videre seipsum contra naturām affecto & conturbato vultu, non parum facit ad damnandam iram. Iocus fertur, Mineruam cùm fistula caneret, Satyro his verbis castiganti

Non te decet forma isthæc, pone fistulas,
Et arma capesse componens rectè genas,

non obtemperasse: cùm autem in flumine faciem suam esset contuita, indignatam fuisse, ac missas fecisse fistulas. quanquam ars deformitatem cantus suauitate hìc quidem compensabat. Et Marsyas, vt aiunt, capistro quodam atque orificio violentiā flatus intercepit, ac faciei inæqualitatem occultauit atque composuit:

Aurum tunc splendens malis circumdedit hirtis,
Os patulum loris strinxit retroq; ligatis.

Ira verò fœdè inflans atq; intendens faciem, etiam turpiorem & ingratam vocem emittit

Mentis fides mouens immotas anteà.

Mare quidē purgari tradunt, quando ventis exagitatum muscū algāmq; eiicit. Quæ verò excādescentia animo conturbato evomit impudica, amara, & futilia verba, ea primùm dicentes conspurcant, infamiáq; obruunt, quod semper eorum pleni, tum per iram detegere videntur. itaq; irati sermonis (quod apud Platonem est) rei leuissimæ grauissimas dant pœnas, inimici, maledici, & maligni crediti esse. Hæc mihi videnti & obseruanti vsuvenit nimirum vt mecū sic cogitarem, & memoriæ mandarem, Bonum esse in febri, melius autem in ira, linguam habere teneram, atq; læuem. Nam febricitantium lingua si non sit naturæ convenienter affecta, signum est malum, non causa. at iratorum lingua exasperata & inquinata, cùm in absurda dicta erumpit, inimicitiæ implacabilis effectricem iniuriam effert, & malevolentiæ occultæ delatricem. Vinum sanè nihil æquè intemperans & invisum, vt ira edit. & à vino

Lingua.

quæ veniunt, risui & ioco debentur: hęc felle mixtâ sunt. Atq; inter pocula qui tacet, molestus est compotoribus atque insolens. In ira nihil magis decet quàm quies, vt Sappho præcipit:

Ira cum pectus rapida occupauit,
Futiles linguæ iubeo cauere
Vana latratus iaculantis. —

Iræ natura. Non hæc duntaxat monent vt ira capti nosmet attendamus, sed & reliquâ iræ naturâ perspiciendam proponunt. scilicet nõ esse eâ ingenuam, non virilem, neq; à magni elatione animi proficisci. Videntur quidem plerisq; eius tumultus efficacitatẽ, comminationes audaciã, cõtumacia vim habere. sicvt & crudelitatem nonnulli magnificentiæ, implacabilitatem constãtiæ, morositatem odij malorũ nomine falsò afficiunt. Sed facta, motus, formæ iratorũ magnam pusillanimitatem imbecillitatémq; declarãt. non tum modò, cum pueros laniant, acerbè cũ mulieribus expostulant, canésq;, equos, & mulos putãt puniendos, vt Ctesipho pancratiasta mulam calce referiendam sibi existimans: sed & in tyrannorũ sceleratis homicidiis in sæuicia animi humilitas, & in actionibus perpessiones eorum conspectæ, morsus serpentum referunt, quæ inflammationis & doloris impatientia æstum in ea, à quibus læsa sunt, emittunt. Sicvt enim œdema nascitur in carne à magno ictu: sic in mollissimis animis ad lędendum facta inclinatio maiorem excandescentiã à maiore profert imbecillitate. Itaq; & mulieres magis iracũdæ sunt quàm viri, & ægroti quàm sani, & senes iuuenibus, rebus adversis vtentes prosperã habentibus fortunam. maximè irascitur auarus dispensatori, gulę deditus coquo, zelotypus vxori, ambitiosus malè dicenti. omnium morosissimi sunt qui honores in ciuitatibus petunt, aut factionẽ, dolorem, (vt ait Pindarus) manifestum. Itaq; ergo maximè passo aliquid & dolo-

Dolor iræ principiũ.

& dolore affecto animo, ob eius imbecillitatem exsurgit ira non (quod quidam dixit) neruis animi similis, sed intentionibus & convulsionibus in vlciscendi cupiditatibus vehementiùs se efferentis. Vitiosa porrò exempla considerationem habebant non iucundam, sed necessariam duntaxat. Nunc eorum qui placidè & leniter se gesserunt aduersus irã, pulcerrimas voces, pulcerrima facta ad cõtemplandum proponam: spretis istis qui dicunt,

Virum læsisti, sunt toleranda isthæc viro. &:
Pedibus preme ceruicem, atq; allide solo,

aliáque id genus ad iritandum facientia, quibus vsi nonnulli iram è muliebri conclaui perperam in virile traduxerunt. Enimverò fortitudo aliis in rebus optimè cum iusticia congruens, de sola videtur mihi certare mansuetudine, eámque sibi vindicare. Etenim imperium in homines, etiam deterioribus in meliores obtigit. at in animo trophæum de ira statuere (cui pugnare difficile esse, Heraclitus dixit: quod quicquid concupiscit, id anima pro precio data emit) magnæ est victricisque potentiæ, quæ velusi neruis ac tendinibus motus animi rectis iudiciis dirigat. Quamobrem semper conor colligere & legere non philosophorum tantùm ista facta, quos recte sentientes felle carere dicunt: sed magis ea, quæ regum sunt & tyrannorum. Quale est illud Antigoni, qui militibus ipsi prope suum tabernaculum tanquam non audienti maledicentibus, exserto scipione, Papæ, inquit, nõ longiùs hinc digressi nobis obloquemini? Arcadio Achiuus Philippũ nunquã non insectabatur verbis, aliisq; solebat dicere, fuge hinc

Donec ad hos uenias qui non nouere Philippum.

hunc aliquando in Mecedonia conspectũ cùm amici non omittendum, sed supplicio afficiendum dicerent, Philippus humanè compellatum donis muneribúsq; hospitalibus affecit. iussit deinde inqui-

Exempla eorum qui irã cõtinuerũt. Allusum ad Odyss. λ, 121.

rere, quos de se ille apud Græcos spargeret sermones. omnibúsque testantibus mirabilem eum Philippi laudatorem factum: Ego itaq; inquit, melior vobis sum medicus. Idem cùm in festiuitate Olympica dictum in se esset aliquid, & essent, qui Græcos debere infortunium habere censerent, quòd à Philippo beneficiis acceptis malè ei dicerent: Quid ergo, ait, facient, si malè ipsis fecero? Præclarè etiam Pisistratus se erga Thrasybulũ, & Porsena aduersus Mucium gesit. Magas à Philemone publicè in theatro comica scurrilitate exagitatus his verbis erat:

A rege litteræ ueniunt tibi Maga.
Infortunate litteras nescis Maga.

hunc Philemonem Magas tempestate ad Parætoniũ iectum cùm cepisset, militi mandauit vt eius ceruicem nudo gladio tantùm attingeret, ac comiter discederet. misit deinde pilam ei ac talos vt puerulo mentis inopi, ac dimisit. Ptolemæus grammaticũ ob inscitiã subsannans, interrogabat quis Pelei fuisset pater. respondit ille, Tu prius dic, quis Lai fuerit pater. id dicterium obscuritatẽ generis regi exprobrabat, videbatúrq; indignãtibus omnibus non esse impunè ferendum. at Ptolemæus: Si nõ regium est, inquit, falsè in se dicta ferre, ne falsè dicta quidẽ in alium iácere, regium est. Alexander in Callisthenem & Clitum fuit sæuior. itaque & Porus captus, petiit vt ab ipso tractaretur regaliter: & interrogatus an præterea aliquid peteret, in regali tractatione omnia inesse respondit. Itaq; etiam deorũ regem Malichum, quasi mitem & blandum, Athenienses Mæmacten, puto vocãt. At supplicia exigendi vis nõ diuina, non cœlestis est, sed Furiis & geniis conuenit. Quo igitur modo de Philippo, cùm is Olinthũ excidisset, quidam dixit, At certè tantã is vrbẽ condere nõ posset: ita etiã iræ dicere liceat, Evertere potes, perdere, deiicere: at erigere, seruare, parcere, tolerare,

tolerare, mansuetudinis est, indulgentiæ, moderationis, & Camilli opus, Metelli, Aristidæ, Socratis. inhærere aũt & mordere, formicarum est & muscarum. Verùm enim verò re probè considerata, eam quæ ab ira dependet vlciscendi sui rationem inuenio plerunq; inefficacem, vt quæ ferè in morsum labiorum, frendendum dentibus, vanas incursiones, maledicta stultas habentia minas insumatur, ac deinde ridiculè ante quàm ad finem ad quem festinabat perueniatur, vltrò concidentem: sicvt pueris in cursu ob virium exilitatem vsu venit. Itaq; non ineptè Rodius ille ad lectorem prætoris Romani clamantem & ferocientem, Non curo, inquit, tu quid clames, sed iste quid taceat. & Sophocles Neoptolemum Eurypylúmq; armans, ait eos sine conuiciis sese iactasse. Ferrum quidem nonnulli barbarorum veneno inficiunt. at fortitudini bile nihil opus est, rationem pro tinctura habenti. furiosi autem impetus iræ, putridi sunt ac facilè retunduntur. Itaque Lacedæmonij tibiarum cantu pugnantium animos iracundia soluunt: & ante pugnam Musis sacrificãt, vt ratio sibi constet: hostésq; fusos non persequuntur, sed revocant animum, instar pugionis modici facilem receptu. Ira innumeros peremit antè quàm sese vlciscerentur. de quibus est etiam Cyrus, & Pelopidas Thebanus. Agathocles verò ab obsessis cõviciis impetitus, æquo animo tulit. & quodam dicẽte, Figule, vnde mercenariis persolues stipendia? respondit, Vbi hanc vrbem cepero. Antigonus quoq; de muro quibusdam ei deformitatem exprobrantibus, Atqui, inquit, videbar mihi faciè esse honesta. capta deinde vrbe, irrisores istos vendidit, protestatus si denuò conuiciarentur, apud dominos ipsorũ se acturum. Video autem & venatores & oratores per iram grauiter lapsos. Aristoteles ait Satyro amicos causam in iudicio dicturo, aures cera obthurasse, ne inimicorum iritatus maledictis ob animi fer-

Iram vltio ni et fortitu dini non cõ uenire.

uorem à proposito dilaberetur. Quid? nónne nobis ipsis sæpe evenit vt seruus delinquens non det pœnas? aufugiunt enim minarum & verborum ob metum. Quod ergo nutrices pueris dicunt, Si non plores, accipies: id non incommodè animo efferuescéti dicemus, Noli festinare, nó clama, non vrge, eo magis & rectiùs fiet quod volebas. Etenim puerum pater videns aliquid ferro conantẽ diuidere aut scindere, ipse ferro accepto id facit: & iræ vindictã aliquis adimens, ipse tutò & sine damno atq; vtiliter supplicium digno intulit, non sibi ipsi, vt ira sæpenumerò facit. Iam cùm omnes animi motus assuefactione desiderent, qua bruta & cõtumax animi facultas dometur, rationiq; subiiciatur: erga seruos nullus alius exercitationẽ requirit perinde atq; ira. Non. n. invidemus seruis, non metuimus eos, neq; cõtentionem de honore cũ iis suscipimus: iræ, & quidẽ cõtinẽtes oboriũtur, & multis delictis atq; offensis causam præbent, in potestate, tanquã lubrico loco, constitutis, ideóq; obstãte aut prohibẽte nemine facilè labentib. Nõ enim libertas nulli cognitioni aut pœnę subiecta abstineri à peccando potest, nisi quis magna eam muniat mansuetudine, multásq; possit perferre voces mulieris & amicorum molliciem & socordiam vitio dantiũ: quibus ego etiã vocibus maximè iritatus aduersum seruos fui, tanquam impuni tate deteriores futuros. Serò tamen hoc primùm perspexi, quòd præstaret eos indulgentia peiores fieri quàm sæuicia & furore aliorum corrigendorum causa meipsum perverti. Secundò hoc etiam videns, multos impunitate eò adduci, vt mali esse vereantur, & mutandorum morum initium veniam potiùs quàm pœnam iis præbuisse: aliisq; eos tacitè ad nutum promtiùs, quàm aliis verberantibus & flagellãtibus seruire: persuasi mihi, ad imperã dum plus conducere ratione ira. Non enim, vt poëta dixit, —vbi sit pudor, hunc pudor exstat:

Serui vt puniendi.

sed contrà verecundia affectus innascitur modestię magister metus. Tertiò identidem memoria revoluens atque cogitans, quòd neq; qui sagittas iácere nos docuit, prohibuit iácere, sed non aberrare: neq; punitionem impedit doctrina rectè id faciẽdi, & tempestiuè, vtiliter atq; conuenienter: eo maximè conor iram amoliri, quod defensione puniendos non priuo, sed audio. nam & tempus moram perturbationi animi iniicit, & cunctationem quæ motum mitiget: & iudicio invenitur ratio conueniens, modúsq; pœnæ iustus. ad hæc ei qui plectitur non datur præscriptio correctioni sese opponendi, quando non ob iram, sed convictus pœnas dat. &, quod turpius sit, non videbitur seruus iustiora quàm dominus dicere. Itaq; sicvt Phocio Athenienses audita Alexandri morte non sinebat præmaturè insurgere, neq; celeriter credere, sed aiebat: si hodie, Athenienses, mortuus est Alexander, etiam cras ac perendie erit mortuus. sic arbitror eum, qui ad capiendum supplicium properat iratus, debere sibi subiicere, si hodie iste meruit pœnam, etiam cras erit, & perendie in noxa: neq; in eo mali quicquã est, si seriùs luit flagitium, sed si celeriter punitus perpetuò videatur insons. quod quidem sæpenumerò accidit. Quis enim nostrûm ita sęuus est, vt cruciet aut flagellet seruũ, propterea quòd quinto antè aut decimo die adusit cibum, vel mensam evertit, vel tardiùs dicto fuit audiens. at ob hæc ipsa, statim atque fiunt & dum sunt recentia, turbamur, & implacabiles sæuiq; sumus. vt enim per nebulam corpora, sic per iram res videntur maiores. Itaq; oportere illicò similia in memoriam revocare, & vbi animus perturbatione vacat, tum si factum rationi puræ ac sinceræ videatur pœna dignum, in id animadvertere, neq; tum omittere vindictam: quo modo qui appetitu carent, cibum prætereunt. Nihil enim perinde in causa est quod ira correpti punimus, atque

hoc ipsum, quod ira finita non punimus, sed langue
mus. cùm quidē id nobis evenit, quod ignauis nau-
tis, qui tranquillo tempore in statione tenēt naues,
vento orto nauigant cum periculo. etenim nos ra-
tioni in puniendo languorem & molliciem tribuē
tes, festinamus ad pœnam ira tanquam subito ven-
to impellente. Qui esurit, is cibo secundum naturā
vtitur. qui punit, is nulla ad hoc debet impelli cupi
ditate, neq; ad eam rem ira velvti condimento in-
diget: sed quando longissimè ab ea abest, tunc ne-
cessariā rē ratione adhibita peragit. Narrat Aristo-
teles suo tempore seruos in Etrvria ad tibiæ cantū
solitos flagris cædi. Non profectò item voluptatis
perfruendæ gratia exsaturare animū sumendis sup-
pliciis debemus, eáque re gaudere, postmodò pœ-
nitentia duci. quorum illud belluinum, hoc muliē-
bre est. sed ita exercenda est punitio, vt absque vllo
dolore, absque vlla voluptate pœnæ exigenda, nul-
láque iræ ansa reliqua fiat. Atque hæc quidem for-
tassis non iræ videbitur sanatio. sed amolitio & cau
tio qua evitentur quę aliàs per iram peccantur. Sed
tamen lienis tumor febris est accidens, qui quidem
sedatus, etiam febrim facit leuiorem, vt ait Hiero-
nymus. Cæterùm ipsius iræ originem ego contem-
plans, animadverti alios aliis de causis in iram inci
dere, quibus tamen ferè omnibus opinio contemni
ac negligi se adfuit. Quare qui iram deprecantur,
iis hoc auxilio est, vt factum quàm longissimè à cō
temtu & ferocia avocantes, dementiæ, necessitati,
perturbationi, infortunióve alicui imputent. Tale
est illud apud Sophoclem:

Contemtus iram parit.

Antigona.

O rex, prior mens, uegeta quantumús siet,
Aduersis rebus haud manet, sed excidit.

Et Briseidis raptum Agamemno Atæ adscribens,
ait deinde:

Ilias. 7. 138

Te placare uolo: & tibi maxima munera ferre.

De-

Deprecari enim non est contemnentis: & qui iniu-
riam fecit, vbi humilem sese exhibet, opinionem fa-
stus diluit. Quanquam irascenti hæc non sunt ex-
spectanda. sed quod Diogenes dicentibus Hi te ri-
dent, respondit, Ego autem non rideor: id sibi sume
re, atq; existimare debet, non se contemni, sed po-
tius eum sibi contemnendum esse, à quo læsus est.
quippe cuius peccatum ab imbecillitate, errore, te-
meritate, incuria, illiberalitate, ætate vel provectio
re iam, vel admodum tenera fuerit profectum. Fa-
mulis autem & amicis hoc omnino largiendum est.
non enim vt impotentes aut ignaui, sed ob æquani-
mitatem nostram & benevolentiam vel vt benigni,
vel vt amantes spernimur. Nunc verò non modò ad
versus vxorem, seruos, amicos, tanquam despecti ab
ijs, exasperamur: sed & cum cauponibus, & nautis,
& agasonibus ebriis sæpe per iram nos committi-
mus, contemni putantes: & canibus latrantibus, aut
asinis occurrentibus indignamur. vt ille, qui cùm
agasonem vellet ferire, & is exclamasset Athenien-
sem se esse, ad asinum conversus, ac fatus, Tu verò
Athenienſis non es, multis verberibus bestiam ob-
ruit. Equidem continentes, & crebras, ac paulatim
apud animum collectas iras, præcipuè sui amor &
morositas cum luxu molliciéq; iuncta nobis velvti
apum aut vesparum examen ingenerat. Itaq; ad mā-
suetudinem & erga vxorem & amicos non est quic
quam plus emolumenti adferens, quàm facilitas &
simplicitas: si discamus præsentibus esse contenti,
neque multa & ociosa requiramus. qualis ille apud
Poëtam:

Luxuriosi iracundi.

Est laude dignus hic. quia nec assis nimis,
Neq; gaudet elixis: sus dēq; fert, cibus
Quo condiatur pacto.——

Qui autem nisi niue præsente non bibit, neq; pānē
in foro emtum edit, neq; obsonium gustat vili aut

figlina allatum in patina, neq; nisi turgenti instar maris è profundo exagitati lecto indormit, qui baculis & verberib. famulos ad mensam ministrantes vrget cum clamore cursu & sudore vt accelerēt, per inde ac si irēt inflāmato vlceri cataplasmata allatū: hic imbecillæ & morosæ atq; ad culpanda quævis inseruiens victus rationi, non sentit se tanquā tusi continente aut crebris offensis, affectionem quandam vlceribus & destillationibus obnoxiā, quibus iracundia augeatur, parare. Proinde corpus frugalitate ad facilitatem est adsuefaciendum, vt contentum quovis victu esse possit. Nam qui pauca requirunt, non multis excidunt. Neq; ita ardua res est, facto ab alimentis initio, tacitè iis quæ oblata sunt vti: non stomachando & quiritādo sibi amicisq; obsonium longè invisissimum inferre iram. nam

Facilitatis & frugalitatis laus.

Dicere quid cœna posses ingratius ista,

vbi quia advstū sit aliquid, aut fumū oleat, aut sal desit, aut frigidior sit panis, serui cædūtur, & vxori fit cōviciū? Arcesilaus cùm peregrinos quosdam, cúmque his amicos conviuio accepisset, cibo apposito panes deerant, quòd eos emere pueri neglexissent. quis hic nostrûm parietes vociferādo non rupisset. at ille subridens: qualis, inquit, res est, sapiētem esse conviuiis aptum? Socrates à palęstra secum duxerat ad cœnam Euthydemum. ibi cùm Xanthippe irata accurrisset, ac factis conviciis, mensam ad extremū subvertisset: surgens Euthydemus magno concepto dolore abitum parabat. tum Socrates: nónne, inquit, nuper apud te gallina quædam involans idem hoc fecit, nihil me indignante? Amici enim cum facilitate quadam, risu, & blanditiis sunt excipiendi, non superciliis contractis, aut horrore ac tremore famulis incusso. Condocefaciamus etiam nos, vt vasis facilè quibusvis, non vno aliquo præ reliquis vtamur. sicvt nonnulli multis ad manum propositis, vnum deligentes cantharum, vt Marius, aut certæ

certæ formæ poculum, ex alio nolunt bibere. similiter etiam de trullis olearijs sentiētes, & strigilibus, de omnibus vnam deligunt: ac cōfractum aut amissum vbi tale aliquid est, grauiter ferunt & plectunt. Procliui ergo ad iram cauendum etiam est à rebus raris & curiosè elaboratis, qualia sunt pocula, sigilla, & precioſi lapides. hæc enim perdita, magis furorem cient quàm partu facilia & quotidiana. Neronem, cum is octangulam scenam, ob sumtus magnitudinem pulcritudinémq; spectaculum admirabile, confici curasset, Seneca reprehendit dicens: nunc te pauperem esse demonstrauisti: hac enim scena amissa, similem aliam nullam adipiscēris. & quidem contigit, vt ea scena naui submersa periret. & Senecæ verborum recordatus Nero casum eum animo æquiore tulit. Facilitas porrò quam rebus adhibemus, etiam erga seruos mansuetum facilémq; reddit: ac proinde absq; dubio etiam adversus amicos & subditos. Videmus etiam seruos nuper emtos, nō quærere an superstitioſum vel invidum, sed an iracundum nacti sint dominum. deniq; cernimus vbi iræ locus est, ibi neq; pudiciciam mulierum viris, neque mulieribus maritorum amorem, neq; consuetudinem amicorum, neq; coniugium, neq; societatem esse tolerabilem. Atqui absq; ira sit, etiam ebrietas molesta non est. ferula enim dei istius sufficit ad puniendum ebrium, nisi vbi ira accedente pro Lyæo & Choreo, id est animum laxante & choreas suadente, Crudelem & Furioſum Bacchum facimus. tum insaniam ipsa pro se sanat Anticyra: iræ coniuncta, tragœdias & fabulas exhibet. Proinde iræ neq; inter iocos dandus est locus: amiciciam enim in odiū mutat. neq; in disputatione: nam studium cognoscēdi in libidinem contendendi vertit. neq; in iudicio: potestati enim insolentiā addit. neq; in institutione liberali: animo enim mœsticiam ingerit. odiúmq; disciplinæ gignit. neq; in rebus secūdis, quia invidiā

Ira vbique damnosa.

auget. neq; adversis: nam misericordia se priuant, qui miserantibus infensi sunt & cum iis litigant, vt Priamus:

Iliad. ω, 239

Ite malam hinc in rem probrosa & pessima turba:
Nilne domi uestræ quod deploretis habetis,
Quod nostro uultis solatia promere luctu?

Facilitas contrà quibusdam rebus opitulatur, alias ornat, quibusdam suauitatem conciliat: & mansuetudine iram morositatémq; omnem abolet. Sic Euclides fratri dicenti in quodam iurgio, Peream, nisi te vlciscar, respondens, Ego verò peream, nisi te in meam traduxero sententiam, confestim pudorem homini incussit, & mutauit. Polemo maledictis incessitus à quodam homine lapidum precioſorum studioso, & qui vitio conquirendi sigilla magno emta laboraret, nihil respondit, sed sigillorum vni animum advertit, idq; perspexit. quo facto delectatus ille, Non sic, inquit Polemo, sed expositum luci contemplare: longè enim pulcrius tibi videbitur. Aristippus, ira adversus Aeschinem aliquando oborta, interrogatus à quodam, Vbi nunc vestra illa Aristippe amicitia? dormire eam respondit, sed se in eo esse, vt eam resuscitet. & Aeschinem conveniens, Itane, inquit, prorsum ego tibi infelix & insanabilis videor, vt me castigatione indignum putes? Tum Aeschines, Nihil, ait, miri est, si in aliis rebus omnibus me ingeniosior, etiam hîc prior sensisti quid facto opus esset.

Non tantùm enim mulier caprum horrentem iuba,
Tenera puellus sed quoq; pruriens manu
Quouis palæsta faciliùs prostrauerit.

At enim nos qui feras cicuramus, & luporum demulcemus, ac leonum catulos in vlnis circumgestamus: ijdem iræ concedentes, liberis, amicis, familiaribúsq; eiectis, seruis nostris ciuibúsq; excandescentiam animi nostri quasi feram immittimus. non pro fectò

fectò odij malorum nomine hoc vitium, vt molliori, probè velantes: sed quia (nisi fallor) reliquis animi perturbationibus atq; vitiis huic prudentiæ, alij liberalitatis, alteri pietatis nomen affingêtes, aliud in isto numero invenire non possumus. Et tamen, sicvt Zeno dicebat semen esse mixturam atq; temperaturam ab omnibus avulsam animę facultatibus; sic omnium animi perturbationum semina videtur in iram confluxisse. nam & doloris particulam sibi sumsit, & voluptatis, & insolentiæ. habet hoc ab invidentia, quòd aliorum è malis gaudium percipit: deterior est homicidij affectatione. nõ enim in hoc elaborat, vt nihil patiatur ipse, sed cupit malè sibi esse, dummodò alterum perdat: deniq; concupiscentiæ id quod est minimè iucundum, in se habet ira. si quidem dicenda est appetitio, quando alteri quis vult ægrè facere. Hinc adeò fit, vt cùm ad intemperantia diffluentium domos accedimus, tibicinam audiamus matutinam, & argillã (vt quidam aiebat) terra vino rigata factam, & divulsorum fragmenta sertorum, & famulos in foribus ebrios: indicia autẽ amarulentorum & morosorum hominum possis conspicere in faciebus seruorum, stigmatis, compedibus:

Semperq; solus iracundi in ædibus
Auditur eiulatus cantor:——

dum intus dispensator flagellatur, torquentur ancillæ: ita quidem, vt qui istha̯c tam tristia ab animi excandescentia profecta vident, etiam inter voluptates miseratione tangantur. Tamen quibus áccidit vt malorum odio vero aliquoties ab ira vincantur, ij nimiam vehementiam simul, & persuasionem de fide eorum quibus cum degunt nimiam debent deponere: non est enim alia causa, quę vehementiùs animum inflãmet, quàm cùm pro probo aliquis habitus, prauus esse deprehenditur, aut cum eo iurgium vel discordia incidit, qui amare videbatur.

Ira mixtũ ex omnibus malis affectionibus animi aliquid.

Meum quidem nosti ingenium, quantis momentis scilicet id impellatur ad complectendos benevolentia homines, iisq; adhibendam fidem. ac mihi id vsu venit, quod descendentibus per inane. quanto magis innitor alicui, eum amando, tanto magis fallor, & deceptum me esse indignor. Et nimiam quidē ad amandum propensionem abiicere, iam nunc mihi non est amplius integrum. Nimiæ credulitati fortasse hoc iniciam frænum, quo sibi Plato cauit. *Credulitatis remediū.*

* qui neq; Heliconem mathematicum abs se laudatum dicebat, vt natura mutabile animal: & metuere se ne qui in ciuitate essent bene educati, vtpote homines & semen hominum, alicvbi naturæ imbecillitatem demonstrarent. Sophocles autem nimis videtur nobis insultare, nosque premere, hæc dicens:

Mortalium res perserutans, intelliges
Plerasq; turpes. —

Et tamen morosum hoc atq; conquerendi de omnibus nimio studio editum iudicium, facit vt leuius irascamur. Subita enim & improvisa facilè de statu rationis deiiciunt. Oportet autem, vt Panætius alicvbi docuit, Anaxagoram imitari. vtq; is narrata filij morte respondit, Sciebam me genuisse mortalem: ita iritantibus identidē nos delictis hoc accinere, Sciebam me cùm emerem seruum, non emisse sapientem: Sciebam me parasse amicum, cuius animus motibus esset obnoxius: Sciebam mulierem mihi esse, cum acciperem mulierem. Quod si quis Platonicum istud, Númnam & ego talis sum, subinde insusurrans intrò rationē avertat, ac aliorum reprehensionibus de cauēdo peccato cautionem sibi inserat: næ is non magno vitiorum in aliis odio indulserit, seipsum venia plurima indigere sentiēs. Nunc quivis nostrùm iratus & puniens Aristidis & Catonis voces ingerit, Noli furari, mentiri, socors esse: &

se: & quod est omnium turpissimum, iratos irati ipsi obiurgamus, & quæ per iram sunt peccata, in ea per iram vindicamus. non sicvt medici, qui

Amaram amaro bilem pharmaco eluunt:

sed perturbationem animi augentes ac vehementiorem reddentes. Ac quando in has perventum à me est sententias; simul etiam de curiositate aliquid deminuere conabor. Accuratè consectari & scrutari inquirendo omnia, atq; in medium protrahere omnia serui negocia, omnes amici actiones, omnia filij studia, omnes vxoris susurros: ea verò res iras gignit multas atq; continuas & quotidianas, quarum summa eò redit, vt morosi intractabilésque reddamur. Euripidis est, deum res magnas curare, exiguas fortunæ dimissas sinere. Ego hominem cordatum non censeo quicquam fortunæ mandare aut negligere debere: sed tamen quædam operę vxoris, alia amicorum, nonnulla seruorum committere. ita vt his vtens procuratoribus, ratiocinatoribus, atque dispensatoribus, ipse principis instar rationis vsu maxima & præcipua quæque conficiat. Sicvt enim exiles litteræ visum, ita leuiusculæ res animum magis intendentes offendunt atq; turbant, malámque consuetudinem ingenerant etiam de maioribus procliuius irascendi. Præter hæc omnia, magnum & diuinum mihi illud Empedoclis visum est, *Curiositas iræ præbet materiam.*

——Esse uelis abstemius improbitatis.

quin & ista pacta siue vota, vt non inelegantia, neq; aliena à philosopho probaui, cùm per annum pollicebantur se velle re Venerea & vino abstinere, deúmq; continentia sua venerari. itémq; per certum tempus mendacio vacare, vt animadvertere possent, quomodo & in iocis, & in seriis omnibus veritatem tenerent. His ego animis meam compatās, pietate illis nihilo inferiorem, sacros quosdam initio dies, quibus ira vacarem, paucos institui, *Votæ*

tanquam vini & ebrietatis vacuas, ac si Nephalia (id est sobria) sacra, & libationes mellis agerem. deinde mensam, mox duos eandem tenui rationem. atque hoc pacto me ipsum expertus, successu temporis magnos feci ad patientiam progressus, temperanter meipsum attendens atque custodiens cum boni ominis comprecationibus, immunem iræ, & purum omnis praui sermonis, absurdæq; actionis, ac perturbationis, quæ propter voluptatem exiguâ atque ingratam, turbas magnas, turpissimámque adferret pœnitentiam. Atque hinc, nisi fallor, deo etiam nõ nihil adiuuante, comprobauit experientia iudicium hoc, Placidos, mansuetos, atq; humanos mores, nemini eorum quibus cum viuitur ita gratos, iucundósque esse, vt ei ipsi, qui iis est præditus.

PLVTARCHI,

De curiositate commentariolus.

DOMVM, quæ non perfletur, aut tenebricosa sit, vel hyemi tempestatibúsque obnoxiam, deserere fortasis optimum est. si quis tamen ob consuetudinem loco eo delectetur, potest ea fenestris trãspositis, scalis mutatis, ac ianuis aliquibus apertis, aliis clausis, splendidior, perspicabilior, ac salubrior redigi. quo genere mutationis quidam vrbibus magnam vtilitatem conciliauerunt. sicvt meam patriam ad Fauonium ventum inclinatam, Solísque radios sub vesperam Parnaso incumbentis excipientem, versus ortum conversam

Mutationes ædificiorũ.

sam à Chærone ferunt. Empedocles verò physicus quodam montis hiatu, vnde grauis & insalubris in planiciem exhalabat auster, obthurato, creditus est pestem ea regione exclusisse. Quando igitur sunt affectiones quædam morbosæ ac damnosæ, & quæ tempestatem tenebráſque animo inferant, optimum quidem fuerit eas expellere & solo prosternere, animóque hac ratione serenitatem, lucem, purúmque spiritum parare. at si fieri hoc nequit, saltem circumagendo & vertendo ita mutandæ sunt, vt commodiores nobis aptioréſque fiant. Talis est, quæ se nobis offert, curiositas, cupiditas quædam cognoscendi aliorum mala, morbus neque invidiæ, vt apparet, neque malignitatis vacuus.

Aliena quorsum acutè peruides mala,
In propriis cæcus hominum inuidissimè?

transfer extrinsecus, & introrsum converte curiositatem, si quidem delectaris malorum tractanda historia, domi tibi copiosa est materia.

Quantum ad Alizona aquæ est, folia aut quot germinat ilex:

tantam multitudinem invenies peccatorum in vita, & perturbationum in animo, & delictorum in officio. Xenophon ait iis qui familiam probè administrant, suum esse reponendis sacrificiorum vasis, suum cœnæ, suum rusticorum, suum bellicorum instrumentorum locum. tu quoque itidem habes reposita mala quæ ab invidia, quæ ab obtrectatione, quæ à timiditate, quæ à sordibus illiberalitatis proficiscantur. hæc recense, hæc ordine considera. fenestras quibus in vicinam prospicis, & diverticula curiositatis occlude: alia aperi quæ in cõclaue tuum, quæ in gynæceum, quæ in familiæ ducant cellas. ibi negocium inveniet non invtile, non malignum, sed conducibile & salutare cupiditas

ista scisciţandi & agendi, quovis se ita compellante,

Quâ prætergressus, quid feci, quidûe reliqui
Insectum, facto quod opus fuit?—

Nunc, quemadmodum in fabulis est Lamiam domi dormire cæcam, oculis in quodam vasculo repositis, foràs autem egressam inserere oculos & videre: ita quisque nostrum foris & adversum alios malignitati curiositatem quasi oculos aptat, in sua ipsius peccata & mala impingens sæpenumerò ob ignorationem, visum iis & lumen non adhibẽs. Quo fit vt inimicis quàm sibi vtilior sit homo curiosus. eorum enim res arguit & in lucem protrahit, ostenditque ipsis quid cauere, quid corrigere debeant: suas autem maiori ex parte præterit & non videt, attonitus studio aliena noscendi. Equidem Vlisses ne cum matre quidem colloqui sustinuit antè, quàm è vate audiuisset ea, quorum gratia ad inferos venerat. his cognitis, & ad matrem se convertit, & in reliquas mulieres inquisiuit, quæ Tyro esset, quæ formosa Chloris, & cur mortua fuerit Epicasta

Odyss. λ. 277 *Sublimis funem tecti de culmine nectens.*

Sed nos cum nostrarum rerum socordia, ignoratione, & neglectu summo, in aliorum natales inquirimus. scilicet vicini nostri auum fuisse Syrum, auiam Thressam. illum tria debere talenta, neque persoluisse vsuras. quin & talia indagamus, vnde vxor huius redeat, quid iste & iste in angulo inter se sint locuti. At Socrates circumibat perscrutans, quibus dictis Pythagoras fidem sibi parasset. & Aristippus in Ischomachum ludis Olympicis incidens, quæsiuit quibúsnam disputationibus Socrates ita animos adolescentum afficeret: acceptísque exiguis sermonum eius seminibus atque documentis, ita vehementem sensit animi ardorem, vt & corpus marcesceret, & planè pallidus gracilísq; redderetur. donec

nec sitibundus & flagrans Athenas nauigauit, ac ipso de fonte hausit, Socratémque & doctrinam eius atq; philosophiam cognouit: cuius philosophiæ finis est, perspicere sua mala, iisq; liberari. Verùm qui dam suam ipsorum vitam, tanquam iniucundissimũ spectaculum, inspicere, ac rationem velvti lumen in sese reflectere non sustinent: quippe ánima omnigenàm vitiorum plena horrens & metuens ea quæ intus sunt exsilit foras, & vagatur circum aliena, pascens & saginans suam vitiositatem. Sicvt enim gallina proposito sæpe alimento in angulum aliquem sese subducit, vbi vel in sterquilinio vnicum appareat hordei granum: ità curiosi in medio sitos sermones & historias, & de quibus nemo prohibet aut indignatur quæri prætereũtes, occultata & latẽtia cuiusq; familiæ mala colligunt. Et quidem scitum est illud Aegyptij, qui interrogatus quídnam id esset, quod velatum gerebat. ideo, inquit, velatum est, vt ignoretur. Tu quoq; dicerem curioso, quid inquiris in rem abscónditam? non celaretur, si non esset malum. Nisi pulsato priùs ostio ingredi in alienam domum non est moris: & nunc eius rei gratia ianitores habentur. antiquitus mallei ianuis appensi signum dabant. ne scilicet alienus matrem familiâs in medio offenderet, aut virginem, aut seruum vapulantem, aut vociferantes ancillas. Curiosus in hæc ipsa se insinuat, familiæ quidẽ bene constitutę haud libenter, etiam si rogaretur, futurus spectator: quorum verò causa clauis, vectis, & fores inventæ sunt, ea detegens aliísq; enuncians. Ventorum, aiebat Aristo, molestissimi sunt ij, qui amictum nobis retegunt. Curiosus non vestes proximorum, non tunicas, sed ipsos parietes detrahit, fores pandit, atque adeò venti instar etiam teneram virginem pervadit, bacchationes, choreas, & per noctem ductas hilaritates examinans atque calumnians. & quemadmodum in comœdia exagitati Cleonis,

Philosophiæ finis.

Aristoph. *Manus in Actolis, animus in Clopidis*

erant: ita curiosi animus simul & in diuitum ædibus est, & casis pauperũ, in aulis regum, in cubilibus recens nuptijs iunctorum, omnes res indagat, peregrinorum, principum: has quidem non sine periculo. Nam sicvt aconitum aliquis gustans qualitatẽ eius scrutãdi causa priùs perit quàm saporem sentiat: ita qui maiorum mala rimantur, sæpe priùs seipsos pessundant, quàm cognouerint quod quærebant. nam & hos qui præterito copiosissimo hoc Solis, & omnibus circumfuso splendore radiorũ, ipsum eius orbem liberè intueri, introq; penetrare suo visu conãtur, luminib. capi videmus. Ideo præclarè Philippides comicus poeta, cùm ei Lysimachus rex quodam tempore dixisset, Quãnam mearũ rerum te impertiam? respõdit, Modò ne arcano vllo. Quæ enim suauissima & pulcerrima habẽt reges, ea cõspectui sunt exposita, cœnæ, opes, festiuitates solennes, beneficia. si verò arcani quid est, caue accesseris aut moueris. non occultãtur gaudiũ regis fortuna vtentis secunda, non risus iocantis, nõ beneficij apparatus. terribile est quod celatur, tetricum, risu & accessu periculosum: iræ puta alicuius latentis reseruatio, aut supplicij atrocis meditatio, aut riualitas aduersus vxorẽ, aut sinistra de filio suspicio, aut de amico diffidentia. fuge atram illam, & se condensantem nubem: non latebit te id quod nunc occultatur, vbi cum tonitru & fulgure eruperit. Quomodo ergo fugiam, inquis? curiositatem auellendo, & auertendo, vt dixi: maximè animo ad meliora & iucundiora traducto. Considera quæ in cœlo, terra, mari, aere sunt. Aut enim magnarum, aut paruarum rerum contemplatione duceris. Si magnarum, de Sole inquire, quæ eius ortuum & obituum sit ratio. examina Lunæ tanquam hominis mutationes, quò tantum luminis insumserit, atque vnde id recuperet:

Arcana principum indagare periculosum.

Curiositas rerũ cognitione saturanda.

Pri-

Primum recens cur ex obscuro prodeat,
Fulgore pleno faciem collustrans suam:
Rursumq;, postquam uisa fuit pulcerrima,
Spoliata sensim luce in nihilum diffluat.

Sunt quidem hæc naturæ arcana: sed ei molesta est eorum indagatio. At magnarum rerum de cognitione desperasti? minora scrutare. cur stirpium aliæ semper floreant, vireant, vigeant, suásq; opes omni tempore ostentent: alię nunc his similes, paulo pòst, velvti rei familiaris administrandæ ignarus homo, profusis confertim suis copiis, nudæ atque inopes relinquantur. cur aliæ oblongos, aliæ angulos habentes, aliæ teretes & rotundos edant fructus. Sed fortasse hæc tu noles perquirere, quia nihil iis est mali. Proinde si omnino curiositas in malis, tanquã serpens in lethali materia versari, iisq; pasci debet, eam in historias traducamus, malorúmq; copiã immensam fruendam præbeamus. In historiis enim inueniuntur casus & subitæ mortes virorũ, mulierum corruptelæ, insidiæ seruorum, calumnię amicorum, veneni apparatus, inuidiæ, obtrectationes, familiarum naufragia, principum de suo statu deturbatio. Implere his, & oblecta teipsum, nulli molestiam, nulli dolorem tuorum exhibens. Sed apparet curiosita tem non gaudere obsoletis, verùm recentibus malis: & nouas tragœdias cum voluptate spectare, comicis & lætis actionibus nõ admodum libenter interesse. itaque ergo nuptias aliquo, aut sacrificium, aut solennem pompam narrante, socors est negligénsq; auditor homo curiosus, & pleraq; se iam antè audiuisse ait, iubétq; ista præteriri, & orationem contrahi. si verò quis assidens vitium virgini oblatum, matronæ adulterium, litis intentationẽ, discordiam fratrum referat: non iam dormitat aut aliis occupatus est rebus,

Curiosi quibus malis delectẽtur.

Verùm aures præbet tum, uerbáq; plura requirit.

& profectò dictum illud, Heu, quod mala magis quàm res prosperę ad aures mortalium feruntur, ve risimè in curiosos competit. Sicvt enim cucurbitulæ pessimum è carne humorem educunt, sic aures curiosorum pessimos sermones ad se trahũt. Immò, sicvt quibusdam in vrbibus sunt portæ quędam nefastæ & tristes, per quas educuntur qui à carnifice necandi sunt, & sordes atq; piacula, nihil autem castum & sacrum per eas intrat vel exit: sic etiam curiosorum aures bonum nihil aut elegans, sed tãtùm de cædibus sermones, ac piaculares & impuræ narrationes personant atque atterunt:

Semperq; solus curiosi in ædibus
Auditur eiulatus.—

hæc est vnica id genus hominum Syren, hæc Musa, hæc illi omnium auditionum est suauissima. Quippe curiositas, studiũ est audendi quæ occultata sunt & latent, at bonum nemo nactus celat. atque adeò etiam quæ nõ habent bona, solent sibi affingere homines. Ergo malorum cognitionem curiosus affectans, eo tenetur morbo, quòd gaudium ex aliorum adversis rebus captat. quod vitium est invidentiæ germanum. invidentia enim est dolor cõceptus ob res alterius prosperas. gaudium seu voluptatẽ qua afficimur ob aliena mala, epichærecaciam vno verbo Græci dicunt. vtrunque horum nascitur è malignitate, sæuo & belluino animi affectu. Ita verò molesta vnicuiuis suorum malorum est patefactio, vt multi inventi sint qui mori maluerunt, quàm secretos morbos suos medicis ostendere. ac mihi finge Herophilum vel Erasistratum, vel ipsum (dum homo fuit) Aesculapium medicamentis & instrumentis suis præditum domos singulatim obire, & scitari, An aliquis fistulam habeat iuxta podicẽ, aut mulier cancrum in vtero: quanquam salutaris esset hęc artis curiositas, tamen quivis (puto) medicũ talem repel-

Malorũ patefactio nostrorum nobis molestissima.

repelleret, quòd is nõ exspectato dum ipsius imploraretur opera, vltrò ad inquisitionem alienorũ malorum se contulisset. Curiosi verò hæc ipsa, hisque adhuc peiora quærunt: neq; hoc medendi, sed tantùm patefaciendi causa. Iure itaque invisi & exosi sunt. Nam & publicanis succensemus & ægrè ferimus, non quãdo merces apertas inspectant, sed cùm abscondita vestigantes in alienis vasis atque sarcinis versantur. & tamen illis hoc lex concedit, & nisi faciant, damnum accipiũt. Curiosus autem sua perdens atque dimittens, circa aliena occupatur. Id genus homines rarò rus abeunt, quòd trãquillitatem & silentium solitudinis ferre non possunt. Quod si eò interdum accedunt, magis tum vicinorũ quàm suas inspiciunt vites, & interrogant quot boues vicino mors abstulerit, aut quantum vini acorem contraxerit. atque his mox impleti, cursu se proripiunt. Etenim verus rusticus, ne casu quidem allatum ex vrbe rumorem lubens inaudit, sed in hanc loquitur sententiam:

Rus curiosis invisum.

Nunc ille mî rastris exercenti solum
Fuerit quibus pax facta conditionibus
Narrabit. hæc enim sceleſtus obambulans
Nunc curiosè quærit ille. —

Sed curiosi rus, vt rem obsoletam, frigidam & tragœdiis carentem fugientes, in tribunal, forum, potúsq; se intrudunt, quærentes Nouine aliquid? Atqui manè fueras in foro: aut putas trium horarũ spacio vrbis statum esse immutatum? At enim si in aliquem incidit qui habet quod narret, huic ab equo delapsus dextram iniicit, amplexúsque hominem & exosculatus, audit. Si verò occurrens aliquis dicat nihil esse noui, indignabundo similis, Quid ais, inquit? non fuisti in foro? non prætergressus es curiã? nõ compellasti eos qui ex Italia venere? Egregiè Lo çrorum principes, qui peregrè venientem, & quæ-

rentem ecquid noui, multauerunt. Nam sicvt coqui pecudum, piscatores piscium vberem proventum, ita curiosi multorum malorum exoptant exortum, multorúmque negociorum, & res nouas ac mutationes: vt semper venari aliquid & mactare possit. Rectè etiam Charondas, qui vetuit ne quis ciuium in comœdia traduceretur, præter adulteros & curiosos. videtur enim adulterium curiosa in alterius voluptatem esse inquisitio, eorúmq; indagatio quæ absconduntur & plerosque latent. & curiositas corruptela est ac denudatio arcanorum. Iam necesse est, vt multarum rerum cognitioni loquacitas comitetur. itaque Pythagoras etiam adolescentibus silentium quinquennium durans iniunxit, echemythian à sermone cohibendo dictum. Curiositatem autem non potest non subsequi maledicentia. quæ enim libenter audiunt, libenter etiam loquũtur: & quæ ab aliis studiosè colligunt, apud alios cum gaudio efferunt. Quo fit, vt cum aliis malis hic morbus etiam cupiditati ipsorum sit impedimento. Omnes enim à curioso sibi cauent, & sua eum celant, & neque agunt libenter curioso inspectante, neque loquuntur audiente: sed & cõsultationes in aliud tempus reiiciunt, & deliberationes, donec is homo sese amoueat. quod si arcano alicui proposito, aut rei seriæ tractationi superueniat curiosus, velvti cibum accurrente fele tollunt è medio & occultant id de quo agebatur. vt plerunq; ea quæ aliis dicenda spectandáque committuntur, solis curiosis neque videre neque dicere cõtingat. Eadem de causa etiam omnis fides curioso derogatur. nam seruis & peregrinis faciliùs credimus epistolas atque litteras & sigilla, quàm amicis & familiaribus curiosis. At Bellerophontes illi litteras, quas in seipsum scriptas ferebat, non aperuit: sed sua vsus continentia, tam litteris quàm vxore regis abstinuit. Incontinẽtię enim est curiositas, vt & adulterium: accedente ad incon

Curiosi sunt garruli.

Iliad. ζ.

tinentiam atroci stultitia atque insania. Tot enim præteritis communibus & publicatis mulieribus impetu ferri ad incluſam vnam atque sumtuosam, sæpenumero etiam deformem, extremæ est dementiæ. Atqui eadem est ratio curiosorũ. Omissis namque pulcris multis spectaculis, auditionibus, scholis, disputationibus, aliorum litteras resignant, aures parietibus vicinorum applicant, & cum seruis eorum atque mulierculis susurros miscent. plerunque id non sine periculo, semper cum turpitudine. Proinde vt quàm fieri potest maximè à vitio suo abducantur curiosi, vtile erit ipsis, si præterita in memoriam sibi revocent. Nam quo pacto Simonides dicebat se duas suas cistas temporis certi decursu aperientem, invenire eam quæ præmiorũ est semper plenam, quæ beneficiorum, semper vacuam reperire: ita si quis interposito tẽporis spacio penum suę curiositatis inspiceret, inveniens eam multis invtilibus, vanis, atq; iniucundis plenam rebus: nimirum ipsa re offensum iri arbitror, quæ se ita planè molestam futilémq; declararet. Nónne enim si quis veterum scripta evoluens, pessima quæque ex iis excerperet, librúmque conderet, in quo capite carentes Homeri versus, tragicos solœciſmos, & Archilochi in mulieres indecenter ac sœdè dicta, quibus is sese ostentui præbuit, complecteretur: is dignus videretur tragica ista imprecatione,

Pereas hominum calamitates malè colligens?

ac exsecratione etiam demta turpis & invtilis esset iste alienorum peccatorum thesaurus: similísq; eius vrbis, quam Philippus pessimis & contumaciſsimis à se frequentatam hominibus, Poneropolin, id est vrbem malorum, nominauit. At verò curiosi nõ carminum, non poëmatum, sed vitarum lapsus, mendas, & solœciſmos colligentes, archiuum à Musis & Gratiis alieniſsimum, memoriam suã circumferunt. Sunt Romæ, qui picturis, statuis, pulcritudine adeò

Curiositatis remedium.

puerorum vænalium & mulierum ſpreta, in foro monſtrorum obverſantur, & quærunt ſi qui ſint vitioſis tibiis aut cubitis, tribus oculis, aut ſtruthionis capite præditi, denique an ſit aliquod natum è

Mixtis naturis monſtrum abominabile.

quos tamen ſi frequenter ad hæc adducerentur ſpectacula, mox ſatietas & nauſea invaderet. Eodē modo qui vitæ infortunia, turpitudinéſq; gentium & corruptelas ac peccata alienarum familiarū curioſè colligunt, recordentur primo loco obſeruatorum, ſentiantque nihil ea ſibi gratiæ, nihil vtilitatis attuliſſe. Maximum ad huius vitij propulſationem momentum adfert adſuefactio, ſi eminus orſi condocefaciamus nos & paremus ad hanc continentiam. quando conſuetudine etiam id morbi augetur, ac ſenſim vlteriùs progreditur. Modum huius adſuefactionis exponere placet. Ergo initium faciamus à viliſsimis & minimis rebus. Quid enim mali eſt, in via non legere inſcriptiones monumentorū, aut in ambulationibus litteras parietibus inſcriptas viſu prętercurrere? ſi nobiſcū cogitemus nihil hinc ad nos commodi oblectationiſq; rediturum, ſed certos homines certorum hominum memoriam honorificam feciſſe, ac ſcripſiſſe, Amicorum iſte fuit optimus, ac quæ multæ aliæ iſtius generis ſunt nugæ. quæ lectæ nihil videntur afferre damni, nocent tamen occultè, dum curam quærendi nihil ad nos pertinentia ingenerant. Et quemadmodum venatores non ſinunt canes evagari aut quemvis odorem ſectari, verùm loris capita eorum ſurſum trahunt atque cohibent eos, ſenſúmque ipſorum purum ſincerúmq; ad rem ſibi deſtinatā ſeruant, nimirum vt veſtigiis poſſint eo acriùs inhærere, quando

Adſuefactio adverſus curioſitatem.

Naribus indagant miſerarum luſtra ferarum.

ſic oportet curioſi ad quævis ſpectacula & quaſvis auditiones vagabundam excurſionem inhibere, & ad vtilia cautè retrahere. Sicvt enim aquilæ & leones inter ambulandum vngues intrò auertunt, ne eorum aciem atterant: ita curioſitatis acumē, quod habere videtur in ſtudio cognoſcendi, non debemus in viliſsimis rebus retundere & hebetare. Secundum eſt proinde, vt adſueſcamus ianuam prætereuntes alienam non intrò adſpicere, neq; ob curioſitatem oculis, tanquam manu, quæ intus ſunt apręhendere. habeamúſq; potiùs in promtu illud Xenocratis dictum, Nihil intereſſe, pedéſne quiſquam an oculos in aliena domo ponat. Nam neque iuſta, neque honeſta, neque ſuauis adeò eſt iſta inſpectio:

Sunt intus, hoſpes, ſanè uiſu turpia.

cernuntur quippe plerunque vaſa iacentia, ancillæ ſedentes, nihil ſerium aut adſpectu iucundum. verùm obtutus iſte & eiaculatio oculorū animum ſimul convertens, turpis eſt, moríſque praui. Diogenes cùm videret Dioxippum Olympico certamine victorem curru invehentem, à muliercula formoſa, quæ pompam ſpectabat, oculos non poſſe avellere, ſed reiecto retrò vultu eam intueri, Videte, inquit, athletam, cui puella ceruicem intorquet. At curioſorum videas collum quovis ſpectaculo circumagi, quando ob ſtudium & conſuetudinem vſquequaq; eorum ſe oculi obvertunt. Debet autem, puto, ſenſus non inſtar petulantis ancillæ foras evagari, ſed cùm à mente emittitur ad res, celeriter eas percipere & renunciare, deinde rurſum modeſtè intus cum ratione eſſe, eíque parére. Nunc Sophocleum illud vſu venit:

Senſuum officium.

Hinc Aenianis effrænes pulliuiri
Feruntur indomito ore. —

Electra.

ſcilicet ſenſus non rectè inſtituti atque condoceſacti, frequenter excurrere occupant, animúmq; vnà trahunt in res nihil attinentes. Equidem falſum eſt, quod dicitur Democritū ſponte ſua oculos exſtin-

xisse,in ignitum speculum eos defigentem luminisque reflexionem accipientem: nimirum ne obturbarent,animum sæpe foràs evocando,sed velvti fenestræ prospectus in viam obthuratæ, intus eũ manere sinerent,ac immorari rebus sola mente cernendis. Id tamen verisimum est, qui mente plurimum vtuntur, eos sensuũ motu perparco vti. Nam & Musea longissimè ab vrbibus ædificabãt,& noctem Euphronã dixerunt Græci à bene intelligendo:ad considerationem & inventionem eorum quæ quærunt,admodũ conducere quietem & interventorum aut aliò abstrahentium vacuitatem rati. Porrò nec hoc quoq; difficile aut arduũ est.hominibus in foro mutuis conviciis se proscindentibus non accedere: aut vbi concursus multorum aliquam ad rem fit, sede se sua continere, aut si hoc ob incontinentiam nequeas, surgere & domum abire. nihil enim boni consequéris permiscendo te curiosis:magnam verò vtilitatem percipies, curiositate per vim aversa & compressa, rationiq; obtemperare adsuefacta. Exinde magis intendens exercitationem rectè facies,si theatrum in quo aliquid cum applausu auditur prætereas, & amicos ad saltatoris aut comœdi alicuius spectaculum trahentes submoueas, ac vociferatione in stadio aut circo sublata, non mouearis. Vt enim Socrates aiebat cauẽdos esse cibos, qui non esurientes ad edendum alliciunt, & potus qui faciunt vt non sitiens bibas: ita nobis fugienda sunt spectacula ista & auditiones, quæ nullo vsu exigente nos ad se trahunt. Cyrus quidem Pantheam videre noluit. & Araspe dicente mulieri formã esse spectatu dignam,respondit: Tanto magis ergo abstinendum. si enim nunc tibi parens ad eam veniam, fortasis ipsa rursum mihi persuaserit etiam cùm otiosus non ero ad se ventitare,spectare,& assidere, multis rebus seriis neglectis. Et Alexãder Darij vxorem, quia formosissima dicebatur, noluit in suum venire

venire conspectum:sed ad matrem eius anum accedens, videre iuuenem & pulcram nõ sustinuit. Nos lecticis mulierum oculos subiicientes, & eos à fenestris suspendentes, nihil peccare nobis videmur,adeò lubricam & ad omnia fluentem curiositatem facientes. Proinde etiam ad iusticiæ exercitationem facit, aliquando capturam honestam omittere, vt longè abesse ab inhonestis adsuescas. & ad tẽperantiam conducit, interdum propria abstinere vxore, ne vnquam in aliena commoueare. Hunc morem in curiositatem introducens, conare etiam tuorũ quædam aliquando surda aure prætermittere ac clausis oculis: & volentẽ aliquid de rebus domesticis nunciare, differre, & quæ de te dicta videbuntur, non admittere. Etenim Oedipum quidem curiositas in extremas coniecit calamitates. Quærens enim seipsum, vt qui non Corinthius esset,sed peregrinus, Laio occurrit,eóq; necato,matrem cum dote regni vxorem duxit. cúmque videretur felix, rursum seipsum quærebat, & prohibente vxore tanto magis examinauit senem totius rei consciũm,omni necessitate vrgens. tandem re iam ei suspicionẽ iniicente, & sene exclamante

Damnosæ curiositatis exemplum.

Heu,restat hoc nunc,dicere quod grauissimum est:
tamen affectu inflammatus atque tremiscens ait,
Mihiq; dirum auditu sed tamen audiam.

Sophocl. Oed.tyr.

Ita pruritus quidam est curiositatis dulcedini amarorem habens permixtum & effrænis,tanquam vulnus sibi ipsi sanguinem eliciens vbi sauciatur. Qui verò liberatus hoc morbo est, & natura placidus, is vbi aliquid mali ignorauit,dicet secum,

Veneranda malorum obluuio,quantum sapis?

Euri. Oreſt.

Quare ad hoc etiam adsuescendum est, vt allatam epistolam non statim neq; festinanter soluas, quod multi faciunt,manibus cunctantibus dentes vinculis iniicientes, eáq; morsu rũpentes. nuncio alicvn-

de veniente non accurras neq; assurgas. amico aliquo dicente, Habeo noui aliquid quod tibi dicam, respondeas, Malim vtile aliquid & cõducibile. Ego cùm aliquando Romæ dissererem, Rustico (quem postea Domitianus invidia glorię eius impulsus interfecit) me audienti interveniens miles epistolam à Cæsare missam tradidit. hîc ego intermittere cùm vellem orationẽ, ipsiq; spacium legendi litteras concedere, renuit ille, neq; ante epistolam soluit, quàm ego peroraſſem & missa esset schola: omnibus viri grauitatem admirantibus. At verò vbi aliquis potentia & licentia præditus vitium curiositatis alit, ídq; vires & violentiam acquisiuit: is iam non facilè abstinere ab his, quibus ipsi interdictum est, potest. nam qui hoc modo sunt affecti, ij & epistolas resignant, & consiliis amicorũ arcanis sese ingerũt, sacra quæ cerni ab ipsis est nefas intuentur, loca inaccessa calcant, res & sermones regum scrutantur. Sanè tyrannos, quibus omnia cognoscere est necesse, invisissimos reddit hoc genus hominum, qui auscultatores & delatores appellantur. Primus Darius minor auscultatores vsurpauit, sibi ipsi nõ credens, omnésq; habens suspectos atq; metuens. Delatores, quos ipsi Prosagogidas nominabãt, Dionysij inter Syracusanos sparserunt. quos quidem delatores conversione rerum facta primos arripuere Syracusani, & exquisito tympani supplicio affecerunt. Calumniatorum enim genus, è tribu & curia curiosorum est. quanquam calumniatores tantùm id scrutantur, an malum aliquis consilium ceperit, an aliquid flagitij perpetrauerit: curiosi etiam calamitates quæ nolentibus acciderunt, exquirunt ínq; medium proferunt. Quin & aliteriũ, id est sceleroſum, à curiositate principiò aiunt inveniſſe. narrãt enim penuria frumenti Athenis oborta, ita vt quibus esset triticum, ij id non in publicum promerent, sed domi suæ per noctem molerent: quosdam obambulasse

lasse qui molarum obseruarent strepitum, atq; inde hoc nomen reportarent, quasi molarios si diceres. est enim alẽ Græcis molere. Similis est origo vocabuli Sycophanta: quem Latini delatorem, puto, dicerent. Eos enim sic appellabant, qui, cùm prohibitum esset ficus exteris vendere, indicium de iis deferebant, qui foràs ficus vendidissent. Atque hoc non invtile est considerari à curiosis, vt studij sui pudore afficiantur, quod ipsis cum invisissimis atque molestissimis hominibus ob similitudinem & cognationem rei est commune.

PLVTARCHI

De tranquillitate animi, libellus.

PLVTARCHVS Paccio S. Serò tuas accepi literas, in quibus me hortabaris, vt aliquid de animi trãquillitate tibi scriberem, & de his quæ in Timæo scripta accurationem desiderant interpretationem. Sub idem tẽpus Eroti sodali nostro incidit Romam nauigandi necessitas, accepta à Fundano optimo viro epistola, more suo festinare iubẽte. Ita cùm neq; tempus haberem iis quæ instituera vacandi, neq; pati vellem istũ planè vacuis manibus ad te abs me venire: ex commentariis, quos mihi feceram, isthęc de animi tranquillitate collegi. cùm & te existimarem non auditionis elegantem venãtis orationem gratia, sed ob vsum commodantem ea requirere: tibíq; gratuler, qui & principũ vsus amicitiis, & gloriam, quantam in foro dicentium nemo, cõsecutus, non itidem vt Merops ille tragicus passus es vocibus te beatum prędicantium percelli, & vltrà quàm

naturales animi motus sint attonitũ reddi. quippe qui memoria teneas id quod sæpius audiuisti, neq; calceũ podagra, neq; annulum precioſum reduuia, neq; diadema dolore capitis liberare. Etenim, vnde ad vacuitatem moleſtiæ animo, vitæq; conſtantiam parandam diuitiis, aut gloriæ, aut potentiæ aulicæ facultas ſit, niſi eas res vel præſentes vſus venuſtus, vel abſentes nullum deſiderium perpetuò comitetur? hoc autem quid eſt aliud, quàm ratio condocefacta motibus obnoxiam & brutam animæ partẽ ſæpe de poteſtate exeuntem celeriter reprehendere, neque permittere vt præſentibus citata rebus diffluat atque invertatur. Itaq; ſicvt Xenophon præcipiebat, debere nos deorum maximè meminiſſe, iiſq; honorem habere, cùm ſecundæ eſſent res: vt vſu flagitante invocare eos cum fiducia poſſemus, iam ſcilicet propicios atq; amicos. ita eas quoq; rationes, quæ adverſus animi perturbationes auxilio ſunt, cordati ante quàm perturbentur meditari debent, vt multo antè præparatæ tanto plus habeant viriũ.

Animus adverſus perturbationes muniẽdus.

Quemadmodum enim feri canes cùm ad omnẽ vocem exaſperentur, ſola ea cui adſueuere demulcentur: ſic & animi motus ſæuientes nemo facilè deliniuerit, niſi rationes familiares & conſuetæ animo perturbato præſtò ſint, eúmq; inhibeant. Cæterùm is qui dixit, Animi tranquillitatem affectanti neque priuatim multa neq; publicè debere agere: primùm magno nobis emendã facit rem, venalem nimirum inertia: tanquam vnicuiq; infirmo præcipiens,

Ocio animũ non reddi tranquillũ.

Euri. Oreſt. *Quietus in ſtratis mane tuis miſer.*

& quidẽ vacatio laboris adverſus ſenſuũ ſtuporem malum eſt corpori remedium: neq; melior eſt medicus animo ſocordia, & mollicies amicorũ, familiariũ, patriæq; neglectu perturbationes eius amoliẽs. Deinde id quoque falſum eſt, animo tranquillo eſſe eos qui nõ agãt multa. Oportebat enim mulieres viris eſſe animo quietiore, plerunq; domi in re familiari

liari curanda deſidentes. Nunc Aquilo quidem

Virginis intactæ nunquam per membra penetrat, *Oper. 517.*

vt ait Heſiodus: ſed dolores, tumultus, ægritudines ob riualitatem, ſuperſtitionem, ambitionẽ, & vanas opiniones innumeræ in gynæceum confluunt. Et Laërta per viginti annos ſeorſim in agro degens

Cum famula uetula, quæ menſam & pocula ſoli *Ody. ω, 190*
Poneret,——

patriam quidem, & domum, regnúmq; fugit, dolorem autem cum ocio & mœſticia perpetuò ſecũ habuit. Sunt quos ipſum ocium in animi coniicit ægritudinem. qualis

Ille ſedens iuxta naues diuinus Achilles *Ilia. α, 488.*
Paſcebat rabidas animis feruentibus iras.
Non ille aut ſocium cœtus ueniebat in ullos,
Ad pugnam ſumtis aut procedebat in armis.
Sed deſiderio belli pugnæq; ſuum cor
Conficiebat, in inuiſa ſcenaq; manebat.

atque ipſe hoc de ſe grauiſsima affectus moleſtia dicit:

Nauibus aſsideo telluris inutile pondus. *Iliad. σ, 104*

Hinc adeò etiam Epicurus cupidos honorũ & gloriæ nõ vult quieſcere, ſed obſequi naturæ ſuę remp. tractando iubet: quòd faciliùs ocio perturbatum iri eos & lædi putaret, ſi non conſequerentur quæ appetiiſſent. Verũ abſurdè is nõ qui poſsint ad remp. gerendam adhortatur, ſed qui nequeant quieſcere. Enimverò nõ multitudine aut paucitate actionum, ſed pulcritudine ac turpitudine animi vel tranquillitas definienda eſt vel perturbatio. nam, vt dixi, nõ minus pulcrorum omiſsio, quàm actio turpium moleſta eſt. Eos enim, qui vnum aliquod certum vitæ genus moleſtia putant vacare, vt agricolarum quidam, alij cœlibum, alij regum, eos Menander ſatis clarè erroris ſui admonet his verbis:

Exiſtimabam diuites ego, Phania,

Fenore quibus non eſt ſumenda pecunia,
Non gemere noctu, nec ſus deq; uoluier,
Eheu mihi dicentes: ſed placidum magis
Carpere ſoporem ſuauiter.—

deinde poſtquã narrãdo explicauit, animadvertiſſe ſe diuitibus idem quod pauperibus evenire, inquit:

Eſt ergo uitæ conſanguinea moleſtia.
Vitæ hæc adeſt molli, claræ uitæq; adeſt,
Inopiq; conſeneſcit uitæ.—

Sed velvti timidi inter navigandum nauſea correpti meliùs ſe habituros putãt ſi in lintrem è lembo, rurſúmq; inde in triremem conſcendãt, nihil agentes ij, quia bilem & metum ſecum transferunt: ita vitæ mutationes non tollunt ex animo id quod ægrè facit ac perturbat. id autem eſt imperitia rerum, inopia iudicij, & impotentia atq; inſcitia rectè vtendi ſtatu præſenti. Hæc ſanè tam diuites iactant quàm pauperes, tam cœlibes quàm coniuges. ob hæc forum fugitur, & rurſus moleſtũ eſt ociũ, ob hæc produci in aulis volunt, & producti ſtatim ęgrè ferunt:

Eur. Oreſt. *Ob inopiam moroſi ſunt quibus eſt malè,*

ægrotis & vxor moleſta eſt, & medicum incuſant, & lectulus diſplicet, & de amicis

Grauis eſt qui uenit: abiens parit moleſtiam,

vt Ion ait. morbo autem fugato, aliáq; facta temperie, ſanitas redit omnia grata redigens atq; iucunda. qui enim heri oua, amylum, panem è cribrata farina reſpuebat, hodie cibarium panem cum oliua & naſturtio comedit alacriter ac ſuauiter. Eodem modo recta ratio quodvis vitæ genus, quamuis mutationem facit facilem. Alexander cùm infinitos mundos eſſe ex Anaxarcho audiuiſſet, fleuit: ac rogantibus amicis quid accidiſſet, Non dignum, inquit, fletu vobis videtur, ſi cùm ſint infiniti mundi, nos nec vno quidẽ etiamnũ potiti ſumus? At Crates pera & palliolo inſtructus, vitam tanquam feſtiuitatẽ quandam

Recta ratio eſt fons tranquillitatis animi.

dam per iocum & riſum exigebat. Et quidem Agamemnoni moleſtiam attulit imperium in multos:

Atridem cernes Agamemnona, Iuppiter unum Iliad. κ, 88.
Præ reliquis tot inexhauſtos tolerare labores
Quem iubet aſsiduè.—

Cõtrà Diogenes cùm venderetur, ſedẽs ſurgere noluit, ſubſannauítq; venditorem ſurgere iubentem, cum ioco & riſu dicens: Quid faceres ſi piſcem venderes? Socrates in carcere philoſophans cum amicis colloquebatur. Phaëthon conſcenſo cœlo plorabat, quòd nemo ei patris equos & currum traderet. Sicvt igitur calceus vnà cum pede, non in diverſam partem cõvertitur: ſic animi affectio vitam ſibi conformem reddit. Non enim conſuetudo, vt quidam dixit, vitæ optimum modum electum facit iucundum: ſed prudentia ſimul & optimam & ſuauiſſimam parat vitæ rationem. Ergo fontem tranquillitatis animi in nobis inſitum expurgemus: vt externa etiam tanquam familiaria non cum moleſtia nobis accidant atque vſurpentur.

Nihil eſt quod iraſcare rebus ſcilicet:
Non ira curæ illis tua eſt bene huic erit,
Qui rebus obtingentibus rectè utitur.

Ludo enim teſſerarum Plato vitam comparabat: vbi & iaciendum eſt quod ſit commodũ, & iactu quod cécidit rectè vſurpandum. ac iácere quidem in noſtra non eſt poteſtate: ſi verò rectè ſapimus, penes nos eſt quod fortuna obtulit cõvenienter accipere, & ſuo quodq; diſponere loco, vbi & propria maximè conducãt & quæ præter voluntatẽ eveniunt minimè offendant, Alioqui eos qui vitã nulla arte adhibita, nulla prudentia degũt, quo modo morbis obnoxios videmus neq; calorẽ ferre, neq; frigus poſſe, cùm res ſecundę ſupra ſuã extollunt ſortem, tum adverſæ deiiciunt. vtraq; autem fortuna turbantur, aut potiùs ipſi vtroq; fortunæ ſtatu turbas ſibi ciẽt,

magísque adeò bono (vt vsurpatur) rerum succeſſu. Theodorus, qui Atheos, quòd deos eſſe videretur negare, dictus eſt, aiebat ſe ſuas rationes dextra manu porrigẽte, ab auditoribus eas ſiniſtra excipi. Rudes autem homines, ſæpenumero fortuna ad dextrã adſiſtente, turpiter manu ſiniſtra excipiunt. Ab altera parte homines cordati, ſicvt apibus mel præbet thymus, acerrima & aridiſsima herba, ita è rebus adverſiſsimis ſæpenumerò cõueniens aliquid & commodum decerpunt. Id ergo eſt primò omniũ exercitatione perdiſcendũ, vt quo pacto is qui canem lapide ferire cùm voluiſſet, ictа nouerca dixit, Ne ſic quidem iactum lapidis malè cecidiſſe: ita nos quoque ea, quæ nolentibus nobis fortuna obtulit, aliò trãsferre ſciamus. Actus eſt in exſuliũ Diogenes. ne hoc quidẽ malè: nam factus extorris, philoſophari cepit. Zeno Citienſis, audito naui oneraria, quã vnicam reliquam habebat, vnà cũ mercibus eſſe vi fluctuum obrutã atq; demerſam, Laudo, inquit, tuũ factum ô fortuna, quæ nos in palliolum & porticũ redigis. Quid obſtat, quo minùs iſta imiteris? Obeundo aliquo magiſtratu impegiſti? viues poſtmodò ruri, rerũ tuarum ſatagẽs. Ambiens principis alicuius amicitiã, paſſus es repulſam? viues periculorũ & negociorũ liber. Rurſum res geſsiſti curarũ & occupationum plenas? atqui ne calida quidem aqua ita fouebit mollia membra, vt eſt apud Pindarũ, ſicvt gloria & honor coniuncta potentiæ alicui laborem facient dulcem, moleſtiámq; moleſtiæ expertem. Accidit per calúmniam vel invidiam exſibilatio aliqua & infelix ſucceſſus? ſecundo vento ad Muſas & Academiam nauigare licet. quod fecit Plato, poſtquam naufragium amiciciæ cum Dionyſio fecit. Ac profectò ad parandam animi tranquillitatẽ multum conducit, illuſtres viros conſiderare, qui eadem qua nos fortuna æquo ſunt animo vſi. Moleſtum tibi eſt quòd prole cares? at Romanorum vide reges,

Correctio fortunatorũ.

Exempla.

reges, quorum nullus filio regnum reliquit. Pauper tas tibi grauis eſt? quis verò Bœotorum eſſe malles quàm Epaminõdas, aut Romanorum quàm Fabricius. Adulterata eſt mulier? nónne legiſti inſcriptionem apud Delphos,

Agis me poſuit terræ rex & maris idem?

& audiuiſti vxorem eius Timæam fuiſſe ab Alcibiade vitiatam, & ancillis inſuſurraſſe, Alcibiadem eſſe quem peperit infantem? Verùm id Agidi non obſtitit, quo minùs Græcorum fieret clariſsimus atque maximus. Neque Stilponem prohibuit iucundiſsimè omnium ſuæ ætatis philoſophorum viuere intemperãs filia. quin etiam Metrocli id exprobranti, Meúmne, inquit, hoc eſt peccatum, an filiæ? ac dicente Metrocle, Filiæ peccatum eſt, tuum infortunium: Quid ais? reſpondit. nónne peccata etiam ſunt lapſus? Omnino, aiebat Metrocles. Quid, inquit? nónne lapſus ſunt earum rerum lapſus, quibus aſſequendis excidimus? Aſſenſit. Nónne verò, inquit, iſtæ à rebus appetitis aberrationes eorũ ſunt infortunia, qui eas non aſſequuntur. Sic ille placido & philoſophico ſermone oſtendit vanum latratum eſſe cynicam calumniam. At multos non amicorum modò & familiarium, ſed inimicorum etiam pertur bant atque iritant mala. Nam maledicta, iræ, invidiæ, malevolentiæ, obtrectationes cum malignitate coniunctæ, peſtes ſunt eorum quibus inſunt: ſtolidos autem turbant atque exaſperant. ſicvt etiam vicinorum iurgia, familiarium moroſitas & adminiſtrorum rebus agendis adhibitorum improbitas. Qua quidem re tu mihi non minimùm videris iritatus, quemadmodum apud Sophoclem medici

Amaro amaram pharmaco bilem eluunt,

ita eorum peccatis acerbum te ſæuúmque viciſsim exhibere. non quidem hoc rationi conuenienter. Quas enim tu res tibi demandatas agis, earum mini

Aduersus morositatẽ.

ſteria non ſimplicia aut bona ingenia, tanquam commoda inſtrumenta, ſed plerunq; aſpera & diſtorta obeunt. Quorũ tu perſequi delicta, non debes exiſtimare muneris tui eſſe, aut rem confectu facilem. Quòd ſi iis talibus vtens, ſicvt medicus forcipibus ad evellendos dentes & hamulis ad conſtringenda vulnera vtitur, placido animo mediocriter quæ cõtingunt feras, magis tua te affectione animi oblecta bis, quàm aliorum prauitate & malicia perturbabis: neque inſtar canis, qui vbi allatrauerit ſuo ſe defunctum officio putat, ſingula perſequendo imprudens eò rem deduces, vt multa moleſtiam afferentia in hanc animi tui paruitatem atque imbecillitatem, tã quam locum cauum & humilem confluentia contrahas, eámque alienis oppleas malis. Quando enim philoſophorum nonnulli miſericordiam, qua afficimur ob aliorum calamitates, vituperãt: (quòd debere nos opitulari aliis, non vnà dolere & animũ demittere ſtatuant) & quando, quod ſanè maius eſt, delicta nos noſtra aut morbos animi vbi ſentimus, non ſinunt mœſtos eſſe & ægrè ferre, ſed abſque dolore mederi vitio iubent: quî non ſit rationi adverſum hoc in nos per negligentiam admittere, vt ægri indignabundique ſimus propterea, quòd non omnes quibus cum nobis res eſt, probi ſunt atque ſciti? Verùm hoc vide mi Pacci, ne noſmetipſos non ſatis attendentes, nõ in vniuerſum improbitatem eorum quibus vtimur, ſed noſtram affectionem à ſui amore non malorum odio proficiſcentem, prætendamus atque metuamus. Nimiæ enim animi ad res incitationes, & vehementiores iuſto appetitiones, aut contrà averſationes & vituperationes, eæ ſuſpiciones & morositatem adverſus homines nobis ingenerant, quorum culpa vel non adeptos quod cupiebamus, vel in ea quæ nollemus incidiſſe nos putamus. qui verò in rebus cum facilitate animi & moderatione verſari adſueuit, is cum hominibus agere ſa-

re facilimè ac manſuetiſsimè poteſt. Itaque ſermonem de rebus ceptum repetamus. Febricitantibus, quidquid guſtent, amarum & inſuaue videtur. ſed tamen vbi alios videmus eadem citra moleſtiam guſtare, non iam cibum potúmve, ſed morbum & ægrotantes in cauſa eſſe dicimus. Eodem modo culpare res & iniquè ferre deſinemus, ſi videamus iiſdem alios abſque dolore & cum hilaritate vti. Iam id quoque multum ad animi tranquillitatem confert, ſi in his quæ nobis invitis evenerunt, non negligamus in hæc intueri quæ nobis grata & venuſta adſunt: ſed mixtione vtrorumque inſtituta, meliorum momentis deteriora aboleamus. Sed nos, qui oculos nimio ſplendore offenſos ad florida & viridia auertẽtes reficimus: iidem cogitationẽ rebus dolorem afferentibus intendimus, eámque recenſioni moleſtiarum immorari cogimus, tantùm non vi abſtractam à melioribus. Atqui huc non ineptè transferri poteſt, quod ſcitè dictum eſt in curioſum:

Mala bonis compenſanda.

Aliena quorſum acutè peruides mala,
In propriis cæcus, hominum inuidiſſime?

Quid enim mala tua mi homo, nimis ſubtili viſu perſpiciens, ſemper conſpicua facis ac renouas? bonis autem præſentibus animum non adhibes? ſed quemadmodum cucurbitulæ deterrimum è carne ſanguinem eliciunt: ita de rebus tuis peſsima quæque adverſum te colligis? nihil ſanè Chio illi præſtans, qui multo boni vini aliis divendito, acidum ſibi ad cœnam guſtando exquirebat: ſeruus autem quidã ab alio interrogatus, quídnam rei agentem herum reliquiſſet? Bonis, reſpondit, præſentibus mala quærentem. Plerique enim bonis & ſuauibus rebus præteritis, ad difficilia & grauia toleratu currunt. Ex horum numero non fuit Ariſtippus, gnarus quaſi in trutina meliorum rerum momentis

adversus incommoda sese subleuare atque efferre. itaq; prædio amisso quodam egregio, ex aliquo eorum qui maiorem in modum se casum eius dolere & inique ferre simulabant, quæsiuit, Nónne tu vnicum possides agellum, mihi tres fundi sunt reliqui? Assenso, Cur itaque non tuam potiùs vicem doleã, inquit? est enim insani, ob amissa dolore affici, non gaudere relictis. ac sicvt pueruli si quis ludicrarum rerum vnam ipsis auferat, reliquis etiam omnibus proiectis plorant ac vociferantur: ita vna aliqua in re fortuna nobis obturbãte, iniquè ferẽdo & lamentãdo cætera omnia nobis reddere invtilia. Diceres, quid habemus? Immò autem, quid non habemus? huic gloria, illi familia, alij coniugium, alij bonus amicus contigit. & Antipater Tarsensis, cùm iam moriturus bona quæ ipsi contigissent recenseret, ne prosperam quidem nauigationem præteriit, qua è Cilicia Athenas vsus fuerat. Communia quoq; negligenda non sunt, sed eorum habenda ratio est, & gaudendum quòd viuimus, valemus, Solem videmus, bellum nullum, nulla est seditio, terra cultui, mare nauigationi liberè prostat, licet nobis loqui, tacere, res agere, ocio frui. Hæc præsentia maiorem nobis animi parabunt tranquillitatem, si absentium imagines nobis fingamus, sæpiùs nobiscum memoria repetentes, quàm desiderabilis sit ægrotanti sanitas, in bello constitutis pax, gloriæ in tanta vrbe & amicorum copia peregrino & ignoto: & quàm sit molestum priuari partis iis. Sic fiet, vt non tum demum magna ac præclara singula ista deputemus, quãdo amittimus: antè autem, & dum potimur, pro nihilo ducamus. non enim precium rebus iftis interitus addit, neque eas debemus tanquam magnas comparare, sempérq; trepidare & metuere né tantis rebus spoliemur, dum verò possidemus, tanquam nullius precij res contemnere & negligere: sed ita maximè frui, vt voluptatem ex iis gaudiúmq; capiamus:

Bonorum nostrorum cõsideratio.

mus: vt etiã amissionẽ eorum, sicvbi áccidat, æquiore animo feramus. Sed pleriq; poëmata (vt aiebat Arcesilaus) aliena, & picturas, & statuas putant sibi exactè singulis partibus animo oculísq; perlustratis contemplanda: vitam autem suam multa habentem consideratu non iniucunda prætereunt, foràs semper prospicientes, aliorúmq; famam & fortunam admirantes: sicvt adulteri alienas spectant mulieres, suas despiciunt. Cæterùm id quoq; ad animi trã quillitatem magnopere conducit, maximè quidẽ se & suas res intueri: sin verò id non possit locum habere, non cum præstantioribus se comparare: quo vitio vulgò laboratur nam, verbi gratia, qui vincti sunt, solutorum laudant fortunam, soluti liberorum, liberi ciuium, ciues diuitum, diuites satraparum, satrapæ regum, reges deorum, tantùm non tonare & fulgurare cupientes.

Cõparatio cum infelicioribus.

Non res mihi sunt cordi Cygæ diuitis,
Neq; cepit æmulatio me, superùm neq;
Magna obstupesco facta, nec tyrannidem
Magnam appeto procul ab oculis sita est meis.

At verò Thasius aliquis, Chius, Galata, vel Bythinus, non contentus se aliquo inter suos ciues loco, in honore & cum potentia esse, plorat se non gestare vestem patriciam: & si ferat, quòd non sit prætor Romanorum: & hoc adeptus, quòd non consul: & consul, quòd non prior, sed posterior fuerit renunciatus. Hoc autem quid est aliud, quàm occasiones ingrato animo fortunam accusandi conquirentem, à seipso sumere supplicium? At qui sana mente præditus salubriter sapit, is Sole infinita millia hominum intuente,

Amplæ quicunq; fruuntur terræ frugibus,

non si quem de his gloria sibi & opibus præstare videt, ideò deplorans sortem suam abiecto animo se-

det: sed in publicum procedit, fortunam suam & vitam prædicans, quæ sibi in tanta multitudine aliis beatior obtigit. In Olympiaco quidem certamine non ita permittere vincere, vt ipse tibi qui cum certes deligas. At in vita licet, ac res humanæ concedunt vt cùm multis præstes felicitate, magno sis animo aliisq; potiùs æmulandus, quàm aliorum admirator. siquidem te non cum Briareo aut Hercule componas. Ergo vbi magna te ceperit admiratio eius qui lectica gestatur, oculis paululum demissis etiam baiulos contemplare. & cùm Xerxem illum rati mare transeuntem cum Hellespontio illo beatũ prædicabis, inspice etiam eos, qui flagellis vrgentibus Atho montem perforant, & quibus ob ruptum fluctibus pontem aures naréſque amputantur, simúlque eorum sensum considera, quòd vitam & res tuas ij felices existimant. Socrates quendam amicorum audiens dicere, Quàm sumtuosa est Vrbs? mina venditur vinum Chium, purpura tribus, mellis hemina quinque denariis: adduxit ad farinas, Heic, dicens, semisextarius venditur obolo: frugaliter in Vrbe viuitur. tum ad oliuas, Duobus æreis chœnix, deinde ad exomides, Hæc decem drachmis venditur vestis: viles sunt res in vrbe. Ita & nos, cum audiemus aliquem pronunciantem tenues res nostras esse & afflictas, qui consules aut procuratores non simus: esse nos in lauta atque splendida recidemus, vt qui neque mendicemus, neque oneribus baiulandis aut adulando viuamus. Enimverò quando ea est nostra stultitia, vt magis aliorũ quàm nostri respectu viuere adsuescamus, ingeniúmque ita est obtrectatione ac invidentia corruptum, vt nõ tam gaudeamus nostris, quàm ob aliorum bona doleamus: eorum quos æmularis atque admiraris, non tantùm vide splendida illa & nobilia bona, sed aperiens ea, & gloriæ ac speciei tanquam florido aliquo conopeo reducto, intus penetra. cernes multa mo-

Mala bonis admixta alienis obseruãda.

ta molesta & minimè iucunda iis inesse. Pittacus ille, cui magnam fortitudo, magnam sapientia & iusticia parauerunt gloriam, cum hospites conuiuio excepisset, vxórq; irata superuenisset, & mẽsam subvertisset, hospitibus perturbatis, Vnicuiq;, inquit, vestrum est mali aliquid: felicissimus hic, cui hoc tantum:

Hic in foro beatus esse creditur,
Cùm foribus apertis sit suis miserrimus:
Imperat mulier, iubet omnia, semper litigat.
Multa adferunt illi dolorem, nil mihi.

Talia multa opibus, gloriæ, regno inhærent, ignota vulgo. officit enim luminibus fastus.

O felix, fatisq; Atrida beantibus orte: *Iliad. γ, 182*

extrinsecus illa beatitatis laudatio ducta, ob circũfusam armorum, equorum, militum copiam. at intus voces perturbationum animi vanæ huic gloriæ reclamant:

Iuppiter implicuit noxæ me prorsus acerbæ. *Iliad. β, 111.*

Item hæc:

Suspicio te ô seneꝛ, *Eurip. Iphig. Aulid.*
Et quicunq; uirorum
Sine periclo uitam exegit
Inglorius, ignotusq;.

Ergo id genus ratiocinationes valent ad carpendũ exhauriendúmque hunc animi morbum, quo de fortuna nostra queruli, ob vicinorum admirationem res nostras extenuamus ac deprimimus. Id quoque non leuiter tranquillitati mentis obest, quòd non mediocribus & ad facultates nostras accómodatis appetitionibus, tanquã velis, vtimur: sed spe maiorum rerum concepta, postmodo frustrante conatu genium fortunámq; incusamus, non nostram (quod erat rectius) stulticiam. Etenim non is infortunatus est, qui iaculari aratro, aut boue leporem venari voluit: neque ei qui frustra verriculo aut funda capta

Mediocritas appetitionum.

uit ceruum, vllus malus adversatur genius: sed stulticia & perversitas eum ad tentanda impossibilia adigunt. In culpa est sui amor, studium ingenerās primas sibi in omnibus rebus contentiose arrogandi, & inexsaturabili cupiditate omnia aggrediundi. non enim diuites modò simul, & docti, & robusti, & ad compotandum idonei, & comes esse atq; amici regum & vrbium principes volunt: sed malè secū agi putant, nisi canes etiam, & equos, & coturnices, & gallos aliis habeant præstantiores. Dionysius maior non contentus omnium ea tempestate tyrannorum quòd esset maximus, iritato atq; exaspe rato animo quòd Philoxenū poetam canendo, Platonem differendo non superaret, alterum in lapicidinas coniecit, alterum in Aeginam vendidit. Non hoc modo egit Alexāder. qui cùm Crisō stadij cursor cum ipso de velocitate certans dedita opera visus fuisset succumbere, vehementer est indignatus. Probè etiam Homericus Achilles cum dixisset,

Non me inter Danaos cum sit præstantior alter:

Iliad. σ, 105

subiecit,

Pugnando mea namq; aliis facundia cedat.

Megabyzo Persæ cùm in officinam Apellis pictoris descendisset, & nescio quid de arte dicere cepisset, silentium imposuit Apelles his verbis: quamdiu tacebas, existimabare aliquid esse ob auri & purpuræ ornamenta: at nunc te nugantem etiam pueruli isti ochram terentes deridēt. Sed nonnulli Stoicos ludere putant, quando ab iis audiunt sapientem nō modò prudentem, iustum, fortem, sed rhetorem quoque, imperatorem, poëtam, diuitem, regémque cognominari. cùm interim hos sibi titulos ipsi arrogent omnes, & nisi obtinent, indignentur. Atqui deorum alius alia virtute præditus, hic bellicosus, ille fatidicus, rursum alius lucri præses nominatur.

Iliad. ε, 429. & Venerem Iupiter, quòd ad eam res bellicæ nihil pertinerent, ad nuptias & cubilia ablegat. Et verò sunt quæ simul locum habere non possunt, sed invicem pugnant studia. puta, ocio opus habet dicendi exercitatio, & mathematum tractatio, atq; aliarum vacatione occupationum. facultas ciuilis, & amiciciæ regum, non sine negociis & occupationibus parari possunt. tum vini & carnium vsus largior, corpus validum ac robustum facit, animum imbecillū. assidua rei faciundæ cura & conseruatio diuitias auget, contemtus opum ad philosophiam est perquàm vtile viaticum. Hinc equidem constat non omnia esse omnium: sed oportere Pythicæ obtemperantem inscriptioni, Seipsum nosse: deinde vti suo ingenio ad ea, ad quæ natura factus est: neque id ad alius vitæ studium trahendo, huic vim facere.

Non omnia possumus omnes.

Equus est ad currum idoneus,
Ad aratra bos. propter ratem
Delphin celerrimè incitatur.
Apro si quis necem struat,
Canem inueniat laboriosum.

Qui autem indignè fert, quòd non simul est

Robore confidens leo, montibus innutritus:

& catellus Melitæus in sinu viduæ mulieris educatus: stupidus est. neque eo melior, qui simul vult & Empedocles, Plato, aut Democritus esse de mundo scribens, & cum vetula diuite dormire, vt Euphorion, aut cum comesatoribus Alexandri potare, vt Medius. & qui iniquo animo toleret, non simul & ob diuitias, vt Ismeniam, & ob virtutem, vt Epaminondam, se in admiratione haberi. Nam neq; cursores animo sunt ægro, quia non auferunt coronas luctatorum: sed suis gaudent atque exsultant. Spartam es nactus, hanc orna. sic & Solon,

At nos uirtutis non permutabimus horum,
Pulcraq; uirtutis munia diuitiis:

Cùm stet uirtutis stabilis possessio semper,
Incertæ uaria sorte ferantur opes.

Et Strato physicus audito Menedemum multis modis plures habere discipulos, Quid mirum est, aiebat, si plures sunt qui lauare, quàm qui vngi volunt? Aristoteles quoque ad Antipatrum scribens, Non solum Alexandrum debere multum sibi tribuere ob imperium in tot homines pronunciat: nihilo minus id licere iis, qui rectè de deo sentiant. Etenim eos qui hoc modo sua extollunt bona, minùs aliorum perturbabant. Nunc nos, qui à vite ficus, aut ab olea vuas non requirimus, nisi prærogatiuas simul omnes diuitum, doctorum, bellatorum, philosophantium, adulantium, liberè dicentium, parcorum, sumtus facientium habeamus, calumniamur, ingratique adversum nosmetipsos sumus, ac vitam nostram vt inopem mutilámque spernimus. Præterhæc verò, ab ipsa nos natura admoneri videmus. vt enim brutorum animalium aliis alivnde nutrimentum suggerit, neque omnibus carnem edendi, semina legendi, radices effodiendi facultatem indidit ea: sic homini quoque varias ad vitam tolerandam opportunitates præbuit. opilioni suas, suas aratori, aucupi, & quem mare alit. Quo æquius est nos id genus vitæ, quod nobis est commodum, amplexos, in eo elaborare, reliqua omittere, neque ostendere Hesiodum intra modum substitisse, cum diceret:

Operib. 26. *Succenset figulo figulus, fabrum faber odit.*

non enim eandem modo artem, eandem vitæ rationem exercentes dum æmulantur, sed & doctos opulenti, & opulentos fama clari, & causidici sophistas, atque adeò comœdos in theatris pulcrè stantes, histrionésque & seruos regum aulicos liberi homines ac patricij cum stupore admirantes beatósque dicentes, non mediocrem sibi ipsis dolore perturbationémque afferunt. Iam quòd hominum vnusquisque penum vel tranquillitatis animi, vel ægritudinis in sese habeat, & dolia bonorum ac malorum non in Iouis limine, sed in animo suo reposita, affectionum diuersitates demonstrant. Stolidi enim bona etiam præsentia non cernunt, neque curant: quòd cogitationes suas semper futuris habent intentas. prudentes ea quoq; quæ esse desierunt, memoriæ perspicacitate sibi præsentia faciunt. Quippe stultis id quod præsens est, & exiguissimo temporis puncto se tangẽdum præbens, deinde sensum effugit, non iam ampliùs ad ipsos pertinere videtur. sed quemadmodum apud Manes pingitur quidam funem torquens, & id quod contexuit asino vorandum permittens: ita multorum stupida quædam & ingrata obliuio omnem actionem, omnes res præclarè gestas, omne iucundum ocium, omnem conuiuiorum & voluptatum fruitionem abolens, nõ sinit vitam esse continuam, præsentibus ad præterita adiunctis: sed hesternam ab hodierna, hanc à crastina diuidens, quidquid evenit obterens tanquam non factum redigit. Nã qui in scholis incrementa corporum negant, ob cõtinuatam substantiæ fluxionem: ij verbo faciunt nos subinde alios. qui aũt priora nõ cõplectuntur memoria, neq; revocant, sed effluere sinunt, ij re ipsa faciunt se quotidie indigos inanésque, & à crastino pendentes: tanquam ea quæ superiore anno, dudum adeóque heri obtigerunt, planè ad ipsos nihil pertineant, neque omnino ipsis evenerint. quæ res animi tranquillitatem non leuiter impedit. Grauiùs etiam huic officitur, quando homines muscarũ in morem in speculis de læui superficie delabentium, ac asperitatibus & fissuris inhærentium, à iucundarum rerum memoria defluentes recordationi molestarum implicantur. immò, sicvt Olynthi cantharos ferunt in locum quendã qui ab exitio eius infecti Cantharolethrum dicitur inie-

Memoria bonorum.

Ilia. ω. 527.

ctos, quòd exire inde nequeant, perpetua circumversione enecari: ita ipsi quoq; in malorum commemorationē vbi incidére, inde se revocare & recreare nolunt. Oportet autem sicvt in tabula colorum, ita in animo rerum eas quæ maximè nitent ac splendent proponere, iisque tetrica obscurare & opprimere, quandoquidem omnino deleri & amoueri nō possunt. Vt enim lyræ aut arcus nerui, ita mundi quoq; concentus vicissitudine quadam intenditur ac remittitur: & in rebus humanis nihil sinceri, nihil puri est. Sed quemadmodum in musica soni sunt & graues & acuti, & in grammatica litteræ cùm vocales, tum mutæ: musicus autem & grammaticus est non qui alterum genus molestè fert atquè fugit, sed qui omnia vsurpare & permiscere arte sua potest. ita in rebus quoque humanis cum sint oppositi invicem ordines (quando, vt est apud Euripidem,

Secungier non possunt à bonis mala:
Sed est eorum, ut res habeant satis bene,
Commixtio quædam)

non debemus in altero animum ob dolorem despōdere: verùm harmonicos imitari, & melioribus deteriora obscurando, ac mala bonis occupando, cōcinnum vitæ, nobisque conveniens temperamentum conficere. Non enim verum est quod dixit Menander:

Vnicuiq; in lucem cùm primò editur,
Genius bonus uitæ magister totius
Adsistit.—

sed Empedoclis probanda potiùs est sententia, qui vnumquenque nostrùm, postquam est natus, arripi gubernarique à duplicibus fatis geniisque docet.

Hic inerant Chthonia, & cernens procul Heliopea,
Et uario Harmonie uultu, Deríq; cruenta,
Turpis Callistoq;, Thoosáq;, Deinæq;,
Nemertes & amœna, nigro fructúq; Asapheia.

quo-

Rerum humanarum varietas.

quorum geniorum nominibus variæ animi perturbationes exprimuntur, quarū omnium semina cùm ortus noster secum tulerit, ideóque vitæ magna sit inęqualitas: meliora quidem optat, qui sana est mente, sed tamen altera quoque exspectat, & vtrisque vtitur ita, Vt ne quid nimis. Non enim tantùm qui minimè desiderat crastinam diem, sicvt Epicurus aiebat, suauissimè procedit in crastinam diem: sed & diuitiæ, & gloria, potentia, honores eos maximè delectant, qui contraria horum minimè metuunt. Nam nimia istarum rerum appetitio, acerrimū amittendi metum ingenerans, gratiam earum fruendarum infirmam reddit atq; instabilem, instar flammæ vento agitatæ. Cui verò ratio hoc parauit, vt ad fortunam intrepidè dicere possit,

Suaue est, si quid das: paruus dolor, hoc ubi tollis:

hūc fiducia & vacuitas metus amissionis, tanquam intolerabilis, docent suauissimè vti rebus præsentibus. Ac licet Anaxagoræ affectum animi, à quo profectum est vt de morte filij hāc vocem ederet, Sciebam mortalem esse quem genueram, non admirantes modò, sed & imitantes, ad singulos fortunæ casus dicere: noueram diuitias me posside re in diem durantes & instabiles. noueram magistratum ab iis adimi posse, qui eo me ornauerant. noueram mihi esse probam mulierem, sed tamen mulierem. noueram amicum esse hominem, facilè (vt ait Plato) mutabile animal. Huiusmodi enim præparatio animi informatio, si quid eorum quæ nollemus quidem, posse tamen evenire cogitabamus, accidat non admittentes voces istas, Non putāram, Multa speraui, Hæc non exspectabam, saltum cordis & trepidationem avertunt, ac celeriter furiosam & perturbatam facultatem sedant. Carneades de magnis rebus admonebat omnem dolorem mœrorémq; ab hac vna causa nasci, quòd inexspectatò nobis accidit quippiam. Equidem Macedonum regnum cum Romano

Animi ad res aduersas præparatio.

comparatum imperio, vix aliquâta huius pars erat. & tamen Perseus amissa Macedonia, cùm ipse suam deplorabat fortunam, tum ab omnibus miserrimus infelicissimúsq; homo iudicabatur. at qui hunc devicerat Aemilius, tradito alteri terræ marísq; imperio coronabatur ac sacrificabat, non iniuria beatus habitus. norat enim se magistratum occepisse, quem esset depositurus: Perseus autem suo regno præter exspectationem suam erat exutus. Pulcrè etiam Poëta docuit, quid rei sit id, quod inexspectatò contingit. Vlisses enim cane mortuo cùm non continuisset lacrymas, vxori adsidens flenti nihil tale passus est. huc enim venerat, animo ratione iam antè confirmato, & adversus motum munito: in illum autem fletum subita res & inexspectata eum coniecerat. In vniuersum verò quæ nolentibus nobis áccidũt, partim suapte natura molestiam ea afferunt, partim opinio nos adsuefacit vt ægrè feramus. & adversum hæc vtile est in promtu habere isthuc Menandri:

Odyss. 9, 304
Odyss. 7, 210

Nisi ipse feras præ te, nihil es passus mali.
Quid enim, inquit, ad te pertinet id,
Quo neq; animus, neq; corpus tangitur tuum?

cuius generis sunt ignobilitas patris, adulteriũ vxoris, coronæ aut primarij in consessu loci priuatio: quibus etiam absentibus nihil obstat quin & animo & corpore optimè valeas. Ad ea autem, quæ natura suapte dolorem videntur excitare, vt sunt morbi, ærumnæ, obitus amicorum & liberorum, accommodari debet Euripideum illud:

Heu mihi. quî heu mihi? more hominum sanè accidit.

Non est enim alia ratio quæ facultatem animi affectionibus obnoxiam labascentem magis revocet & confirmet, quàm quæ communis naturæ & necessitatis memoriam renouat: cui necessitati homo propter corpus expositus, huc tantùm fortunæ ansam præbet, in potissimis maximísq; rebus tutus ac securus.

curus. Demetrius cùm Megara cepisset, quæsiuit è Stilpone, Ecquid in ista direptione ipsi periisset? cui Stilpo, Neminem, respondit, vidi, qui meas res ferret. Proinde fortuna vbi reliqua deprędatur omnia, atq; adimit, habemus aliquid in nobismetipsis tale,

Quod ferre aut agere immitis non posit Achiuus. *Ilia. 1, 484*

Itaque consequens est, non ita planè extenuare aut deprimere naturam, ac si nihil ea supra fortunam posset, nihil stabile aut proprium haberet. sed hoc cognitum habere, quod exigua est pars hominis putrida illa & morbosa, quæ fortunam admittit. meliorem in partem esse penes nos dominium, in qua bonorum maxima collocata sunt: bonæ, inquam, opiniones, disciplinæ, rationes in virtutem desinentes, quæ aboleri & corrumpi nequeunt. proinde inuicti quod ad futura attinet atque animosi, fortunæ his verbis respondebimus, quæ Socrates visus in Anytum & Melitum dicere, in ipsos torsit iudices: Interficere me Anytus & Melitus possunt, nocere mihi non possunt. Potest enim fortuna me morbo aliquo grauare, opes auferre, in odium populi aut tyranni vocare. malum, timidum, animi abiecti, degenerem, invidum, non potest eum efficere, qui sit bonus, fortis, magnanimus, neque animi habitum auferre eũ, cuius ad vitam rectè degendam vsus maior est, perpetuò in promtu siti, quàm gubernatoris adversus mare. Quippe gubernator neque fluctus demitigare potest asperos & violentum ventum, neque in portum subire quoties opus est, neque audacter & intrepidè tempestatem subsistere. sed quamdiu arte sua vtitur, rebus nondum desperatis fugit, Magnum (vt poëtę verbis vtar) velum demittens, dum malus inferior supra tartareum mare emergat, tremens ipse & titubans. At enim affectio animi prudentis, cùm ipsi corpori plerunque tranquillitatem conciliat, morborum occasiones continentia, victu moderato, ac mediocribus laboribus avertes:

Plat. apolo.

tùm si quod extrinsecus mali principium ostẽditur, velvti cum præter cautes aliquas in mari latentes est nauigandum, contractis facilè antennis prætervehitur, vt ait Asclepiades. quod si verò inopinata aliqua & vehementior procella occupet, in propinquo est portus, licétque enatare è corpore, tãquam scapha aquam admittente. Insipientem enim mortis metus, non vitæ desiderium iubet à corpore dependere, id amplexum, quomodo Vlisses caprificũ tenuit metu subiectæ Charybdis:

Mortũ contemtus.

Odyss. μ. 432.

Manere ubi uentus, nauigare & ubi uetat,

& hoc iniquè ferentem, & illud metuentem. At qui animæ naturam vtcunque didicit, reputátque eam morte vel in meliorem, vel saltem nihilo peiorem statũ abire: is vacuitatem metus adversus mortem, non exiguum habet ad tranquillitatem animi in vita viaticum. Nam cui licet virtute ac præstantiore parte sui prævalente suauiter viuere, alienis autem & naturæ adversa quæ sint superantibus intrepidè abire, fato hæc,

Eurip. Bacchis.

Ipse Deus, simul atq; uolam, me soluet: ——

quid excogitari potest quæso, quod huic graue, molestum, aut tumultum adferens possit accidere? Certè qui dixit, Anteverti te ô fortuna, omnésque tibi ad me aditus obstruxi: non is vectibus, clauibus, aut muris fidẽs hoc dixit, sed doctrinæ & rationibus. quarum sanè qui volunt, participes fieri possunt. Neq; de vllo talium dictorum desperandum aut diffidendum est: sed admiratione horum atque æmulatione, & quasi diuini cuiusdam instinctus societate impulsi periculum de nobis facere in minoribus rebus demum, quomodo simus ad maiora affecti: non fugere aut aversari hanc animi accurationem. Mihi quidem videtur hoc studium non vsq; adeo difficile. Etenim animi oblectatio subducens se à rerum adversarum cogitatione, & circa facillima & suauissima identidẽ versans, fatuitatẽ quádã

&

& imperitam molliciem ingenerat. qui verò morbi etiam, doloris, exsulij speciem meditatur, ac rationis imperio se ad ista sustinenda componit animus, multa is inveniet falsa, inania, & putrida esse in his, quæ grauia vulgo ac terribilia videntur. id quod de singulis initæ rationes demonstrant. At multi etiam ad hoc Menandreum expauescunt:

Dicere haud uiuus potest quisquã, Hoc non obtinget mihi.

scilicet ignorantes quantum sit ad vacuitatem doloris bonum, meditari ac posse adversus fortunã apertis oculis respicere, neque in seipso imaginationes concipere delicatas, neq; in vmbra educatum imbibere spes multas subinde cedentes, nullíque reluctantes aduersitati. Menandro quidem sic possumus respondere:

Dicere haud uiuus potest quisquã, Hoc non obtinget mihi:

atqui hoc licet dicere, Viuus nunquam in me isthuc admittam, non mentiar, non agam subdolè, non defraudabo, non insidiabor. Hoc enim in nostra situm est potestate, non paruum, sed ingens ad animi tranquillitatem adiumentum. Contrà malè factorũ conscientia, velvti vlcus in carne, in animo pœnitẽtiam relinquit, pungentem subinde atque sauciantem. Alios enim dolores ratio tollens, pœnitentiam solam effecit, à seipso ob pudorem morsibus crebris vexatam & pœnas dantem. Ac quemadmodum qui rigent, aut epialis febribúsve æstuant, grauiorem sentiunt molestiam, ac deteriùs afficiuntur: quàm quibus eadem extrinsecus ab æstu aut gelu áccidunt: ita fortuita leuiores inferunt dolores, tanquam ab externis illatos. at verò hoc,

Cõscientia.

Pœnitẽtia.

Horum non alius, mihi sum causa ipse, malorum,

qui suis delictis intus cum luctu accinit, is dolorem turpitudine aggrauat. Quò fit, vt neque preciosa domus, neque auri copia, neque generis dignitas, neq; magistratus amplitudo, neq; facundia aut elo-

quentia tantam vitæ ſerenitatem tranquillitatémq; præſtet, quantam animus actionum conſiliorúmq; prauorum purus, ingeniúmque (vitæ actionum hic eſt fons) perturbationis expers, intaminatúmque. vnde promanant honeſtæ actiones, efficacitatémq; quaſi diuino inſtinctu exagitatam hilarémque, & cum animi honeſta elatione coniunctam habent, memoriámque dulciorem & ſtabiliorem Pindarica illa ſpe, quam is alumnam ſenum dixit. Non enim roris quidem marini frutices (vt Carneades teſtatur) etiam exciſi diu fragrantiam ſuam ſeruant: in anima autem viri prudentis actiones pulcræ non ſemper gratam recentémque ſui relinquunt memoriam: quibus lætitia rigatur, florétq;, & contemnit eos qui deplorant vituperántque hanc vitam velvti quandam malorum regionem, aut locum exſulij animis in hoc mundo deſignatum. Perquàm mihi placet illud Diogenis dictum, qui hoſpitem Lacedæmone videns parare ſe magno ſtudio ad quandam feſtiuitatem, Quid, aiebat? an non vir probus quenvis diem feſtum cenſet? Et quidem, ſi ſobriè viuimus, admodum illuſtrem. Eſt enim ſanctiſsimum templum ac diuiniſsimũ hic mundus. in hunc inducitur homo cùm naſcitur, non manu factorum & immobilium ſpectator futurus ſimulacrorũ, ſed earum, quas mens diuina ſenſiles mente ſola cernendorum effigies, in ſe inſitam vitæ motúſque habentes facultatem fabricata eſt. Solem inquam, Lunam, ſidera, fluuios nouam ſubinde aquam edentes, terram ſtirpibus animalibúſque alimenta ſubmittentem. quorum ſacrorum initiatio atq; inſtitutio perfectiſsima cùm ſit vita, profectò par eſt eam tranquillitatis animi ac lætitiæ eſſe plenam. Nam vulgus hominum imitari minimè debemus, qui Saturnalia, Liberalia, ac Panathenæa aliáſque harum ſimiles præſtolantur feſtiuitates, vt ibi oblectentur, ſéque emticio riſu recreent, perſoluta mimis & hiſtrionibus

Bonorũ perpetuæ feriæ.

ſtrionibus mercede. Quid? Sedemus ibi ſilentes & compoſiti (nemo enim lamentatur dum ſacris initiatur, neque ſpectans Pythia luget, aut Saturnalibus potans) quas verò nobis deus ferias ſuppeditat, & ad quæ nos ſacra deducit, fœdant homines vulgò, maiorem vitæ partem in lamentis, mœrore, ac laborioſis ſolicitudinibus exigentes. Delectantur inſtrumentis ſonitum bellè ac ſuauiter reddentibus, cantu auicularum itidem, & nõ ſine voluptate ſpectant beſtias ludentes atque exſultantes: contrà rugitibus earum, fremitibus ac adſpectu tetrico offenduntur. Suam verò ipſorum vitam riſus expertem, mœſtam, iniucundiſsimiſque affectibus, rebus & curis nullum exitum habentibus atteri atq; elidi videntes, nõ ipſi tantùm nullam ſibi reſpirationem aut alleuationem alicvnde quærere negligunt: ſed ne ſociorum quidem admonentium orationes admittunt. quas niſi repudiarent, & præſentia citra vituperationem ferre poſſent vtique, & præterita grato animo recolere, & in poſterum ſpe bona ac benigna vſi, abſque metu & ſiniſtra de vitæ ſuæ conditionibus ſuſpicione viuere.

PLVTARCHI

De Vitioſo pudore, commentariolus.

QVAEDAM eorũ quæ è terra enaſcuntur, cùm ſint ipſa per ſe ſylueſtria, ſterilia, & incremento ſuo noceant hortenſibus ſeminibus atq; ſtirpibus, agricolæ tamen pro certo indicio ſoli non mali, ſed egregij atque pinguis habent. Eodem modo animi etiã quædam ſunt affectiones non bonæ, ſed quaſi ger-

mina è bono pullulantia ingenio, & quod culturæ se satis exhibiturum sit tractabile. In his etiam vitiosum censeo pudorem. qui vt signum est non malum, ita causam prauitati præbet. Etenim sæpenumerò in eadem cum impudentibus peccata incidunt verecundi: nisi quòd his sua errata dolorem incutiunt, non, vt illis, voluptatem afferunt. nullo enim ob turpitudinem dolore impudens afficitur: in quem facilè etiam specie tantùm turpitudinis oblata prolabitur is qui ineptè verecundus est. Hoc vitij dysopiam Græci dixerunt, in quo pudoris modus exceditur: quòd vultus quodammodo cum anima deiiciatur. Sicvt enim Katepheian (hoc est mœsticiam) vocant dolorem oculos in terram deiicientem: sic verecundiam, præ qua intueri in alios nõ audemus, dysopiam dixerunt. Orator quidem impudentem in oculis non koras, (quę vox & virgines significat, & luminum pupillas) sed meretrices habere pronunciauit. At qui ad nimium propensus est pudorem, animum nimis effeminatum ac delicatum ipso prodit visu, verecundiæ honesto nomine prætexens molliciem suam, qua impudentibus succumbit. Sanè Cato dicebat adolescentes se eos magis probare qui erubescerent quàm qui pallescerent: recte condocefaciens probrum magis quàm reprehensionem timere, & suspicionẽ, quàm periculum. Veruntamen & nimius vituperationis metus, ac ad quemvis strepitum trepidatio, coërceri debet: quando sæpe non minore malè audiendi, quàm mala patiendi metu ducti, honestatem prodiderunt nonnulli ob impatientiam infamiæ. Ergo neque horum negligenda est imbecillitas: & nequaquam laudanda animi pertinax illa & rigida affectio.

Qualis Anaxarchi uis, quò se cunque canina
Verteret indomita, & pertendens prorsus, & audax.

sed concinna quædam vtrinq; temperãda est ratio, quæ

quæ & nimiæ pertinaciæ impudentiam, & modum excedenti lenitati imbecillitatem auferat. quæ quidem correctio difficilis est, neq; periculo vacat huiusmodi excessuum coërcitio. Sicvt enim colonus syluestrem plantam & invtilem exscindens, ligone viribus adacto nihil parcens radicitus etiam proruit, aut igne adhibito cremat: ad vitem autem, malum, vel oleam putandi gratia accedens, cautè manum admouet, metuens ne quid vtile lædat. sic philosophus ex animo adolescentis invidiam tollens, degener germen & intractabile, aut auaritiam intempestiuam aut studium voluptatis intemperans, sauciat, premit, vulnus altè redigit, cicatricémq; ducit magnam. quando autem delicatę ac teneræ parti animæ orationem correctricem applicat, qualis est quę nimio pudore subvertitur, summo studio cauet, ne imprudens simul cum vitio verecundiã eiiciat. nam nutrices etiam puerorum sordes dum detergunt, interdum carnem sauciant atque adfligũt. Itaque oportet adolescentibus non ita penitus vitiosum pudorem eximere, vt securi fiant nimísque inverecũdi. Sed sicvt qui domos demoliuntur tem plis vicinas, ij saltem continuas his partes sinunt atque suffulciunt: sic nimius pudor subruendus est, vt tamen caueamus ne simul cum eo confinia verecundiæ, æquanimitatis, & mãsuetudinis eiiciantur: quibus rebus se insinuat ille in animũ ad hoc vitij propensum, eúmque occupat, dum sibi is humanus, ciuilis, communi sensu præditus, non durus aut obstinatus videtur. Itaque iam inde à principio Stoici ipsis verbis pudorem à verecundia distinxerunt, ne ambiguitas vocabuli occasionem vitii habens relinqueretur. Ij tamen nobis hoc relinquant, vt vocabulis citra calumniam vtamur, atque adeo Homeri imitatione. Is enim dicit,

Sæpe uerecundis sua fert affectio damnum Ilia. ω, 45.
Grande, uerecundis sua sæpe affectio prodest.

& non malè priore loco eã dixit nocere. vtilis enim ratione demum fit verecundia, quæ ſublato exceſſu mediocritatem relinquit. Primo omnium perſuaſum eſſe debet ei, quem nimius pudor vrget, affectu ſe damnoſo teneri. nihil autem eorum quæ damnoſa ſunt, pulcrum eſt. neque debet laudibus delinitus gaudere, vbi comis & hilaris loco grauis, magnanimi, & iuſti dicitur: neque ſicvt Euripideus Pegaſus,

Pauens, magis quàm uellet ille, ſubdidit

ſe Bellerophonti, ita ipſe iis qui volunt ſe dedere ac ſubmittere, metuentem ne durus & immitis audiat. Aegyptio Bocchoridi, homini ingenio intractabili, ferunt ab Iſide aſpidem miſſam, quæ ſupernè capiti circumvoluta obvmbraret, vt iudicaret iuſtè. At pudor vitioſus languidis & mollibus incumbens, & nihil renuere, nihil dicendo refellere ſinens, cùm diſceptatores à iuſte dicenda ſententia abigit, tum conſulentium ora occludit: multáque cogit præter animi ſententiam dicere atque facere. & quanto quiſque eſt animo iniquiore, tanto is crebriùs in talem hominem imperium obtinet, impudentia ſua eum ad pudorem cogẽs. Vnde fit, vt dyſopia tanquam locus humilis & mollis, quia nullum congreſſum averſari, aut detrectare poteſt, turpiſſimis quibuſque rebus & vitiis occupandam ſe præbeat. Peſsima ſanè cuſtos ea puerilis ætatis: ſicvt & Brutus dicebat malè ſibi videri eum florem ætatis collocaſſe, qui nihil negare auderet. eadem peſsima thalami eſt & gynæcei adminiſtra. ſicvt apud Sophoclem adultero quædam corrupta ab eo dicit,

Tu blandiendo perſuaſiſti mihi.——

hoc adeò vitium intemperans ingenium corrumpere occupans, inſidiantibus omnia expugnatu facilia, recluſa, atque prona reddit. dando eas capiunt, quæ impuriſsima ſunt indole, perſuadẽdo & pudorem ineptũ iniiciendo ſæpe etiam probas ſubigunt. Mitto quæ damna is pudor adfert. quando eo ducti mutuum damus quorum ſuſpecta eſt fides: ſpondemus inviti, ac laudantes illud, Sponde, præſto noxa eſt, vti eo in rebus nequimus. Quàm multis exitio fuerit hoc vitium, non eſt enumeratu facile. Etenim Creo hæc ad Medeam dicens,

Præſtat iam nunc inuiſum me fieri tibi, Eurip. Med.
Ob molliciem quàm poſtmodo gemere meam,

aliis præclaram ſubiecit ſententiam: ipſe vitioſo victus pudore, vnicam diem petenti dum aſſentitur, familiam ſuam perdidit. Nonnullos etiam cędem ſibi aut venenum parari ſuſpicantes, pudor ineptus à tuenda ſalute deterruit. Sic periit Dio, non ignorans ſibi abs Callippo ſtrui inſidias, ſed ab amico & hoſpite ſibi cauere pudori ducẽs. Sic Antipater Caſandri F. cùm cœna excepiſſet Demetrium, vocatus poſtridie ab eo, quòd puderet fidem non habere ſibi habitam, iuit & à cœna eſt interfectus. Herculem Alexandri Magni è Barſina F. Caſandro Polyſperchon promiſit acceptis C talentis ſe interfecturum, atque ad cœnam invitauit. adoleſcens, cui ſuſpecta res metum iniiciebat, minùs integra ſe valetudine præſcripta excuſauit. vt autẽ Polyſperchon venit, & ô adoleſcentule, dixit, primò omnium facilitatem patris, atque erga amicos comitatem imitare, niſi me hercle nos vt inſidiatores times: ductus pudore vnà ad cœnam iuit, éſtque ab accumbentibus ſtrangulatus. Non ergo ridiculum eſt, vt nonnulli eſſe dixerunt, neque ſtolidum, ſed ſapiens Heſiodi præceptum,

Qui te amat, hic contáua inimico ſit tibi omiſſo. Operibus

noli eius qui te odit pudore moueri, neque ideò, quòd tibi is videtur fidem habere, cauere ab eo deſine. nam vocaberis ſi vocaueris, & cœna præbenti prębebitur, incredulitatem tanquam aciem cautio-

340.

nis pudore emollitam vbi dimiseris. Enimverò hoc vitium, vtpote multorum causam malorũ, primùm conabimur amoliri ab adsuefactione petito, ad res (vt solemus in aliis quę meditamur) exiguas initiò, & non admodum difficulter in quibus huic malo resistatur. Verbi gratia, In cœna tibi saturo aliquis præbibit: noli verecundia inepta ductus vim tibi facere, sed depone poculum. Alius inter pocula poscit vt tesseris secũ ludas: abiice inanem pudorem, neque metue dicteria: & Xenophanem imitare, qui timidus dictus à Laso Hermionense quòd ludere cum eo tesseris nollet, fassus est ad res inhonestas se timidissimum etiam esse. Incidisti in garrulum qui tibi inhæret ac te detinet: noli vereri, sed præciso colloquio propera & age quod cepisti. Huiusmodi fugæ & repulsiones, quibus vili reprehensione comitante fatui pudoris vacuitatem meditamur, ad maiora nos præparant. Atq; hoc loco tempestiuum est Demosthenicum illud commemorare. is cùm Athenienses ad ferendam Harpalo opem se, & adversus Alexandrum arma capessenda incitarent, ac subitò adveniente Philoxeno copiarum Alexandri maritimarum præfecto populus perterritus metu conticuisset: Quid, inquit, facient Sole conspecto, qui adversus lucernam oculos attollere nõ audent? Quid enim facies in magnis rebus, rege aut populo pudorem tibi incutiente, si nõ audes poculum præbibente familiari repudiare, aut garruli prehensionem effugere? Sed nugatorem tibi insultare pateris, non tantum animi habens, vt dicas, Aliàs te videbo, nunc non vacat? Vtilis est etiam in paruis & vilibus rebus exercitatio vacuitatis pudoris inepti, quod ad laudandum attinet. Puta, In conviuio citharœdus amici malè canit, aut magno emtus histrio Menandrum agendo flagellat, plerisque laudantibus & applaudentibus: non est equidem ita arduum, audire cum silentio, neque illiberaliter contra animi sententiam laudare. nam in hoc genus re si compos tui non sis, quid facies amico poëma ineptum recitante, aut orationem ostendente ridiculè fatuéque scriptam? scilicet laudabis, & adulatorũ obturbantium cateruæ te socium addes. quomodo ergo in rebus eum gerendis peccantem inhibebis? quomodo in magistratu, coniugio, aut republica delinquentem castigabis? Ego enim ne Periclem quidem probo, qui amico postulanti vt falsum pro ipso testimonium, idque iuratus, diceret, respondit, Se vsque adaras amicum esse. nimis enim propè accesserat. At qui eminus se adsuefecit, vt neque dicentem laudet diuersum sentiens, neque canenti applaudat, neque scurrilibus dictis arrideat: is rem eousque deduci non patietur, vt ipsi istis in rebus inepti pudoris vacuo dicat aliquis, Iura pro me, falsum perhibe testimoniũ, pronuncia iniustè. Eodem modo adsuescere debemus, vt pecuniam petentibus reluctemur in rebus neque magnis neque recusatu difficilibus. Etenim Archelaus Macedonũ rex in cœna aureum poculum poscente quodam, cui nihil pulcrũ videbatur nisi accipere, puerum id Euripidi dare iussit: & in alterum illum intuens, Tu quidem, inquit, ad petendum idoneus es, non ad accipiendum: ille autem ad accipiendũ, etiã non petens. rectissimè dandi ac donãdi arbitriũ iudicio, nõ inepto pudori deferẽs. At verò nos sæpenumerò hominibus probis, familiaribus, & indigentibus præteritis, aliis continenter ac proterue petentibus damus: non studio dandi, sed quia negare non possumus. Ita Antigonus senex à Biante crebrò interpellatus, Dare, dixit, Bianti & necessitati talentum. quanquam is quidem aliàs ita vt quisquã regum in huiusmodi petitoribus repellendis accuratus fuit atq; argutus. cynico enim cuidã drachmam postulanti, Non est, ait, hoc donum regium. & subiiciente illo, Da ergo talentum, respondit, Hoc accipere non est cynicum.

Sanè Diogenes in Ceramico ſtatuas circumibat, ab iiſq; ſtipem exigebat, mirantibúſque hoc dicebat, Meditari ſe repulſas. Nobis autem primùm in vilibus adſueſcendum eſt & paruis rebus, vt denegare poſsimus quæ petũtur incõvenienter: vt maioribus in rebus nobis nõ deſit copia opitulandi iis, quibus recuſatio adhiberi nõ debet. Rectè enim Demoſthenes, Nemo, inquit, præſentibus in quæ non debuit inſumtis, abſentium copiam ad vſus neceſſarios conſequetur. multiplicatur autem nobis turpitudo, ſi abvndãtes in ocioſis rebus, inopes ſimus in pulcris. Enimverò vitioſus pudor non in pecunia modò diſpenſanda prauos nos & iniquos, ſed etiã in maioribus rebus facit vt reſpuamus quod recta ratio vtiliter ſuggerebat. quippe ægrotantes, nõ peritum accerſimus medicũ, pudore nobis familiaris moti: & liberis magiſtros loco bonorum prę ficimus eos qui nobis operã ſuam obtrudunt: & litis noſtræ patrocinium non vtili & in foro verſato cõmittimus alicui, ſed gratificãdi ſtudio amici alicuius aut cognati filio eam oſtentandi ſui materiã offerimus: deniq; invenias, qui philoſophantiũ nomen gerentes, Epicurei aut Stoici fiunt non iudicio aliquo, ſed ob pudorem ineptũ vrgentibus familiaribus & amicis ſe addentes. Quæ cùm ſint, age dum in vilibus ac quotidianis rebus eminùs nos cõdoceſaciamus, vt neq; tõſore neq; pictore pudore inepto impulſi vtamur, neq; in diverſorio incommodo divertamus, omiſſo cõmodiore quod ad manũ eſt, quia caupo nos ſæpe ſalutauerit: ſed adſueſcendi gratia vtamur eo quod melius eſt, etiamſi leue ſit diſcrimen. quomodo Pythagorei obſeruabant, ne vnquam dextro femori ſiniſtrum imponerent, néve parem numerũ pro impari acciperẽt, cùm reliqua æqualiter haberent. Adſueſcendum eſt etiam, vt ad ſacrificium, nuptias aut conviuium invitemus non eum potiùs qui nos ſalutauit aut accurrit, quàm benevolum & vtilem. Qui enim

enim ſic fuerit exercitatus, is in maioribus non modò non capietur, ſed ne tentabitur quidem à vitio. Atque hæc de exercitatione dicta ſufficiant. De ratiocinationibus autem vtilibus prima hæc eſt, qua docemur & admonemur: Cùm omnibus aliis affectibus ac morbis animi ea comitari ipſa mala, quæ illorum opera evitare volueramus: vt ambitioni infamiam, cupiditati voluptatum dolores, molliciei labores, cõtentendi ſtudio damnationes & partes inferiores: tum verò inepto pudori hoc planè vſuvenire, vt qui eum ſecuti fumum fugiunt, in ignem incidant. dum enim verentur contradicere iniquè vrgentibus, poſtmodò pudore turpi afficiuntur in iuſtas illapſi accuſationes, & ob metum exiguæ repræhenſionis, plerunq; apertum dedecus ſuſtinent. Etenim amico pecuniam flagitanti, denegare ob ineptum pudorem non auſi, carentes ea ipſi, paulò poſt turpiter ſtant re patefacta. eodémq; modo polliciti ſe patrocinaturos alicui in iudicio, pudore alterius partis ducti vadimoniũ deſerunt. Multos etiam pudor vitioſus in ſtipulationem nuptiarum filiæ ſororíſve invtilem conjectos, mentiri mutata ſententia coëgit. Dixit quidam, nõ ſeriò tamen, ſed iocans, omnes Aſiæ incolas vni ſeruire homini, ideo quòd vnicam ſyllabam NON pronunciare nequirent. at qui improbè vrgentur ad peccandũ pudoris metu, ij etiam ſi nihil dicant, ſaltẽ ſublato ſupercilio, oculíſve in terram defixis, multa poſſunt adverſa ipſis & abſurda evitare miniſteria. Etenim ſilentium Euripides ſapientibus eſſe dixit reſponſum. videmur autẽ magis eo adverſus iniquos opus habere. Nam verbis quidem poſſumus placare vrbanos homines, ad quam rem in promtu ſunt habenda multa illuſtrium ac bonorum virorum dicta. quale eſt Phocionis ad Antipatrum, Non potes me ſimul & amicum habere & adulatorem. & Athenienſibus quadam in feſtiuitate iubentibus eum ſtipem conferre ac plau-

Quæ ineptũ pudorẽ comitẽtur mala.

dentibus, Pudeat verò me, inquit, si vobis contribuam, huic non retribuam, Callicle creditore suo monstrato. paupertatem enim non fateri turpe est, vt ait Thucydides, sed turpius re ipsa non effugere. At qui ob fatuitatem & molliciem passus sibi incuti pudorem, petenti dicere metuens,

Non est in antris argentum, hospes, candidum,

ac quasi pignus deinde promissionem emittit:

Non ære fabricatis hunc pudor illigat
Compedibus.—

Persæus cuidam sociorum argentum mutuò dans, in foro & apud mensarium contractum cõfecit, scilicet memor Hesiodei præcepti:

Quin etiam fratri testem ridens adhibeto.

Operib. 368

cúmque alter admiraretur, ac diceret, Adeóne Persæe omnia secundum ius? Omnino, respõdit, vt amicè recipiam, neque iure experiar in repetendo. Multi enim initiò ob pudorem vitiosum omissa cautione, deinde lege agere suscepta inimicicia opus habuerunt. Rursum Plato Heliconi Cyziceno epistolam ad Dionysium tradẽs, à probitate hominem & moderatione animi laudauit: sed epistolam his verbis clausit: Hæc ad te scribo de homine, quod animal natura est mutabile. Xenocratem verò, quãvis austeris hominem moribus, pudor tamẽ ineptus flexit, vt Polysperchonti commendaret hominem, vt res docuit, non probum. comiter enim exceptus à Macedone, & interrogatus ecqua re opus haberet, talentum petiit. dedit hoc Polysperchon: sed Xenocratem monuit per litteras, vt accuratiùs posthac examinaret quos commendare vellet. Atque hoc quidem Xenocrati ignoratione vsuenit. Nos autem sæpe cùm optimè nouimus malos, litteras tamen & pecuniam largimur, nobísque ipsis nocemus. neque id cum voluptate aliqua, vt qui scortis

tis adulatoribúsve donant: sed indignè interim molestéque ferentes impudentiam hominum, nostram rationem quæ vi facta subvertat. Quòd si aliàs, maximè ad eos qui nobis pudorem incutere volunt, dicere licet:

Intelligo bene quid facturus sim mali,

falsum dicturus testimonium, iniustè iudicaturus, invtilem legem probaturus, alienum æs contrahens eius causa qui non reddet. Neque verò vllus est animi morbus, vbi pœnitentia non iam consequatur, sed statim in ipsa actione præstò sit: vt fit cùm inepto pudori indulgemus. nam dantes molestiam percipimus, & testimonium ferentes pudore suffundimur, & adiuuamus cum infamia, & promissa non implentes convincimur. Quod enim ad contradicendum sumus imbecilli, fit vt multa recipiamus iis quibus cum viuimus, quæ præstare non possumus, vt commendationes in aulam, & ad principes: quia scilicet nolumus & non audemus etiam dicere, Non nouit nos rex, alios magis respicit. Lysander quidem, cùm à se animum Agesilai abalienasset, & ob gloriam tamen putaretur apud eum plurimum posse, non veritus est commendationem à se petentes ad illum reiicere, iubens ad alios ire, ac per eos rem tentare, qui largiùs ipso apud regem possent. Non enim turpe est non omnia posse: sed quod nõ possis, & ad quod factus non sis, id in te recipere & vi velle consequi, præter quàm quòd turpe, etiam molestissimum est. Rursum ab alio principio ordiamur. Oportet mediocria & conuenientia officia petentibus præstare alacriter, non victos incusso ab iis pudore, sed vltrò cõcedentes. in damnosis autem & absurdis semper Zenonis illud habere in promtu, qui cùm obviam esset factus adolescenti cuidam familiari suo iuxta murum sensim ambulanti, & audiret eũ fuga se subducere amico postulanti vt falsum pro ipso diceret

testimonium: Quid ais, inquit, stulte. iste improbè iniustéq; agens te non fugit, neque veretur: tu eum in iusta re subsistere non audes? Qui enim dixit nequiciam adversus hominem nequam non esse malam armaturam, is malè adsuefacere voluit nos vt imitando vlciscceremur maliciam. At impudenter nobis molestos, & ad vitiosum vrgentes pudorem, vacuitate pudoris amoliri, neque ob verecundiam hominibus perfrictæ frontis gratificari, opus est iustum ac rectum, & quidem hominis cordati. Iam obscuris, abiectis, & nullius precij hominibus, cum ij nos improbè incessunt, resistere non est magni laboris: sed quidam cum risu & sanna tales reiiciunt. vt Theocritus: qui cùm in balneo duo strigilem ab ipso vtendam peterent, alter peregrinus, alter notus furtorum, iocosè vtrunque remouit, dicens, Te non noui, te verò noui. Et Lysimache Athenis Mineruæ Poliadis antistita, cùm agasones sacra adportantes infundere iuberent: Vereor, inquit, ne hoc quoque in consuetudinem trahatur. Et Antigonus adolescenti cuidam egregij centurionis filio timido atque molli, cùm is ornari & produci ad honores postularet: Apud me, inquit, ô adolescens, propriæ, non patriæ virtutis sunt præmia. Verùm vbi is qui instat nobis, in honore est, & cum potentia (quod genus hominum difficilimè possunt averti & excusationibus flecti, cùm in iudiciis aut comitiis sententias nostras expetunt) fortassis neque facile, neque necessarium facto videatur id, quod egit Cato iuuenis etiamnum adversus Catulum. Is Catulus inter Romanos dignitate princeps, quo tempore censuram gerebat, ad Catonem accessit, tunc quæstorem, deprecaturus pro quodam, cui Cato multam dixerat. cúmque vrgeret precando, tandem impatientia impulsus Cato: Turpe est, inquit, Catule te censorem hinc discedere nolentem à lictoribus trahi. ita Catulus pudore perfusus, iratus abiit.

abiit. Moderationis & æquitatis plus habent dicta Agesilai & Themistoclis. Agesilaus in quodam iudicio iussus à patre sententiam à legibus alienam ferre: à te, inquit, mi pater iam inde ab initio edoctus sum legibus parére. itaque etiam nunc tibi obtemperabo, nihil in leges peccando. Themistocles Simonidi postulanti rem iniustam, Neque tu, inquit, poëta esses bonus, si contra carminis legem caneres: neque ego bonus magistratus, si iudicarem secus quàm est iustum. Et verò non ob pedis ad lyram inconcinnitatem, vt Plato dicebat, vrbes vrbibus, amici amicis infesti redditi extrema inferunt accipiúntque damna: sed ob iuris & legum violationem. & tamen sunt qui cùm accuratam in cantilenis, litteris, versibúsque seruent rationem, alios volunt in magistratu, iudiciis, actionibúsq; id quod rectum est negligere. quibus maximè hoc modo occurrendum est. Flagitat aliquid à te ius dicente orator, aut consulente in publicum? dic te morem ei gesturum, si in exordio solœcismum, aut in narratione barbarismum admittere velit. nolet enim, ob turpitudinis speciem: cùm videamus quosdã etiam vocalem cum vocali concurrentem in dicendo non ferre. Rursum aliquem illustrium virorum improbi aliquid abs te contendentem, iube saltando per forum exire, aut perverso vultu. si neget hoc, iam tuum est quærere, Vtrum sit turpius solœcismum facere, & vultum pervertere, an legem violare, periurij se obligare, iniustè malo quàm bono plus tribuere? Nicostratus Argiuus, Archidamum petentem vt Cromnum sibi traderet, ac promittentem eo nomine magnam vim pecuniæ, & Lacænæ mulieris quamcunque vellet matrimonium, negauit ab Hercule genus ducere. nam Herculem circumiuisse terras, vt malos interficeret: Archidamum conari de bonis malos facere. Ita nos quoque homini, qui vir bonus atque præclarus ha-

beri velit, postulanti aliquid improbius & vim facienti dicemus, Indigna eum sua nobilitate & virtute agere. In vitiosis autem hoc considerabis, an auarus tua importunitate possit eò adigi, vt talentum det mutuum absque syngrapha, aut ambitiosus, vt primo loco cedat, aut magistratus gerendi cupidus, vt petitionem dignitatis omittat spe proposita potiundi. Indignum quippe fuerit revera, cùm videamus hos in vitiosis istis affectionibus rigidos, invictos, immutabilésque pertendere: nos, qui profitemur honesti & iusticiæ studium, non esse nostrûm ipsorum compotes, sed subverti & prodere virtutem. Etenim si qui poscendo pudorem nobis volunt incutere, id faciunt gloriæ ac potentiæ parandæ gratia: absurdum est nos ornandis augendísque aliis, nobis ipsis dedecus & infamiam conficere. sicvt qui in certaminibus præmia iniustè tribuunt, & in designandis magistratibus suffragia ad gratiam ferunt: ij dum aliis perperam honores, coronas, & gloriam conciliant, seipsos bona opinione & honestate spoliant. Sin id pecuniæ causa faciunt, quî non videatur flagitium, nostram nos gloriam & virtutem prodigere, vt crumena alterius fiat onustior? Atqui hæc pleriſque ad animum áccidunt, neque fallit ipsos peccare se. sicvt qui magna pocula ebibere coguntur, ægrè & gementes vultúmque distorquentes perficiunt mandatum. Sed imbecillitas ista animi similis est temperamento corporis quod neque calorem possit ferre, neque frigus. Nam & laudati ab iis, qui petendo pudorem denegandi incutere volunt, protinus franguntur atque emolliuntur: & ad omnem reprehensionis strepitum, omnémque suspicionem repulsam petentium tremunt atque expauescunt. Oportet autem animo adversus vtrunque obfirmato, neque terrentibus neque adulantibus cedere. Equidem Thucy-

Thucydides docet, quandoquidem necessariò potentiam sequatur invidia, rectè eum sibi consulere, qui ob maximas res invidiam subeat. Nos autem invidiam haud difficulter vitari putantes, in reprehensiones autem vt non incidamus eorum, quibus cum viuimus, vtq; nunquam eos offendamus, fieri non posse videntes: ita bene rem instituemus, si iniquorum potiùs odia in nos suscipiamus, quàm accusationes iustas, vbi illis iniustè operam nauauerimus. Enimverò à laudibus, quas importuni isti in nos cõ ferunt, prorsum adulterinas, cauendum est summo studio, ne porcorum in morem pruritu & titillatione deliniti patiamur nos tractari ex istorum animi sententia, deinde que vltrò inclinantes. Nihil enim differunt ab his qui crura prosternere volentibus porrigũt, qui aures adulatoribus præbent. nisi quòd turpiùs subvertuntur atque cadunt, vel inimicicias ac malorum supplicia hominum dimittentes, vt misericordes, humaníq; videantur: vel contra inimicicias & accusationes non necessarias non sine periculo in se recipientes suasu laudantiũ, ac solos eos viros, solos adulationis vacuos, adeóque solos qui vocem & ora habeant appellantium. Tales Bio similes esse dicebat amphorarum, quæ auribus apprehensæ facilè circumferuntur. Quo modo Alexinum ferunt sophistam inter deambulandum multa mala dixisse de Stilpone Megarensi: cùmque eorum qui aderant quidam diceret, Atqui Stilpo te nuper laudauit: intulisse, Optimus namque vir est & generosissimus. Contrà Menedemus, audito se ab Alexino sæpe laudari, Ego autem, inquit, semper vitupero Alexinum. malus proinde homo est, vel qui malum laudat, vel quem bonus vituperat. Adeò is talibus rebus se mutari aut capi non sinebat: tenens nimirũ Antisthenei illius Herculis præceptum, qui pueros iubebat nemini ipsos laudãti gratiam habere. quod nihil aliud erat, quàm ne inepta verecundia capti,

Laudes suspectæ.

laudantibus viciſsim adularentur. Ac ſufficit, puto, illud Pindari, qui dicenti, Ego te vbiq; & apud omnes laudo, Reſpondit: & ego tibi gratiam refero: facio enim vt verax ſis. Quod itaque adverſus omnes animi prauas affectiones vtile eſt, eo maximè indigent, qui facilè ſibi vitioſum pudorem incuti patiũtur. vt quando victi eo vitio præter animi propoſitum peccauerunt atq; ſubverſi ſunt, arctè memoria complectantur, eíq; penitus infigant ſigna morſus atque pœnitentiæ, ac plurimum temporis iis recordandis & obſeruandis tribuant. Sicvt enim viatores vbi in ſaxum impegerunt, & nautę apud promontorium aliquod nauim ſicvbi alliſerunt, memores ſui caſus non iſta modò ad quæ offenderunt, ſed & ſimilia horum perpetuò horrent atq; vitant: ita qui vitioſi pudoris turpitudinem & damna continenter pœnitentiæ morſum ſentiente animo revoluunt, in ſimili re cohibebunt ſe ipſos, neque facilè rurſus in peccatum prolabentur.

PLVTARCHI

De fraterno amore, libellus.

ETVSTA Caſtorum ſimulacra Spartani Dokana, quaſi trabalia, appellant. ſunt autem duo ligna æqualiter invicem diſtantia, duob. aliis tranſverſis coniuncta. ac videtur communitas indiuidua eius ſigilli admodum convenire fraterno deorum iſtorum inter ſe amori. Horum ego imitatione vobis, Nigrine & Quinte, ſcriptum hoc dedico, dignum vobis donum. nam ad quæ libellus cohorta-

hortatur, ea vos iam agentes, teſtimonio potiùs ornari, quàm officij admoneri videbimini. gaudiúmq; è rectis perceptum actionibus iudicio permanſionẽ faciet ſtabiliorẽ, cùm probare vos facta veſtra bonis & honeſti ſtudioſis ſpectatoribus cernatis.

Ariſtarchus Theodectæ pater in ſophiſtarũ multitudinem illudens, olim ægrè ſeptem ſophiſtas inventos dicebat, nunc autem vix totidem reperiri, qui ſe non profiteantur litteratos. Ego autem noſtra ætate non minùs raram fratrum amiciciam video eſſe quàm fuerunt quondam odia fratrum. quorum exempla ob abſurditatem tragœdiis ac theatris ſunt publicata. omnes adeò homines hodie ſi in fratres incidant probos, haud aliter eos admirãtur, atq; Molionidas illos, quorum corpora in vnum coaluiſſe exiſtimatum fuit. vſúmque communem opũ, amicorum, & ſeruorum à parentibus acceptorum, non minùs incredibilẽ & mõſtroſum putant, quàm ſi vna anima duorum corporum manus, pedes, oculóſque regeret. Atqui exemplum vſus fraterni natura non longè à cõſpectu remouit: ſed in ipſo corpore pleraque neceſſaria fecit duplicia, germana, & gemella, manus, pedes, oculos, aures, nares. eo ſignificans, omnia hæc ſalutis & mutui auxilij, non diſſidij cauſa & pugnæ ſic eſſe diuiſa. ipſáſq; manus in multos atque inæquales ſciſſas digitos omnium inſtrumentorum accuratiſsimè & artificioſiſsimè parauit. adeò vt Anaxagoras ille priſcus humanæ ſapientiæ cauſam manibus imputauerit. falſò quidem hoc. Non enim propter manus homo eſt ſapientiſſimus: ſed quia natura eum ratione & arte prædiderat, inſtrumenta quoque talia eſt nactus. Id verò omnibus eſt manifeſtum, naturam ex vno ſemine ac principio duos, tres, aut etiam plures fratres gignere, non diſcordiæ ac repugnantiæ cauſa, ſed vt ſeparati faciliùs ſeſe mutuò adiuuarent. Quippe tri corpores illi & centimani, ſi quidem exſtiterunt

Fraternum amorem natura conuenire.

omnibus inter se membris concreti, nihil foris aut seorsim agere potuerunt. cùm fratres & manere, & peregrinari, & simul remp. gerere, atque agros colere mutuis operis possint: siquidem principiũ benevolentiæ ac concordiæ à natura inditum conseruent. quod si non faciunt, nihil differunt à pedibus invicem se supplantantibus, opinor, aut digitis contra naturam mutuò se implicantibus ac distorquentibus. Immò sicvt in vno eodémque corpore vnius communicatione naturæ atque alimenti humida & sicca, frigida & calida, concẽtu consensúq; suo temperiem corpori optimam suauissimámq; cõciliant, sine qua neque diuitiæ (vt dicitur) neque regnum quod homines diis æquat, vllam habẽt gratiam aut vtilitatem: si autem inter ista oboriatur seditio, altero alterum opprimente, fœdissimè animal corrumpitur atque perditur. sic ob fratrum concordiam, & genus floret, & viget familia, & amici familiaréque instar chori scitè instituti, nihil neque dicunt, neq; sentiunt aut faciunt.

At per dissidium uel pessimus est in honore,

scilicet obrepente aut calumniatore, seruo, aut adulatore extrinseco, aut ciue invido. Sicvt enim morbi corporibus suum aversantibus alimentum multorum absurdorum ac damnosorum ingenerant appetitionem: sic siniſtræ de cognatis suspiciones, consuetudinem malorum hominum adsciscunt, extrinsecus in locum eius quod deest affluentem. Sanè Arcadicus ille apud Herodotum vates, suo pede spoliatus necesse habuit ligneum assumere. frater autem ob dissidium cum fratre alienum è foro aut palæstra sibi socium accersens, nihil videtur agere aliud, quàm carneam & secum natam partem corporis vltrò amputans alienã apponere sibi. Ipse enim vsus amiciciam consuetudinémq; admittens ac desiderans, docet cognatos esse honorandos, colendos, atque conseruandos. cùm neque possimus, neque

que natura nos nostra sinat viuere sine amicis, atque commerciis solitarios. Itaque rectè ille apud Menandrum:

Non pocula & quotidianus luxus pater,
Nostras parant quibus res possimus credere.
Ingens profectò se inuenisse putat bonum,
Adeptus umbram amici nostrûm quisquis est.

Re vera enim pleræque amiciciæ nihil aliud sunt quàm vmbræ & imagines illius primæ, quam natura liberis erga parentes, fratribúsque adversum fratres ingenuit. quam qui non veneratur & colit, an is fidem facit vllam se aliis esse benevolum? aut qualis tibi videtur, qui socio in salutatione ac literis nomen fratris tribuens, ne eadem quidem via cum fratre sibi ambulandum putat? vt enim furiosum est, simulacrum ornare fratris, corpus eius pulsare & mutilare: sic nomen fratris in aliis venerari & colere, ipsum fratrem odisse & fugere, parum sani est, ac eius qui nondum in animum induxerit naturam sanctissimum esse ac maximũ sacrum. Memini me cùm Romæ essem, arbitrium inter duos fratres suscepisse, quorum alter videbatur sapientiæ studio operã nauare. erat autem, vt res docuit, nõ fratris modò, sed etiam philosophi falso titulo ornatus. me enim petẽte, vt cum fratre & indocto ita ageret, sicvt philosophum deceret: hæc, aiebat, tu verè ad rudem litterarum hominem diceres: ego autem nihil puto præclari esse in eo, quòd eodẽ ex vtero nati sumus. Tu verò, dicebam ego, satis ostendis, ne id quidem magni abs te fieri, quòd ex genitalibus natus es. At verò reliqui omnes, etiam si secus sentiant, tamen hoc dicunt atq; canunt, primum secundum deos honorem ac præcipuum parentibus naturam, & legem natu- *Pietas in parentes.*
ræ destinasse: neque diis quicquam gratius homines facere, quàm si parentibus alumnisq; suis veteres super nouis feneratas gratias benigne & alacriter persoluant. neque contrà maius est argumẽtum

impietatis, quàm parentum despicatus & in eos iniuriæ. Itaq; interdictum est nobis, ne aliis male faciamus: matri autem & patri non ita se dare, vt semper ea dicas atq; agas quibus lætentur, etiam si molestiam præterea nullam afferas, impium iniustúmq; habetur. Quæ autem liberorũ actio, quod officium, quæ affectio maiorem parentibus afferat lætitiam, quàm constans fratrum inter se benevolentia atque amor? Quid? nónne id facilè è contrario potest perspici? vbi enim vernam pater & mater à se in honore habitum filiis ignominia afficientibus, aut plantas & agros quibus ipsi gaudebant aliquando negligentibus molestiam capiũt, domíq; natus canis aliquis aut equus non curatus sæuum humanorum atq; liberalium animos tangit, & ægrè ferũt à liberis cantus, spectacula, aut athletas quos probauerant ipsi, despici aut exsibilari: æquóne iidẽ ferre animo possint filios inter se discordias alere, odia gerere, maledictis mutuis incessere, in omnibus rebus & actionibus invicem se opponere, denique vnum ab altero everti? non, puto, quisquam hoc dixerit. Ergo contrà amantes ac diligentes mutuò fratres, & quãtum natura corporibus deiunxit eos, tantum animi affectionibus & actionibus in vnum coeuntes, & studia, orationes, deniq; seria & ioca omnia inter se cõmunia habentes, suauẽ & beatum senectutis parẽtum alumnũ mutuũ amorẽ parant. Nemo vnquã pater ita dicendi, honorũ, pecuniæ studiosus fuit, vt liberorum. itaque neq; discentes, neq; magistratum gerentes, neque rem augentes filios tam suauiter vident, quàm mutuò amantes. Apollonidem Cyzicenam, Eumenis regis matrem ac trium præterea filiorum, Attali, Philetæri, et Athenæi, prędicasse subinde se beatam, diisq; egisse aiunt gratias, non propter diuitias vel imperium: sed quòd tres filios videret natu maximi esse satellites, eúmque in medio ipsorum gladios hastáisque ferentium absque metu versari.

versari. Contrà Xerxes Ochum filiium insidias fratribus struxisse cùm comperisset, mœrore est exstinctus. Inimiciciæ enim fratrum cùm sint, vt dixit Euripides, graues, parentibus ipsis sunt grauissimæ. quippe qui fratrem suum odit, eúmque fert molestè, non potest non & patrem eius & matrem incusare. Equidem Pisistratus filiis iam adultis aliam ducens vxorem, dicebat quia hos bonos præclaróque esse putaret, velle se plurium his similium patrẽ fieri. Boni autem & iusti filij, non modò gratia parentum magis se invicem diligent: sed parentes quoque ipsos vnus propter alterum: itáque & sentient & dicent, se his cùm ob multa alia bona debere gratiam, tum maximè ob fratres: scilicet hos à parentibus consecutos, rem omnium quæ habentur pretiosissimam ac suauissimam. Pulcrè etiam Homerus facit Telemachum calamitatis loco deputare, quòd fratre careret:

Vsq; adeò nostram gentem Saturnius orbam Odyss. ω, 117
Reddidit, vt me stirps dependeat omnis ab vno.

Hesiodus autem non bene præcipit, vnicum filium debere paternorum esse hæredem bonorum: & quidem Musarum discipulus, quæ quia ob benevolentiam & amorem sororium simul semper degerent, Musæ quasi homũ vsæ dicuntur? Ergo parentum respectu fraternus amor talis res est, vt qui fratrem diligit, is simul demonstret parentes quoque à se amari. Liberis autem eadem res exemplum mutuò amandi præbet, quo efficacius nullum inveniri possit. sicvt ab altera parte pessimum mutuò odia gerẽdi studium iidem specimen parentum secvti suscipiunt. Qui enim filios ad concordiam cohortatur, cum ipse in litibus, rixis, & certaminibus fraternis consenuerit, is Oper. 374.

Aliis mederi vult, ipse ulceribus scatens:

factísq; suis orationi vires adimit. Quis verò nõ despiceret Eteoclem illum Thebanum, si hæc aduersus fratrem fatus,

Eurip. Phœniss.

Ad solis ortum sita sidera scandere uelim, & Subire terras, hoc si possim consequi, Deorum maxima ut potiar tyrannide:

suis liberis præciperet

Aequalitatem colere, quæ urbes urbibus, Socios; sociis, iunctos iunctis fœdere Deuincit obligatq;. soliq; omnium In rebus humanis huic est permansio?

Aut quis tibi videretur Atreus, si tali prandio fratri exhibito, filios suos hac sententia institueret?

Vsus equidem cognato iunctis sanguine In rebus aduersis opem fert unicus.

Odium fratrũ quale.

Expurgandum est ergo odium fratrum, quod & parentum senectutem malè alit, & pessimè liberos educat. Adde, quòd etiã apud ciues criminibus obiicit. existimant enim ex tanta necessitudine, conuictu, & familiaritate fratres ad inimicicias delabi nunquam potuisse, nisi multorum & atrocium sibi invicem essent flagitiorum conscij. quippe magnas oportet esse causas, quæ magnam benevolentiam amiciciámq; dissipent: vnde fit, vt non facilè locus sit reconciliationi. Nam sicvt quæ compacta sunt, etiam glutine soluto rursus colligari ac coire possunt: corpus autem quod natura vniuit si rumpatur aut scindatur, difficulter glutinari aut rursum potest coalescere. ita quas vsus contraxit amicicias, eę discidio accidente nullo negocio redintegrantur. fratres vbi naturali amore exciderunt, neq; in gratiam facilè redeunt, & reconciliatio semper cicatricem sordidam ac latente malo infectam retinet. Enimverò omnis homini aduersus hominem inimicicia cum maximè molestis animi subiens affectionibus, studio inquam contendendi, ira, invidia, memoria iniuriarum, dolorem animo perturbationémq; adfert. Sed aduersus fratrem susceptæ, cum quo sacrificia sunt, & sacra parentum, sepulcrúmq; cõmunia, com-

communis etiam, aut saltem vicina domus, ante oculos expositam habet molestiam: quotidie in memoriam redigens væcordiam, qua factum est vt iucundissimus vultus adspectu iam sit invisissimus, & terrori summo vox à puero grata ac familiaris. multos quoq; alios fratres videntes eadem domo ac mensa & non diuisis inter se prædiis ac mãcipiis vti, ipsi amicos etiam hospitésq; diuersos habẽt, inimica omnia ducentes quæ fratri sint accepta. cùm quidem omnibus hoc facilimum sit ratiocinari, Amicos & compotores, affines & familiares parari alios posse, prioribus armorum instar aut instrumentorum perditis: fratrem recuperari non magis posse quàm manum abscissam, aut erutum oculum. Præclarè etenim mulier illa Persica dixit, cùm fratris salutem saluti liberûm antetulisset, Posse aliam se prolem nanciscì, fratrem autem, amissis parentibus, nullum. Quid ergo agendum est, diceres, si cui malus obtigerit frater? Primò omnium tenẽdum hoc est, vitium omni amiciciæ generi se insinuare: &, vt est apud Sophoclem,

Malus frater vt tractandus.

Mortalium res si cuncta examines, Inuenies in plerisq; turpitudinem.

nam neq; cognatorum, neq; sodalium, neq; venereus amor sincerus, purus, nullóq; vitio suffusus reperietur. Equidem Laco quidam cùm pusillam duxisset vxorem, dicebat de malis minimum esse deligendum. Fratribus autem modestè hoc suaseris, vt familiarissima potiùs sustineant mala, quàm aliena experiãtur. illud enim quia necessitas imponit, culpa & crimine vacat: hoc quia sponte suscipitur, repræhensioni est obnoxium. Non enim compotori nos, non æquali, non hospiti

Sine ære factis compedibus pudor obligat:

sed consanguineo, simul educato, eundem patrem, eandem matrem habenti. huius & peccatis quibus-

dam ignoscendum est,& dicendum fratri aliquãdo,

Odyss.v, 331 *Non ego deserere, aut miserum te linquere possum,*

vitiosúmq; vel insipientem, ne imprudens odio in te meo vitium aliquod à paterno maternóve semine tibi ingenitum in te acerbiùs puniam. Etenim alienos,vt aiebat Theophrastus, non amando iudicare debemus, sed iudicium amori præmittere. vbi autem natura iudicio ad contrahendam benevolentiam non concedit prærogatiuam, neque præstolari sinit sermone tritum illum salis modium,sed amiciciæ principium inseuit:ibi non morosi, neq; accurati debemus esse delictorum censores. Nunc quid his faceres , qui peregrinorum & alienorum hominum , cum quibus vitiosam amicitiam in conuiuio, lusus,aut palæstra coiuerunt, facilè tolerantes peccata , & cum voluptate, fratribus se acerbos & implacabiles exhibent? cúmq; & canes iracundos , & equos , quinetiam lynces,feles,simias,leones alant atq; ament,iras fratrum,aut insciti as , aut ambitiones nõ sustinent? alij cum pellicibus aut scortis domos agróq; perscripserunt, de area domus atq; angulo cum fratre duello decertant:deinde malorum odium suo in fratrem odio præscribentes,obambulant fratri maliciam obiiciẽtes , quam in aliis etiam magnam tolerant eaq; vtuntur.Atq; hoc quidem sit totius exordium disputationis . Principium autem doctrinæ sumemus non,vt alij à diuisione bonorum paternorum , sed à vitando vitioso demerendorum adhuc viuentium parentum certamine atq; obtrectatione. Agesilaum Ephori multauerunt , quòd is vnicuilibet senum designato bouem præmium virtutis dono mitteret,eámq; attulerunt rationem facti,quod publicos largiendo priuatim sibi conciliaret suósq; faceret . Filio autem rectè hoc suaseris, vt parentibus colendis non sibi soli eorum benevolẽtiam captet,inq; se vnum eam deriuet. quomodo multi fratres astu supplantant,iniusticiæ huius specioso,

Fratrum officium, viuis parentibus.

cioso,sed iniusto vsi prætextu. maximũ enim & præstantissimum bonorum paternorum , benevolentiá parentum iis adimunt,illiberaliter & veteratoriè capta occasione ipsis occupatis occurrẽtes, & ignorationibus germanorum insidiantes,inq; his maximè compositos se,dictóq; parentum audientes,ac modestos gerentes,in quibus peccare fratres,aut delicti suspectos vident. Atqui contrà fratris est opus vbi irascuntur fratri parentes,partem iræ subire atque in se recipere , eámq; velvti labore adiuuando faciliorem reddere. ministerij & captatæ gratiæ in societatem quocunq; modo eundem admittere atque adoptare : & vbi is occasionem aliquam neglexit,eum excusare vel aliam occupationem eius præscribendo,vel naturam ad alias res aptiorem. Rectè etiam Agamemnon de fratre:

Non hunc desidia, aut uæcordia uana moratur, Iliad.ν,122
In me respiciens sedenim, nostrosq; subinde
Expectans cessat conatus, ——

sibi hoc muneris à Menelao relictum dicens. Liberter etiam nominum permutationem admittuut parentes,fidémq; adhibent filiis , cùm socordiam fratris simplicitatis,prauitatẽ dexteritatis , pertinaciã animi contemtũ non ferentis nomine velant.vt qui sic fratrem in gratiam reponit, simul & iram aduersus eum conceptam minuat, & patris erga se augeat benevolentiã.Purgato ad hunc modum fratre , iam is ipse arripiendus est , ob peccatúmq; seriò obiurgandus,& liberè ostendendũ vbi officium prodiderit.Nam neq; negligendus est frater peccans , neq; insultandum peccanti: quorum hoc est gaudium ex alterius malo capientis , illud peccandi societatem ineuntis.sed curam se fratris gerere , & dolorem ex ipsius incommodo sentire ostendet qui castigat.Vehementissimè autem fratrem corã incusare potest, is qui ei studiosissimè apud parentes fuit patrocinatus.Quòd si frater iniuria culpetur, in aliis quidem

rebus iras parentum ferre atq; indignationes, iisq; in omnibus ministeriis, operam nauare æquum est: patrocinium autem & excusatio fratris absq; culpa malè audientis apud parentes, res sunt nullam merentes reprehensionem, atq; pulcræ. neq; in hoc genere metuendum est illud Sophocleum,

O pessime fili, cum patre disceptans tuo:

cùm tu libera voce vtaris pro fratre quem iniquiùs tractari arbitraris. ipsis enim parentibus, vbi conviuntur iniuriæ, in hoc litis genere cadere causa quàm vincere est iucundius. Cæterùm vbi mortuus est pater, rectum est fratres magis etiam quàm priùs benevolentiæ mutuæ esse tenaces. ita vt primùm in deplorando ac mœrendo societas quædam cernatur: deinde suspiciones ac calumniæ seruorum atq; aliorum quorum alij huic fratrum, alij alij sese accõmodant, repellantur. credantq; fratres cùm alia esse vera, quæ de Castorum fraterno amore fabulis sunt prodita, tum quòd Pollux quẽdam de fratre nescio quid rumusculi sibi insusurrantem pugno impacto trucidauit. Deinde ad herciscundam familiam non ita se conferent, vt priùs bellum sibi invicem indicant. sicvt vulgò solent exclamare,

Fratrum officium, mortuus parentibus.

O tumultuatio, belli filia,——

& parati ad fraudem rixámque adire. Sed illi diei maximè est adhibenda cautio, quæ aut discordiæ inimiciciæque implacabilis, aut concordiæ amiciciæque erit principium. Itaque pro se maximè, si verò id fieri non possit, communi amico & omnibus fauente adhibito teste, iusticiæ suffragiis, vt Plato ait, quæ amicè ac convenienter possunt dantes accipientésque, ita sentient, curam rerum ac dispensationem inter ipsos esse diuisam, vsum & possessionẽ in medio positam omnib. integrámq; relinqui. Qui verò nutrices, pueróſq; vnà educatos & familiares in auctione superato fratri avellunt, discedunt mancipio vno re aucta, cùm interim id vendiderint,

rint, quod de bonis paternis maximum est atque honoratissimum: amiciciam fratris inquam, & fidẽ. Nouimus porrò quosdam nullo proposito lucro, cõtendendi tantùm studio hæreditatem à parentibus relictam nihilo creuisse æquiore animo, quàm si ad spolia ex hoste diripiẽda venissent. quorum è numero Charicles erant & Antiochus Opuntij: qui argenteo poculo in duas discisso partes, itémq; veste, ita discesserunt, ac si imprecatione aliqua tragica coacti fuissent

Hæreditatem acuto ferro herciscere. *Eurip. Phœniss.*

Sunt qui etiam iactanter aliis prædicent, quòd in diuisione versutia, vehementia, & impostura vsi plus fratribus abstulerint. cùm eo se deberent iactare, si æquitate, gratia, & concedendo superiores fuissent. Proinde dignum est memoria factum Athenodori: quod quidẽ omnes nostrates cõmemorant. Habuit hic fratrem Xenonem natu maiorẽ: qui in tutelæ administratione cùm multa prodegisset, tandẽ ob raptũ mulieris damnatus est in iudicio, bonáq; ipsius in fiscum Cæsaris sunt redacta. Erat tũ adolescens Athenodorus, imberbis etiamnum. cui cùm esset pars opum reddita, non neglexit fratrem, sed omnibus in medium expositis, denuò cũ eo partitus est: cúmq; inter diuidendum multis à Xenone afficeretur iniuriis, neq; indignatus est, neq; mutauit factũ: sed mansueto hilariq; animo tulit fratris sui væcordiam, in tota Græcia nobilitatam. Solon quidẽ effatus de republica, Ab æqualitate nullã proficisci seditionẽ, visus fuit nimis gratificari vulgo, & arithmeticam proportionem, qua populo ciuitatis gubernatio traderetur, loco pulcræ istius geometricæ introducere. Qui aũt in re familiari fratres hortatur, maximè quidem vt quod ciuibus præcipiebat Plato, Meum & tuũ exterminent: si verò id fieri nequeat, saltẽ vt æqualitatem colant atq; teneant: is egregium concordiæ & pacis fundamentũ iaciens,

identidem etiam illustribus hoc exemplis confirmet. Quale est Pittaci, qui à rege Lydorum interrogatus an pecunias possideret: Duplas respõdit se potuisse habere, siquidem voluisset fratre mortuo. Sed quoniam non tantùm in pecunię possessione ac defectu id quod minus est, inimicum exstat ei quod habet amplius: sed in vniuersum, vt Plato ait, inæqualitatẽ motus, æqualitatem status ac permansio sequitur: fit vt omnis quidem inæqualitas cum periculo discordiarũ inter fratres sit cõiuncta: & tamen iidem in omnib. pares esse nõ possint rebus. quædã enim ipsa statim natura inæqualiter distribuit, alia fortuna vitæ insequentis. discordiæ porrò invidiam ingenerant, & obtrectationẽ, turpissimos morbos, ac non familiariũ modò, sed & vrbium pestes. Huic itaq; etiam incõmodo est quantum res patitur obviam eundum. Ergo ei qui fratres præstat hoc consuluerim, primùm vt quib. rebus videtur excellere, eas cõmunicet cũ fratribus, amicéq; eos in suæ gloriæ partem adoptet. (eloquentia, verbi gratia, antecedis fratrem: vtendam ei tuam facultatem, tanquã cum ipso cõmunem, prębe.) Deinde non fastum aut superbiam vsurpando, sed demittendo se placidè, præstantiam suã invidiæ securam reddat, ac fortunę inæqualitatem cõpenset quantum eius fieri potest moderatione animi. Sic Lucullus noluit prior fratre minore natu magistratum gerere, sed suo anno prætermisso, fratris annum præstolatus est. Pollux ne deus quidem solus, sed semideus vnà cum fratre esse voluit, ac in partem mortalitatis venire, vt immortalitate eum sua impertiret. Tibi verò, dixerit aliquis, mi homo licet nihil tuorum bonorũ deminuenti æquare vnáq; exornare fratrem tuum, concedenti tanquam vsumfructum ei gloriæ virtutisq; tuæ, aut prosperitatis. sicvt Plato fratribus suis celebritatẽ nominis parauit, cùm eos in pulcerrimos suorum librorum inseruit, Glauconem & Adimantum

Inæqualitati fratrum vt medendum.

tum in Rempublicam, Antiphontem natu minimũ in Parmenidem. Præterea sicvt ingeniis & fortunis fratrum inæqualitates insunt, ita fieri nequit vt alter in omnibus omnino rebus altero potiores ferat. Elementa quidem aiunt ex vna eadémque materia orta esse, cùm diuersissimæ tamen eorum sint facultates. Nemo autem vnquam vidit duos fratres eodem patre ac eadem matre natos, quorum alter esset Stoicus, simul sapiens, pulcer, gratiosus, liberalis, honoratus, diues, facundus, disciplinis honestis deditus, humanus: alter turpis, invenustus, ignobilis, illiberalis, pauper, infans, illiteratus, inhumanus. sed inest etiam obscurioribus & abiectioribus quædam tamen vtcunque portio gratiæ, aut facultatis, aut ad præclarũ aliquid aptitudinis à natura insita.

Inter echinopodes velut, asperam & inter Ononin
Nascuntur passim mollia leucoia.

Ergo isthæc, qui in aliis præstare videtur si non deprimat neque occulter, neque tanquam in certamine omnem palmam præripere fratri laboret, sed cõcedat ei, inq; multis rebus eum quàm se plus valere fateatur, identidem invidiam occasione, velvt materia igni subtracta exstinguet. immò ne exsistere quidem & conflari invidiam sinet. Qui autem his ipsis in rebus, quibus se anteire nouit, fratris operã consiliúmq; adsciscit, vt rhetoricæ peritus in agenda causa, ciuilis rationis gnarus in rep. gerenda aut actionibus ad amiciciam pertinentibus, deniq;, vt verbo dicam, qui nulla in re memorabili & honoré conciliante fratrem suum omittit, sed omnium pulcrorum eum socium facit, præsenti vtitur, absentẽ expectat, planéq; id significat, se non minùs illo ad agendum idoneum, gloria tamen & facultate cõcedenda vincere: is nihil sibi adimens, fratri magna addit ornamenta. Atque hæc præcepta sunto prę̃stãtiori. Rursum qui inferior est, cogitet non vnum ac

solum fratrem ipse locupletiorem, aut doctiorem, aut gloria splendidiorem esse: sed in multis se à multis superari atque adeò innumeris,

Telluris amplæ qui fruuntur frugibus.

Quod si aut omnib. invidens obambulat, aut de tam multis beatis solus eum vrit is, qui vt sanguine proximus, esse debuit carissimus: certè hoc infelicior nemo quispiam alius possit dici. Proinde sicvt Metellus cẽsebat debere Romanos diis gratias agere, quòd Scipio, cùm talis esset, non alia in vrbe exstitisset: ita vnusquisq; in votis habere hoc præcipuè debet, vt ipse aliis possit felicitate anteire. sin verò, fratri id optare excellentiæ, quod ipse expetebat. Invenias autem ita infelices in rebus pulcris æstimãdis quosdam, vt cùm ob amicos illustres gaudio efferãtur, multúmq; sibi tribuant quòd hospitio virorum principum ac diuitum vtantur: splendore fratrum suis offici luminibus iidem opinentur. cúm que ob parentũ res bene gestas, proauorúmve prẽturas, vnde ad ipsos nullus redit fructus, sese iactẽt, propter fratrum hæreditates, magistratus, illustres nuptias animo cóncidant & sint in mœsticia. Atqui conveniebat omni prorsum vacare invidentia: aut si hoc fieri non posset, foràs eam convertere & in alios deriuare, imitarique eos, qui seditionem è ciuitate in hostes transferunt.

Iliad. ζ. 227 *Nam mihi sunt multi Troes, socijq; uocati,*
Inq; uicem multi tibi sunt de gente Pelasga,

quibus invideas, cum quibus æmulationem exerceas. Non debent aũt fratres lancium instar in trutina alter altero elato deprimi, humiliato extolli. sed alter alterius bonis vnà augeri ac vicissim ad crescendũ aliquid momenti adferre. quo pacto exigui numeri magnis vltrò citróque mutliplicando simul excrescunt. Quippe etiam inter digitos is qui scribere aut psallere nescit, id sciente non est deteriore

riore conditione, sed mouetur vnà, & omnes quodammodò mutuas tradunt operas: tanquam dedita opera facti inæquales, itáque oppositi, vt parui maioribus adiumento essent. Sic Craterus Antigono fratre regnãte, & Casandro Perilaus, ad munera legati obeunda, & administrationem rei familiaris sese contulerunt. Contrà Antiochi, Seleuci, Grypi, Cyziceni, cùm non didicissent secũdo à fratribus esse loco, sed purpuras ac diademata appeterent, seipsos invicem, ipsamq; adeò Græciam multis calamitatibus oppleuerunt. Cæterùm quandoquidem ambitiosis præsertim ingeniis invidia atq; obtrectatio incidit adversus honore aut gloria prẽstantes, vtilissimum hoc loco fratribus est, ne ab iisdem honores dignitatésque petant, sed alij ab aliis. nam feræ quoque inter se pugnant, quæ alimentum iisdem ex rebus captant: & adversarij invicem sunt athletæ, qui eidem certamini studeant. cùm interim pugiles pancratiastis, & stadium currentes luctatoribus faueant, studióq; & opera adsint. Ita etiã Tyndaridarum alter Pollux pugillatione, Castor alter cursu vincebat. Rectè etiam Homerus Teucrum fecit arte sagittandi inclytum, Aiace fratre inter grauis armaturæ pedites principe,

Illum qui clypeo splendente subinde tegebat. *Ilia. 8, 272.*

Sic & in repub. prætores oratoribus popularibus rarò invident, & de oratoriam artem tractantibus cau sidici sophistis, & de medicis ij qui victus rationem præscribunt chirurgis: sed mutuò se adiuuant atq; commendant. At gloriam velle & admirationem captare eadem ex arte aut facultate, inter prauos perinde est, ac si duo aliqui eandem amantes mulierem, vterque plus altero placere laboret. Sanè qui diuersis incedunt itineribus, nihil sibi mutuò prosunt. Qui autem vitæ genera sectantur diuersa, ij & invidiam declinant, & faciliùs alter alteri est adiumento. quales fuerunt Demosthenes & Chares, rur

súmque Aeschines & Eubulus, item Hyperides & Leosthenes: cùm alteri ad populum orarent & referrent, alteri exercitum ducerent ac res gererent. Itaque fratres, vbi citra invidiam communicare gloriam & potentiam nequeunt, quàm longissimè debent alter ab alterius studiis & ambitione animum divertere: vt decore parto exhilarare mutuò, non molestia afficere possint. Enimverò præter hęc omnia cauendum est ab affinium, domesticorum, mulierúmque prauis sermonibus, qui nonnunquá ambitioni nostræ succenturiati feruntur: Frater tuus, aiunt, omnia est, omnes eum admirantur & colunt, ad te nemo accedit, nullo es in honore. Ego verò, diceret homo sanæ mentis, fratrem habeo laude florentem, cuius ad me gloriæ maxima pars pertinet. Dixit quidem Socrates, malle se Dariũ habere amicum, quàm Daricum. Sed fratri rectè sentienti non minori bono cedit frater magistratum gerens, dues, aut facúdia clarus, quàm si hæc ipsi obtigissent. Atq; hoc potissimùm modo istæ inæqualitates debent excusari. Verùm ætatis ratione aliæ inter non rectè institutos fratres incidunt statim discordiæ. Etenim natu maiores iunioribus dum volunt imperare ac præesse, omníq; in re eos gloria & potentia anteire, molesti sunt & iniucundi. cõtráq; minores frænum aversando & ferociendo ad despectum & contemtum maiorum se adsuefaciunt. hinc fit, vt & iuniores fugiant, ægréq; ferãt admonitiones maiorum, invideri sibi, séq; opprimi ab iis putantes: & natu maiores excellentiam vndiquaq; affectantes, minorum incrementa timeant, tanquam ipsos deiectura. Enimverò sicvt in beneficio volunt gratiam ab hoc qui eam init minorem, ab eo in quem confertur maiorem æstimari: ita si quis præcipiat maiori vt ne magnum aliquid putet esse ætatem, minori vt ne paruum, vtrumque despectu, neglectu, contemtúq; alterius liberauerit. Et quoniam maiori curam gerere,

Aetatis discrimina, & decorum.

rere, præire, castigare convenit: minori honorare, imitari, sequi: procuratio socialis magis esto quàm paterna, plúsq; persuadendo quàm imperãdo agat, multóq; & alacrior & humanior sit in gratulatione & collaudatione rectè factorum, quàm in culpandis plectendísq; delictis. & minoris æmulationi adesto non cõcertatio, sed imitatio. hæc enim est admirantis, illa invidentis. vnde est, quòd amantur, qui similes fieri student: ægrè tolerantur & reprimũtur, qui æquari contendunt. Inter multa, quæ honoris gratia deferre minores natu maioribus debẽt, maximè laudatur obedientia: quæ cum reverentia validam gignit benevolentiã, gratiámq; vicissim obsequentem. Hac ratione Cato Capionem ætate priorem à puero demerens obedientia, mansuetudine, & silentio, tandem in virili ętate ita suum fecit, tantámq; sui in eius animo excitauit reverentiã, vt ipso ignoráte nihil egerit Capio, nihil dixerit. Memoriæ mandatum est, cùm tabellas testimonij quodam tẽpore obsignasset Capio, Catonem qui posteà supervenisset, addere suum sigillum noluisse. tum Capionem repetiisse tabellas, ac sigillum abstulisse suum, priusquàm intelligeret qua de causa frater non credidisset, & testimoniũ suspectum habuisset. Cõspicua est etiam magna fratrũ erga Epicurũ reverentia, ipsius procuratione & benevolentia parta, cùm aliis in rebus, tum quòd philosophandi rationem eius quasi diuino quodã perciti furore sectati sunt. nã tametsi opinionis errore decepti sunt, statim à teneris vnguiculis pro certo hoc habentes & profitẽtes, Neminem exstitisse Epicuro sapientiorem: tamen dignum est mirari & eũ qui ipsos sic animauit, & ipsos ita affectos. Sed & de recentioribus philosophis Apollonius peripateticus refutauit eum, qui gloriam cõmunicari posse negauerat, cùm Sotioni fratri suo natu minori decus honorémq; cõciliasset. Mihi quidem ipsi ad reliqua, ob quæ Fortunæ gratias agere

debeō, acceſsiſſe Timonis fratris & conſtare benevolentiam, nemo eorum ignorat, qui quovis modo mecum rem habuit: minimè omnium vos familiares mei. Sunt porrò fratribus ætate propinquis etiam alia quædam cauenda, exigua quidem hæc, ſed continentia & crebra, prauúmque invicem offendendi iritandíque ſtudium ingenerantia, quod in immedicabile odium, extremámque abit malevolentiam. Orſi enim à contentionibus de rebus ludicris, puta de alendis animalibus, & eorum pugnis, vt coturnicum & gallorum, deinde certaminibus puerorum in palæſtra, canum in venatione & equorum: continere ſe in maioribus rebus poſtmodo, & cupiditatem contendendi ambitioſam reprimere non poſſunt. Ita Græcorū noſtra ætate potentiſsimi ſtudiis hiſtrionum, mox citharœdorum diuerſis in diſcordiam prolapſi, deinde de lauacris Aedepſiis, cœnaculis, ac conclauibus altercantes identidem atq; de locis pugnantes, & aquæductus incidentes atq; aliò avertentes, ita ad extremum efferati ſunt atq; perditi, vt omnibus bonis à tyrāno ſpoliati, ac pauperes & exſules, adeóq; tantum non alij quàm fuerant antè facti, priſtina duntaxat invicem odia retinuerint. Ergo æmulationi & contentioni cum fratribus in rebus vilibus & primo occurrentibus ſe inſinuanti, non leui opera eſt reſiſtendum, meditandúmque eſt vt concedere & vinci diſcamus, gaudeamúſq; gratificando iis potiùs, quàm ſuperādo. non enim Cadmeam victoriam priſci aliam, quàm fratrū apud Thebas, vt turpiſsimam & peſsimam, appellauerunt. Quid? inquies. nónne etiam his qui placido & moderato ſunt animo, ipſæ res ſæpenumero anſam præbent diſſenſionis & contradicendi? Omnino quidem. Sed hîc quoq; curandum eſt, vt contentio ſit cauſarum, neq; ab ira aut contēdendi ſtudio iis quidam velvti vncus inſeratur. Ius velvti pro bilance adhibendum eſt, & cōmuni cura eius momentum conſiderandum: ac controverſia iudicio ſtatim arbitríſq; permiſſa, ex animo eluēda priùs eſt, quàm næuum aliquem aut maculam inhærentem & expurgatu difficilem imprimat. Imitandíq; ſunt hoc loco Pythagorei, qui non generis, ſed doctrinæ dūtaxat ſocietate iuncti, ſi quādo per iram ad maledicta prorupiſſent, ante Solis occubitum dextris mutuò datis & ſalutatione facta gratiam redintegrauerunt. Nā ſicvt buboni febris ſuperveniens nihil habet mali: bubone autem ſublato remanens, morbus videtur eſſe, & profundius habere principium. ſic diſcordia fratrum re confecta deſinens, ipſius eſt rei: poſt rem manentis tantùm præſcriptio fuit res ipſa, alia praua & occulta cauſa. Operæ eſt preciū in prēſentia diſceptationem audire barbarorum fratrū, non de particula eam agelli, aut māncipiis, vel pecore, ſed de regno Perſiæ. Mortuo Dario, alij regnum Ariameni, vt de filiis eius natu maximo deferebant, alij Xerxi, qui ex Atoſſa filia Cyri, Dario iam regnū gerente natus erat. Deſcendit itaq; Ariamenes è Media, non bellico apparatu, ſed placidè ad iudicium. Xerxes, qui præſens ea agebat quæ erant regis, veniente fratre, depoſito diademate, & deiecta tiara quam erectam ferūt reges, occurrit fratri eúmq; ſalutauit. ac dona mittens, dicere eos qui portabant iuſsit: His te nunc honorat Xerxes frater tuus, qui ſi rex iudicio & ſuffragio Perſarū declarabitur, proximum tibi à ſe locū tribuit. Reſpondit Ariamenes: Ego dona quidem accipio, regnum autem in Perſas mihi cenſeo deberi, honorem tamen fratribus meis minorib. ſeruabo ſuū, & primo inter fratres Xerxi. Inſtante porrò iudicij die, Perſæ communi ſententia Artabanum iudicem deſignauerunt. Hîc Xerxi, quòd multitudini fideret, iudicem recuſanti Atoſſa obiurgans, Quid fugis, inquit, Artabanum patruum & Perſarum optimum, fili? idque certamen metuis, in quo præclarum eſt, ſi vincare, fratrem regis Per-

Offenſæ leues vitādæ.

Pulcherrima exēpla fraternæ benevolentiæ.

sarum secundo te loco vocari? Xerxe obtemperante, & causa cognita Artabanus pronunciauit Xerxi regnum conuenire. Ariamenes autem statim prosiliens fratrem adorauit, dextráque apprehensum in solium regium collocauit. Exinde primo apud eum loco habitus, benevolum se præbuit: ita quidem, vt pro gloria fratris nauali apud Salaminam prœlio præclarè pugnans ceciderit. Atque hoc tanquâ purum & inculpabile exemplar benevolentiæ & magnanimitatis propositum esto. Antiochi verò vt cupiditatem regnandi iure vituperaueris, ita amorem erga fratrem non planè ea obrutũ mirari decet. Bellum Antiochus regni causa faciebat Seleuco fratri, minor ipse ætate, matre auxilium ferente. Vigente eo bello, pugna cum Galatis congressus Seleucus & victus, nusquam apparebat, credebatúrque periisse, toto exercitu à barbaris occidione occiso. Antiochus hoc nuncio allato, purpuram deposuit, pulláque sumta veste, & clausa regia fratrem luxit. paulo pòst audito eum viuere & alium exercitum colligere, progressus diis sacrificauit, vrbibúsq; sibi subiectis imperauit vt sacrificarent & serta gererent. Athenienses, quanquam fabulam de deorum contentione absurdè finxerunt, inseruerunt tamen istius absurditatis correctionem minimè ineptam. secundam enim diem mensis Boëdromionis semper eximunt: quòd ea die cum Minerua Neptuno fuerit contentio. Quid ergo obstat, quo minus & nos aliquando cum domesticis, cognatísque altercati, istum diem obliuioni consecremus, ac pro atro censeamus? nisi si malumus multorum ac lætorum dierum, quibus vnà educati sumus & viximus, memoriam abiicere? Nam aut frustra & nullius rei gratia nobis largita est natura mansuetudinem, & moderationis animi progeniem tolerãtiam malorum: aut maximè his vtendum est aduersus cognatos & familiares. Iam petere gratiam delicti non minorem demon-

demonstrat benevolentiam atque amorem, quàm eam facere peccanti. ergo neque negligere debemus ira commotos, & deprecantibus nequaquam repugnare: sed & ipsi vbi quid offendimus, antevertere deprecatione iram: & ipsam, vbi nos sumus læsi, deprecationem danda venia. Celebris est in scholis fama Euclidis Socratici, quòd audita iniqua & belluina voce fratris, qui diceret, Peream nisi te vlciscar: respondit, Ego verò peream, nisi tibi persuasero, vt posita ira nos ames sicvt olim. At regis Eumenis non dictum, sed factum, tale est quo nullum inveniri possit magis mansuetũ. Huic Eumeni Perseus Macedoniæ rex inimicus, submiserat qui interficerent. hi cùm sentirent à mari terra proficiscentẽ Eumenem ad oraculum, ex insidiis retro hominem adorti, ingentes lapides in caput & collum cõiecerunt, ita vt vertigine circũactus corrueret, mortuúsque putaretur. atque fama hæc latè sparsa fuit, ita vt amici quidam & famuli Pergamum venientes, nunciũ rei abs se visæ adferre crederentur. Proinde Attalus fratrum Eumenis natu maximus, moderatus homo, & qui erga fratrem se gessisset optimè, non modò rex creatus, & diademate ornatus fuit: sed & vxorem fratris Stratonicam duxit, cúmq; ea concubuit. Sed postquam narratum est viuere Eumenem, & adventare, posito Attalus diademate, sumto hastili pro more ei obviam cum reliquis iuit stipatoribus. Quem Eumenes & amicè amplexus est, & reginam honorificè ac splendidè salutauit. cúmque non multum temporis supervixisset, absque vlla reprehensione aut suspicione extremum vitæ diem morte confecit, Attalo & regnum & vxorem suam cùm legasset. Quid autẽ Attalus? multis ex vxore sibi natis liberis, nullum sustulit: sed Eumenis filium educauit, eíq; virilem ætatẽ adepto viuus diadema imposuit, regísq; nomen detulit. At Cambyses somnio territus, fratrem suum, quem regem Asiæ futurum

erat imaginatus, nulla interposita quæstione, nulla demonstratione, interfecit. quo factum est vt ipso mortuo regnum à stirpe Cyri in Darium transferretur eiúsque posteritatem, qui non fratres modò, sed amicos etiam admittere in societatem rerum & potentiæ nouerat. Præterea memoria est hoc etiam tenendum in fraternis disidiis, vt tunc maximè amicos fratris accedas, inimicósque vites, neque admittas. eáque in re par est imitari Cretenses, qui crebris seditionibus bellísque ciuilibus exagitati, extrinsecus adventantibus hostibus pacem ac societatem coiuerunt. Is enim erat, quem ipsi appellabãt Syncretismum. Nam sunt, qui aquæ instar rebus luxatis & hiantibus affluentes, familiaritates & amicitias evertunt, vtrisque inimici, & ei insidiantes, quem ob imbecillitatem vident magis expositũ iniuriæ. quippe amantem adiuuant recentes & simpliciores amici: irato autem & cum fratre disidenti apparet maligníssimos inimicorum se indignationis iræque socium præbere. Quare sicvt gallina illa apud Aesopum feli percontanti ficta benevolentia ex ægrotante ipsa, Quomodo valeret, respondit: Bene, si tu discedas. ita tali homini sermonem inicienti de discordia, & arcana eruere molienti quædam dicendum est: Nihil mihi cum fratre est litis, si verque nostrûm calumniatoribus aures non præbeamus. Nunc nescio quî fit, vt oculis vitio aliquo laborantibus arbitremur visum avertendum esse à coloribus & corporibus radium recellentibus: tamen ira, reprehensione, aut suspicione adversus fratrem oborta, iis gaudeamus ac nos implicemus, qui magis nos exagitant. quo quidem tempore oportebat nos evitatis inimicis, maximè cum affinibus & familiaribus amicísque eorum versari, & ad vxores eorum intrare, ac libero ore conqueri. Atqui fratres aiunt vnà ambulantes non debere lapidem in medio admittere: quin & canem per medios discurrere

rere ominis sinístri habetur, ac multa talia metuũt, quorum tamen nihil fraternam discindit concordiam. cæcutiunt interim, homines caninos & calumniatores in medium adhibentes, & in vitium ab his cõpulsi. Proinde (ipsa disputatione id quod cõti nuò subsequitur suggeréte) quod rectè dixit Theophrastus, Si omnia amicorum sint communia, maximè debere amicorum communes esse amicos: id non vltimo loco fratribus est præcipiendum. Dum enim seorsim ac pro se alij cum aliis consuetudinem vitæ societatémq; colunt, ipsi invicem divelluntur: quia dum amant diuersos, sequitur vt gaudeant etiam diuersis, diuersos æmulentur, à diuersis ducantur. Etenim amiciciis mores fingũtur: & nullum est diuersitatis ingeniorum certius argumentũ, quàm vbi amici diuersi deliguntur. Ergo cibi, potus, ludorum, contubernij societas non perinde continet fratrum concordiam, atque eorundem hominũ amor & odium, vt eorundem consuetudinem & gratã habeant, & eorundem fugiant atq; abominentur. Neque verò communes amicitiæ admittũt calumnias, aut offensiones. sed etiam si quid irę aut obiurgationis inciderit, eluunt id in medio interpositi amici, atque exceptum dissipant: si quidem ambobus ex æquo faueant. Nam quo modo stanno æs ruptum committitur atque ferruminatur, vtranq; tangente extremitatem, & ad naturam vtriusq; contemperato. sic amicum decet aptum & accommodatum esse vtriq; fratrum, suáq; communitate eorũ stipare benevolentiam mutuam. inæquales, & non attemperati, instar inconcinnorum in modis musicis sonorum, non coniunctionem, sed disiunctionẽ efficiũt. Idcirco dubitari potest, recténe an contrà Hesiodus dixerit:

Aequalem fratri caueas feciſſe ſodalem. *Operib.* 705

Equidem æquo præditus animo amicus, & ambobus cõmunis fratribus, vinculum quoddã est mutui in-

ter eos amoris. Hesiodū verò apparet respexisse ad pleroſq;, & quidem malos: à quibus ob siniſtrū ſui ipſorum amorem & procliuitatem ad riualitatē fratribus metueret. Hoc mali vbi caueris, nihil impedit quin amicū eadem qua fratrem complectare benevolentia: dū modò huic primæ partes ſemper deferantur in magiſtratibus & repub. gerendis, in invitationibus ad conviuia, in contrahenda cum principibus viris noticia. deniq; ſi quæ in vulgus videntur ad gloriam dignitatémq; conducere, & illuſtrare, in iis ætati convenientem honorē concedas. neque enim adeò amicum hac in parte iſta prærogatiua ornat, quàm de exiſtimatione fratris poſthabiti ignominia detrahit. Sed de hac quidem ſententia plures perſcripſerunt, quid ſentirent. Tamen illud Menandri verum eſt:

Nemo ſui contemtum æquo animo fert amans.

quæ vox monet vt curam fratrum geramus, neq; naturæ fiducia eos negligamus. Nam & equus natura hominū, & canis domini amans animal eſt: ſed niſi probè curentur atq; tractentur, infenſa fiunt & aliena. & corpus animæ cognatiſsimum, ſi ab ea nō colatur, aut neglectim habeatur, adiuuare actiones ipſius recuſat, iiſq; officit & deſerit. Ratio autem curandi cùm ipſis fratribus admodū conveniens, tum eorum ſoceros atq; affines maximè decens eſt, vt in omnibus rebus ſemper benevolos ſe alacréſq; præbeant, ſeruos dominorum ſtudioſos ſalutent comitérq; demereantur, medicis gratias agant qui fratri ſanitatem reſtituerunt, itémq; fidelibus amicis, atq; promtam in vnà conficienda expeditione & peregrinatione operam nauent. Vxorem porrò fratris, vt omnium ſacrorum ſanctiſsimum, frater ſuſpiciat atq; veneretur, itáq; fratrem honoret eíq; gratuletur, neglectæ rationem habeat, iritatam demitiget. ſi mediocre aliquid peccauit, in placando & deprecando viro adſit. ſi quid cum fratre ſibi ſeorſim exſtiterit

ſtiterit iurgij, apud eam hunc accuſet & litem componat. Maximè autem cœlibatum & orbitatem fratris ægrè ferat frater, eúmq; hortādo & exprobrando quovis modo ad matrimonium contrahendum adigat, legitimíſque includat nuptiis. Vbi is liberos fuerit nactus, evidentiùs porrò ſua in eum benevolentia, & adverſum vxorem eius reverentia vtatur. Liberis ſe tanquam ſuis benevolum, ſed benigniorem tamen & indulgentiorem exhibeat: ne pro ętate aliquid delinquentes, ob metum patris & matris profugiant, ac cum vitioſis & ſocordibus hominibus conſueſcant: ſed habeant quò ſe convertentes caſtigentur officiíque admoneantur. Sic Platō ſororis ſuæ filium Speuſippum è magna negligentia & intemperantia revocauit, nulla voce, nullo facto ei moleſtus. nam fugienti parentes criminum eū convincentes & maledictis inceſſentes, placidum ſe & iræ vacuum dans, magnum homini pudorem, ſuíq; & philoſophiæ admirationem incuſsit. cúmq; à multis amicorum reprehenderetur, quòd non caſtigaret adoleſcentē: Ego verò, inquit, caſtigo, vitæ meæ ratione ipſi demonſtrans quod ſit honeſtorū & turpium diſcrimen. Aleuam Theſſalum pater, vt ferocem hominem & iniurioſum, deprimebat, erátq; ei infenſus: patruus ad ſe recipiebat & amplectebatur. Mittentibus autem Theſſalis fabas ad oraculū Delphicum, quibus deum de rege futuro conſulebant, clam patre patruus his vnam de Aleua quærentem inſeruit. Cúmq, Pythias Aleuam regem deſignaſſet, & ipſe pater profeſſus eſt ſe nullā de hoc fabam miſiſſe, & omnes exiſtimauerunt errorem aliquem in nominum deſcriptione commiſſum eſſe. itaq; denuò miſsi ſunt ſcitatum. Pythia autem velvti confirmans primam deſignationem, reſpondit:

Archedice peperit quem ruſum, nomine dico.

Atque hoc modo Aleuas ab Apolline rex ſtudio patrui creatus, cùm ipſe priores longo poſt ſe reli-

quit intervallo, tum gentem ad gloriã potentiámq; magnam evexit. Enimverò fratris filios frater, eorum rectè factis, honoribus ac dignitatibus gaudendo gratulandóq; debet augere, & impetus ad res honestas eorũ promouere, ac largiter laudare vbi rem præclarè gerunt. suũ enim filium laudare, odiosum videtur: fratris, pulcrum est, & non sui, sed honestatis diuino cuidam planè amori adscribendum. Atq; ipsum nomen fratris Adelphus videtur rectè commonere de benevolentia & dilectione. Quin & eos imitari decet, qui humana præstantiores natura fuerunt. Hercules, cum duo de septuaginta filios genuisset, nullo eorum parciùs amauit fratris filium. atque etiamnum multis in locis eadem cum Hercule ara colitur Iolaus, atque vnà ei vota nuncupãtur, & adstes Herculis nominatur. Iphiclo autem fratre in pugna apud Lacedæmonem interfecto Hercules ingenti dolore perculsus, totam deseruit Peloponnesum. Et Leucothea infantem defunctæ vita sororis educauit, secúmq; inter deos retulit. Hinc matronæ Romanæ in feriis Leucotheæ, quam Matutam nominant, non suos, sed sororum filios in vlnas accipiunt & honorem iis habent.

PLVTARCHI,

De Garrulitate, libellus.

SANE difficilem curatu morbum philosophia garrulitatem suscipit mederiq; ei conatur. nam oratio, quæ adversus eum morbum valet medicina, audientium est: garruli verò neminem audiunt, semper loquuntur. idq; adeò primum mali iis qui tacere nesciunt adest, quòd nihil audiunt. Est enim ista impotentia

tentiã quasi vltrò accita quædã surditas, hominum vt apparet, vitium naturã culpantium, quòd vnicam ei linguam, duas aures dedit. Ergo si Euripides rectè dixit in auditorem stupidum,

Implere te nequeo capientem ego nihil,
Sapientia dicta infundens in fatuum uirum:

meliori iure hoc in garrulum, aut potiùs de garrulo dixerit aliquis:

Implere te nihil admittentem ego nequeo,
Sapientia dicta infundens in fatuum uirum:

aut veriùs circũfundens sermones homini loquenti ad non audientes, non audienti loquentes. quippe vt exiguum aliquid inaudiuerit, id arreptum garrulitas velvti æstus affluentis maris illicò multiplicatum reddit. Porticum Olympiæ, quæ vnã vocem multis reflexionibus resonat, Heptaphonum vocãt, id est Septivocem. at garrulitas vel minima voce si tangitur, statim sonitus reddit varios,

Immotas antè mentis commouens fides.

Proinde in eam venire possis cogitationem, auditus foramina garrulis nõ in animum, sed in linguam desinere. cùm aliis perdurent auditæ voces, garrulis autem effluant, ac vasa tanquam mente vacua, sono plena obambulent. Si tamen videbitur nihil intentatũ esse relinquendũ, hoc dicamus ad garrulũ,

Sile puer, bona multa habet silentium:

duo autem hæc & prima & maxima, Audire, & Audiri: quorum neutrum contingit garrulis, sed & eo ipso quod appetunt, infeliciter, ac cum animi mole stia excidunt. Nam reliqua quidem animi morbis, auariciæ puta ambitioni, voluptatum nimio studio, hoc saltem contingit, vt potiantur iis quæ appetiuerunt. garrulis hoc molestissimũ accidit, quòd auditores ab iis frustra expetuntur. quippe nemo non eos effusè fugit. ac sive in semicirculo sedentes, siue vnà ambulantes vbi vident garrulum accedere, illi-

co migrationem sibi ipsis indicunt. Et quemadmodum orto silentio in collocutione aliqua, Mercuriũ aiũt subintrasse: ita cùm in consessum aut cõviuium notorum garrulus aliquis se infert, omnes obticẽt, quia ansam præbere loquendi ei nolunt. & si ipse vltro hisce, illico vniuersi digrediuntur, cstum & nauseam velvti Borea circa maritimũ promontorium fremente prævidentes. Quo fit, vt neq; in conviuio vnà adesse quisquam velit, neq; nisi coactus contubernio eorum comitatúq; in itinere aut nauigatione vtatur. adeò vsquequaq; vrgent vestes prehendendo, & barbam, ac manu latus fodiendo. Quam re summus honor pedib. debetur, secundum Archilochum: immò autem de sapientissimi Aristotelis sententia. Hic enim à garrulo quodã vexatus & absurdis quibusdam narrationibus exagitatus, subinde dicenti, Nónne hoc mirũ est Aristoteles? respondit: Nõ profectò hoc est mirum, sed si quis pedibus præditus te sustinet. Aliíq; cuidam id genus homini post multa verba dicenti, Molestus tibi mea loquacitate fui philosophe: Non me hercle, inquit. non enim adverti animum. Etenim garrulis cùm vi obtinuerunt vt dicant, natura hoc concesit, vt alienas aures extrà circumfundãt vocibus. animus interim audientis alias intus secũ explicat atq; persequitur curas. vt neq; attentorũ, neq; credulorum auditorum copia loquacibus fiat. Qui in Venerẽ sunt procliues, eorum semen aiunt esse sterile. ita & garrulorum sermo imperfectus est atque invtilis. At verò nullum nostrorum membrorum natura perinde atque linguam vallo coërcuit, positis ante eam præsidij loco dentibus: vt si ratione intus

—*Resonantia fræna premente*

obedire nolens prosiliret, morsibus eam lancinantes, eius compesceremus intemperantiã. Non enim serta obiicibúsve carentiũ penuum aut cõclauium, sed oris effrænis finem esse calamitatem dixit Euripides. *Bacchis.*

pides. Qui verò existimant ædes foribus carentes, & crumenam quæ claudi non possit, nullo vsui esse: ore interim semper aperto semper foras diffluẽtes, quo modo Pontus per suum ostium semper in Propontidem effluit, ii videntur sermonem pro re omnium abiectissima ducere. Vnde est, quòd fides iis non habetur: quam quidem omnis oratio expetit. Est enim suus orationis finis, fidem facere audientibus: loquacibus, ne si vera quidem dicant, fides habetur. Nam sicvt triticũ vasi inclusum, mensura amplius reperitur, vsu deterius: sic loquacis hominis sermo additamentũ mendacij largum habet, quod fidem vero derogat. Iam ebrietatem verecundus quisq; & modestus vitat. nam, quod fert quorũdam opinio, insaniæ comes est ira, contubernalis ebrietas. immò vt insanię cedit duratione, ita eam hoc superat, quod vltrò adsciscitur. At nullo tantopere culpatur nomine ebrietas, atque intemperantia & infinitate loquendi. *Ebrietas.*

Nam uinum uel prudentem cantare coegit,
Et tenerum ridere, pedesq; inferre choreis,
Atq; tacenda loqui, nec idonea dicere dictu. *Ody. ξ. 465.*

de his verò postremum demum noxium est & cum periculo: cantus, risus, saltatio non eò vsq; se proferunt. Quid autem, si hoc sit à poeta propositum ad id quod apud philosophos quæritur soluendum de vinolentiæ & ebrietatis discrimine? vt vinolentiæ animi quandam remissionem & leuitatem, ebrietati futilitatem tribuerit. Quod enim est in corde sobrij, id est in lingua ebrii, vt proverbio fertur. hinc Bias in quodam conviuio cùm sibi tacenti à garrulo quodã stoliditas obiiceretur, Quis verò, dixit, stultus inter pocula posset tacere? Athenis autem quidam conviuium regiis legatis præbens, operam dedit vt iis hoc cupientibus philosophos eódem conduceret. ibi cũ reliqui colloquio instituto vltro ci-

tróq; pro ſua quiſq; perſona diſſeruiſſent, Zenonẽ, qui tacitus ſe continebat, comiter allocuti hoſpites cùm ſalutaſſent poculo, De te verò, aiebant, quid dicemus regi? Reſpondit Zeno: aliud nihil, quàm eſſe ſenem Athenis, qui inter pocula ſilere ſciet. adeò profundum quiddam, & arcani ſacri ſimile, ac ſobrium eſt ſilentium. at ebrietas loquax eſt. mente enim & prudentia vacat, ideóque vocalis eſt. Philoſophi porrò ebrietatem definientes, vaniloquentiam in vino aiunt eſſe. ita potatio non culpatur, ſi coniunctum ei ſit ſilentiũ. ſed ſtulta loquela de vinolentia redigit ebrietatem. Enimverò ebrius in vino nugatur: garrulus vbique, in foro, in theatro, in ambulatione, interdiu, noctu. ægrotum curans ipſo morbo moleſtior eſt, vnà nauigãs, quàm nauſea, laudans reprehendente. Malunt etiam colloqui cũ pravis hominibus linguæ potentibus, quàm cum bonis garrulis. Neſtor Sophocleus Aiacem exaſperatum verbis demitigans, moratè hoc dixit:

Non culpo te: maledicis enim, faciens bene.

Adverſus garrulum verò non ſic ſumus affecti: ſed omnem factis initam gratiam dictorum importunitas corrumpit atque diſperdit. Reo cuidam Lyſias orationem à ſe conſcriptam dederat. eam cùm ille ſæpius relegiſſet, venit ad Lyſiam, mœſtúſq; ſignificauit, ſibi primùm eam cognoſcenti mirabilem viſam fuiſſe: cùm autem denuò atq; tertiùm repetiiſſet, prorſum eneruatam & languidam. Lyſias verò ridens: Quid, inquit? Nónne ſemel tantùm apud iudices eras recitaturus. Ac mihi Lyſiæ vim ad perſuadendum venuſtatémq; conſidera. nam & hunc ego affirmo

A Muſis quæ uiolis caput
Redimunt probè ornatum fuiſſe.

Inter ea autẽ quę de Homẽro dicta ſunt, hoc ōmniũ eſt veriſimum, ſolum hunc poëtam faſtidia hominum

num evitaſſe, nouum ſemper & ad captandum gratiam florentem. & tamen hoc de ſeſe pronuncians,

— Scilicet odi
Res clarè dictas, uerboſa iterare loquela: Odyſſ. μ, fine.

fugit atque averſatur inſidiantem cuivis ſermoni ſatietatem, auditorem ad alias ex aliis narrationes trahens, ac nouitate faſtidium amoliens. At garruli aures palimpſeſtorum in morem iterationibus moleſtis eorundem ſermonum obtundunt. Primùm ergo id eius in mentem revocemus, quòd ſicvt nonnulli vinum voluptatis blandæq; conſuetudinis gratia inventum nimium alios & merum bibere cogentes quoſdam in triſticiam ac temulentiam coiiciũt: ita ſermonem, cuius ſuauiſsimum eſt & humaniſsimum commercium, qui malè eo ac temere vtuntur, inhumanum, ac inſociabilem reddunt: moleſtiáque afficiunt eos quibus ſe putant gratificari, & deridentur ab iis quibus ſe miros videri volunt, inviſiq; eorum cauſa fiunt ob quæ ſe amari cupiunt. Itaque ſicvt à Venere alienus ſit, qui ceſto avertat atq; abigat conſueſcentes: ita Muſarum expers inſcitúſque eſt, qui verbis moleſtiam exhibet ac ſe inviſum reddit. Iam reliquorum vitia quædam cum pericolo coniuncta ſint, alia odioſa, partim ridicula: omnia hæc garrulitati congruunt. ſubſannantur enim cùm narrant communia: in odium incurrunt mala annunciantes: in periculum veniunt arcanorũ incontinentes. Non abs re Anacharſis à Solone conviuio exceptus, cùm poſtea obdormiuiſſet, conſpectus eſt læua manu pudendis, dextra ori impoſita. cenſuit namque, rectéque cenſuit linguam validiori coërcendam fræno. Non enim facilè tot viros numerare poſsis qui ob Veneream libidinem perierint, quot vrbes & imperia ſecretum proditum evertit. Obſidebat Athenas Sylla, neque ei vacabat trahere obſidionem, alio vrgente negocio: cùm &

Mala comitantia garrulitati.

Asiam subitò cepisset Mithridates, & Mariana factio rursum Romæ obtineret. Sed cùm senes quidam in tonstrina disputarent, Heptachalcum non teneri præsidio, ac periculum esse ne ea parte vrbs caperetur: exploratores eum sermonem exceptum ad Syllam retulerunt. Sylla statim exercitum adduxit, ac circa mediam noctem in vrbem perduxit. ac parum sanè abfuit, quin Athenas solo æquaret: cædibus quidem & cadaueribus ita oppleuit, vt Ceramicus sanguine fluxerit. Iratus autem Athenienſibus Sylla magis ob dicta quàm ob facta erat. maledictis enim impetebant ipsum & Metellam, exsilientes in muros, & conuicia iactantes,

Morum farina conſperſum Syllas ſonat,

& multa alia id genus nugantes, rei, vt Plato ait, leuissimæ sermonis pœnam grauissimam sibi acciuerunt. Ne Roma Nerone exonerata libertatem consequeretur, vnius factum est hominis futilitate. Vnica restabat nox, post quam pereundum fuerat tyranno, omnibus iam ad hoc instructis rebus. Qui autem eum erat interfecturus, in theatrum vadens, conspicatus in foribus quendã vinctum qui ad Neronem ducendus suam lamentabatur fortunam, propè accedens in aurem homini insusurrauit: Precare tantùm vt hæc dies abeat, cras mihi ages gratias. Is verò hoc obliquè dictum arripuit, ac nimirum intelligens esse

Stultum qui quærit certis incerta relictis:

certiorem salutem iustiori prætulit, Neronisque vocem istam renunciauit. Ille ergo statim arreptus est, & tormenta homini, ignes, ac flagella adhibita: neganti necessitate imposita dicendi, quæ antè nulla re cogente prodiderat. At Zeno philosophus, ne corpus necessitate expugnatum arcanum animi vllum posset efferre, linguam dentibus abscissam in tyrannum exspuit. Præclarum etiam Leæna habet

Taciturnitas.

suæ taciturnitatis præmium, amica Harmodij & Aristogitonis, &, vt mulier, in partem spei coniuratione in tyrannos conceptæ venerat. nã & ipsa pulcro illo Amoris cratere ebria bacchabatur, & propter deum illũ arcanis his orgiis erat initiata. Postquam ergo illi frustrante ipsos conatu sunt interfecti, quæstioni subiecta, ac iussa indicium facere de adhuc ignoratis sociis, nihil dixit, sed tormenta cõtinenter pertulit: demonstrans nihil illos viros scipsis indignũ admisisse, qui talem amassent mulierẽ. Athenienses autem æneam Leænam lingua carentẽ fecerunt, inque foribus arcis dedicauerunr: iracundia animalis peruicacitatem feminæ, linguæ absentia taciturnitatem, & arcani continentiam significantes. Etenim nulla vna ita oratio dicta profuit, vt multæ silentio pressæ. quippe quod tacitum est, aliquando tamen dici potest: non item quod dictũ est, taceri, cùm iam effusum ac diditum sit. Vnde, puto, est, quòd loquẽdi magistros habemus homines, tacendi deos: adhibitio ad sacrificia & arcanos ritus silentio. Homerus porrò Vlissi facundissimo homini summam adscripsit taciturnitatem: itémque filio eius, & vxori & nutrici. Audis enim dicentem hanc,

Hæc tacita ut ferrum uel quercus dura tenebo. Odyſſ. ν. 494.

Ipse autem Penelopæ adsidens,

Vxoris lacrymas miseratus mente pudicæ,
Intra palpebras ceu cornu immota tenebat Ibid. 210.
Lumina uel ferrum. ——

adeò totum corpus plenum gerens continentiæ, omniáque rationi habens parentia & subiecta, oculis imperauit fletu, linguæ verbis, cordi tremore & latratu abstinere.

Paruit extemplò menti cor plurima paſſum. Odyſſ. υ. 23.

vsque ad brutos motus penetrãte ratione, spiritúmque & sanguinem sibi obedientem domando adepto. Tales etiam plerique sociorum Vlisis fuerunt.

quot enim raptati, soloq; allisi à Cyclope Vlissem non prodiderunt, neq; ignitum illud, & ad oculum eruendum adornatum instrumentum indicauerũt, sed crudi vorari quàm arcanum quicquam efferre maluerunt: maioris fuit quàm quæ excedi posset cõtinentiæ ac fidei. Proinde Pittacus rectè, cùm ei hostiam misisset rex Aegypti, iussissétque optimam & pessimam carnem eximere, exemptam linguam ei misit: vt cùm bonorum, tum malorum maximorum instrumentum. Ino autem Euripidea liberè sese prædicans, ait se scire

Tacereq; in loco: & cùm tutum est, eloqui:

qui enim generosè, & re vera regio more instituuntur, primùm tacere, deinde loqui discunt. Antigonus ille rex, filio quærenti quando castra essent moturi: Quid, inquit? metuis ne solus tu non audias tubam? Ergo vocem ei arcanam non credidit, quem erat regni hæredem habiturus? immò autem docuit eum in talibus rebus continenter se & cautè gerere. Metellus senex militiæ simile aliquid interrogatus: Si, inquit, scirem tuniam meam arcani mihi conscią, exutam protectò in ignem abiicerẽ. Eumenes cùm audiuisset Craterum adversus se cum copiis venire, nemini amicorum rem aperuit, sed Neoptolemum esse finxit. hunc enim milites Eumenis contemnebant: illius & gloriam admirabantur, & virtutem diligebant, rem ipsam excepto Eumene norat nemo. Commissa igitur pugna vicerunt, Craterúmque ignari interfecerunt, mortuúmque demum agnouerunt. Ita taciturnitas callidè certamen hoc gessit, tantúmque adversarium occultauit. aque adeò amici magis admirati sunt Eumenem qui non prædixisset, quàm reprehenderunt. Tametsi vt maximè culperis in tali casu, præstat sàluis rebus ob non habitam fidem incusari, quàm eos accusare, quorum fidem secutus perieris. Omnino autem quo ore obiurgabis eum qui non tacuit id, quod tu ei dixisti?

Si

Si enim tacitum & ignoratum oportuit, malè alteri fuit indicatum. si verò rem arcanam ex te dimittens in alio continere vis, iam tua prodita in aliûs consugisti fidem. qui si tui similis est, iure peris: si melior, præter rationem seruaris, invento qui tibi sit quàm tu ipse fidelior. Inquies, At meus est amicus iste. Sanè. Sed & hic amicum habuerit, cui tantundem credat, isque rursum alij. ita deinceps incrementum facit multiplicatúrq; continuata incontinentia oratio. Quemadmodum enim vnitas non egreditur suum terminum, sed (quod & nominis ratio docet) simpliciter vnum manet: binarius autem principium infinitum est diversitatis, qui statim duplicando suã mutat naturam, & ad multitudinem vergit. sic sermo in primo manens, verè arcanus est: si ad alterum efferatur, iam famæ locum obtinet. verba enim alata vocat Homerus. Nam neque auem è manibus dimissam facile est denuò comprehendere, neque potest sermo ex ore emissus rursum capi & teneri: sed ab aliis ad alios diditus,

Fertur rotans uolucres alas impete. Odyss. κ, 122

Quippe nauim à vento correptam funibus & anchoris inhibent, eiúsque velocitatem frangunt. orationi tanquam è portu semel egressæ nulla statio, nullus anchoræ iactus est reliquus: sed magno cum sonitu & fragore vecta autorem in graue magnúmq; aliquod coniicit ac demergit periculum.

Namq; exigua de lampade Idæum nemus
Succendere possis, atq; uni quod dixeris,
Facilè hoc per ciuium aures iuerit omnium.

Romanus senatus occultum quoddam consiliũ per aliquot dies intra se agitauerat. cúmq; res ea multũ obscuritatis haberet, variásque excitaret suspiciones, quendam senatorum vxor, mulier aliàs pudica, sed tamen mulier, maiorem in modum precibus instando vrgebat, vt arcanum sibi aperiret: deierans

interim se silentio rem tecturam, & ni faceret, diris sese devouens exsecrationibus, flensq; & quiritans fidem sibi non haberi. Ille vt stulticiæ eam suæ coargueret, Vincis, ait, mea vxor: proinde audi terribilem rem atque prodigiosam. relatum ad nos est à sacerdotibus, casitam visam esse volantem cum galea aurea & hasta. de eo ostento vnà cum auguribus deliberamus, ac anxiè disquirimus, boníne an mali aliquid denunciet. tu verò tace. hæc locutus, in forum processit. At verò mulier ancillam, quæ primùm intrauerat, arripiens, pectus suum plangens & crines scindens, Eheu, inquit, mi vir, mea patria, quid nobis fiet? volens docénsque ancillam quærere, Quídnam igitur evenit? Ancilla, postquam interroganti mulier rem narrauit, addiditque communem omnis loquacitatis clausulam, Caue ne cui hæc dixeris, & tace: vix dum à domina vt est digressa, vnà seruienti alteri, quam maximè videbat ociosam, narrationem iniicit. illa amatori suo ad se venienti exponit. Hoc modo fabula in forum devoluta, ita vt præcurreret autorem, quidam ad eum notus accurrit, & an recens domo adveniat quærit. Ait ille. Nihil ergo, inquit, noui inaudiisti? Quid, ait ille? an noui aliquid evenit? Tũ alter: Casita, inquit, cõspecta est volãs, hastata, aurea cassida: ac de eo pricipes se natũ habebunt ostento. Ibi ridens iste, Laudo, ait mulier celeritatem tuam, qua factum est vt me in forum euntem sermo hic anteverteret. Proinde ad magistratum accesit, eósque trepidatione liberauit. Vt autem mulierem vlciscereturr, domum reversus, Perdidisti me, inquit, mulier: compertum est enim è domo mea in publicum elatum esse arcanum: itaq; ob tuam incontinentiam solum mutare cogor. Eum tiqué inficias, & dicenti, Quasi verò tu non trecentesimus ipse hæc audieris? Quomodo, inquit, trecentesimus, qui te vrgente vt periculũ facerem possésne audita reticere isthuc confinxerim? Atque hic qui-

quidé mulieris suæ continentiã tutò & cautè probauit, velvti in vas fathiscens non vinum aut oleum, sed aquam infundens. Fuluius autem amicus Augusti Cæsaris, cùm hunc deplorare audiuisset domus suæ solitudinẽ, cùm & duo ẽ filia nepotes morte sublati essẽt, & qui restabat vnicus Postumius propter calumniã in exsulio viueret, cogeretúrq; priuignũ imperij successorem relinquere, quanquam miseraretur, cuperétq; ex exsulio nepotem revocare. hæc cùm audiuisset Fuluius, narrauit vxori: vxor porrò Liuiæ indicauit: Liuia acerbè cũ Augusto expostulauit, quòd iampridem hoc decreto, nepotem non revocaret, sed ipsam invisam imperij successori redderet. Manè cùm pro more ad Augustum veniisset Fuluius, eúmque salutassẽt, Augustus contrà: Sanam mentem Fului. Sensit rem Fuluius, rectáq; domum reversus vxorem acciuit, &: Animadvertit, inquit, Augustus arcanum me non reticuisse, ideóque statui mortem mihi consciscere. meritò, respondit vxor, qui cùm tandiu mecum vixeris, non senseris, neque vitaueris meam futilitatem. sed me sine tibi præcedere. simúlque arrepto gladio se ante maritum occídit. Rectè itaque Philippides comœdiarum scriptor, amicè eum compellanti Lysimacho regi, ac quærenti, Quánam mearum rerum vis te impertiam? respondit, Quacunque volueris ô rex, dum modò nullo arcano. Præterea garrulitati malum hoc ipso non minus malo adest curiositas. Multa enim audire volunt garruli, vt multa habeant quæ dicant. ac maximè arcana & abscondita scrutantur atque investigant, futilitati tanquam materiem quandam obsoletam sarcinarum apponentes. Deinde sunt instar puerorum, qui glaciem neque tenere volunt neq; dimittere: immò velvti serpentibus in sinum collectis, non continent, sed ab iis perroduntur. Belonas pisces, & viperas partu rumpi aiunt. Arcana autem eos qui non continent, foràs

Curiositatis mala.

elapsa perdunt. Seleucus Callinicus in pugna aduersus Galatas omni exercitu, omnibus copiis amissis, abiecto diademate eques tribus vel quatuor comitantibus profugit: & per avia longum iter vagatus, ac iam animum ob inopiam desponden, ad casam quandam pervenit, ac cùm forte fortuna in dominum eius incidisset, panem & aquam petiit. is non ista modò, sed & quæ alia ruri aderant liberaliter comitérq; præbuit. cúmque faciem regis agnouisset, non continuit se præ gaudio istius casus, neque cupiétis latére regis dissimulationem adiuuit: sed cùm ad viam vsq; deduxisset, & iam discederet, Salue, dixit, ô rex Seleuce. Tum rex porrecta dextra, eum ad se trahens velvti osculaturus, vni comitum innuit vt ceruicem homini præcideret:

Ilia. κ, 457 *Sic caput est̃q; loquentis adhuc cum puluere mistum.*

qui si tacuisset, & se aliquantulum repressisset, paulo pòst à rege rursum florente & opibus aucto maiorem puto pro silentio quàm pro hospitalitate gratiam retulisset. Quanquam hic quidem vtcunque suæ incontinentiæ excusationem habuit spem & exhibitum officium. Plerique autem garrulorum etiam sine causa seipsos perdũt. In tonstrina quadam (vt exemplis res patefiat) orto sermone de tyrannide Dionysij, quòd ea adamantina & inexpugnabilis esset: tonsor ridens, Hæccine, inquit, vos de Dionysio dicere? cuius ego ceruici paucis itidem interpositis diebus nouaculam adhibeo. Hæc cùm ad Dionysium essent allata, hominem in crucem sustulit. *Tonsores.* Non autem est abs re tonsores esse loquaces. nam loquacissimi ad eos confluunt iisque adsident: ita vt consuetudinem garriendi inde parent. Itaque eleganter Archelaus rex garrulo tonsori, qui iam tectis linteo humeris quærebat, Quomodo te tondebo rex? respondit, Tacens. Sed & Athenienium magnam in Sicilia acceptam cladem tonsor primus annunciauit. qui cùm de ea inaudiuisset in Peiræo ex

ex inde fuga elapsorum cuiusdam seruo, statim officina relicta contento cursu in Astu se proripuit,

Ne quis præriperet decus hoc,——

famam in vrbem apportans, *Ilia. χ. 207.*

——pòst ipse ueniret. Ibi orto, vt solet, tumultu, populus in concionem collectus, autorem rumoris quæsiuit. adducitur ergo tonsor ille, examinatur: qui sanè etiam nomen indicis ignorabat, & principium rumoris sparsi in ignotam ac nomine carentem personam referebat. Exinde fremitus & clamor in theatro, Torque & excrucia sceleſtum, qui isthæc finxit atq; composuit: quis enim alius audiuit, quis credidit. Adfertur rota, intenditur tonsor. sub hoc ipsum adsunt nuncij calamitatis, qui ex ipsa clade profugerant. itaque omnes dissipati singuli ad suos sunt luctus, miserum tonsorem rotæ illigatum relinquentes. Atque is serò & iam sub vesperam solutus, è lictore quæsiuit, Audiuisséntne etiam de Nicia duce exercitus, quo is modo perierit. Adeò inexpugnabile & inemendabile malum fit consuetudine garrulitas. Et verò sicvt qui amara & malè olentia medicamenta biberunt, ipsa etiam oderunt pocula: sic qui mala annunciant, auditoribus inuisi sunt. Sanè Sophocles venustè istam dubitationem proposuit:

In mente nũmnam, uel morderis in auribus?
Cur tu dolorem mî imputas, ubi tuæ
Facti autor ægrè menti facit, ego auribus?

nam molestia afficiunt vt ij qui lędunt, ita etiam qui factum narrant. Sed tamen nulla est linguæ fluentis inhibitio, nulla coërcitio. Lacedæmone Mineruæ Chalcioeci templum repertum est compilatum, intúsque iacens inanis lagena. ea de re cùm inter multos qui accurrerant disquireretur: quidam è corona hominũ, Si vultis audire, inquit, ego vobis exponam quid mihi in mentem venerit de hac lagena. existimo sacrilegos rem aggressos ita periculosam, *Suo iudicio pereuntes.*

priùs cicutam bibisse, ac vinum secum attulisse: vt si fallerent, epoto mero vim veneni diluerent, incolumésque discederent: si verò deprehenderentur, ante tormenta facili & doloris vacua morte decederent. Hæc illo fato, res tam intricata ac perplexa, visa fuit non suspicantis aliquid tale, sed scientis. Itaque circumfusi homini, alius alivnde ceperunt interrogare, quisnam esset, cuíve notus, & vnde ista haberet cognita. denique hoc modo examinatus, confessus est se vnum de istis esse sacrilegis. Quid? qui Ibycum interfecerant, nónne eodem modo sunt deprehensi? Hi cùm sederent in theatro, ac fortè tum grues essent conspectæ, cum risu invicè sibi insusurrauerunt, Ibyci vindices adesse. Hanc vocem qui propiùs assidebant, quòd iam multo tempore nusquam apparens Ibycus desideraretur, exceperunt, indiciúmque de ea ad magistratum detulerunt. ita illi facinoris comperti, ad supplicium abducti sunt, non à gruibus eo iuncto, sed à sua ipsorum linguæ impotentia tanquá Erinny quadam & vltrice Dira coacti cædem prodere. Sicvt enim in corpore ad malè affectas & dolore correptas partes feruntur atque vergunt quæ sunt in vicinia: sic loquaciũ lingua perpetuò inflammatione laborans atque palpitatione, trahit & adducit ad se aliquid arcanorum & absconditorum. Oportet igitur eam obthuratam habere: & ratione velvti obiice linguæ oppositò idẽtidem fluxum eius lapsúsque cohibere. ne stultiores anseribus videamur esse, quos aiunt cùm è Cilicia transvolant Taurum montem aquilarũ plenum, singulos recepto in os iustæ magnitudinis lapide, quo tanquam fræno aut claustro vocem compescant, ita noctu latentes tacitè traiicere. Iam si quis quærat quisnam hominum pessimus atq; perditissimus sit, nemo vtique proditore omisso alium quenquam re

Garruli proditores.

spõderet. At enim Eutycrates domui suæ è Macedonicis lignis fastigiũ imposuit, vt ait Demosthenes: Phi-

Philocrates multo accepto argento scorta piscésq; emit: Euphorbo & Philagro, qui Eretriam prodiderunt, agrum rex adsignauit. Garrulus autem proditor est nullo conductus precio, vltróq; suam offert operam. non equos prodens, aut munitiones: sed arcana publicans dicta in iudiciis, in seditionibus, in certaminibus de republica: nemine ipsi agente gratias, quas ipse vltrò debet si audiatur. Ergo quod dictum est in eum qui temere & absq; iudicio sua profundebat ac donando prodigebat:

Non tu humanus es, uitio laboras, nam gaudes dare.

id etiam in garrulum competit. non amicus es, non benevolus qui ista indicas: morbo hoc laboras, quòd gaudes loquendo & nugãdo. Verùm hæc non accusandæ, sed curandæ sanandæq; garrulitatis grã tia dici intelligendum est. Vitia enim iudicio & exercitatione cùm vincantur, iudicium præcedat oportet. nemo enim se adsuefacit ad vitandum & ex animo evellendum ea, quæ molesta ei nõ sunt. inviſa autem nobis fiunt vitia, cùm ratione perspicimus quæ damna ea dent, quam adferant turpitudinem. Quomodo nunc cernimus, garrulos dum volunt amari, in odia incurrere: dum gratificari, molestiã adferre: dum in admiratione esse, rideri: nullo cum lucro sumtus facere: iniuria amicos afficere, inimicis prodesse, semetipsos pessundare. Itaque primum huius morbi remedium est, ratiocinatio turpium atq; noxiarum quæ ab eo proficiscuntur. Secundo loco rationes sunt subducendæ eorum, quæ à contraria virtute veniunt, bonorum. sempérq; audiendæ, memoritérq; tenẽdę & in promtu habendæ sunt taciturnitatis ac silentij laudes, eorúmq; maiestas, sanctimonia, ac cũ sacris arcanis similitudo: & quòd maiori sunt in admiratione, magis cari sapientésq; habentur quàm effrænes isti & concitati, ij qui rotundi sunt ac breuiloquentes, & quorũ in exigua dictione multus ineſt sensus. Nã & Plato hos laudat,

Vitia vt cognoscerentur.

Silentij & breuiloquẽtiæ laus.

In Protagora.

similes esse dicens peritorum iaculatorum, dum crispa, ac densa, inter seque convoluta verba emittunt. Et Lycurgus ciues statim à puero suos silentio compescens, ad huiusmodi contractè ac presse loquendi peritiam condocefecit. Etenim sicvt Celtiberes ferro aciem soliditatémque parant, eo in terram defosso crassas terrestrésque partes expurgando: ita Laconica oratio cortice carebat, & supervacaneorum remotione in efficacitatem coacta acuebatur. quippe illa scitè dicendi breuitas, & versatile in responsionibus acumen, multi erat silentij fructus. Atque id genus dicta maxime sunt loquacibus obiicienda, vt sentiant quantum ea gratiæ habeant atque virium. Quale est, quod Philippo Lacedæmonij dixerunt: Dionysius Corinthi. & rursum cùm Philippus scripsisset, Si in Laconicam impresionẽ fecero, extorres vos agam: rescripserunt, Si. Demetrio regi indignanti & clamitanti, Vnum ad me legatum misére Spartani? nihil territus legatus respondit, Vnum ad vnum. In admiratione etiam de priscis sunt breuiloquentes. & templo Apollinis Pythij non Iliadem aut Vlissem, neq; Pindari Pæanes inscripsére Amphictyones: sed Nosce teipsum, Ne quid nimis, Sponde, præstò noxa: admirati grauitatem tenuis sermonis, in tanta breuitate sensum quasi malleo ductum concludentis. An non ipse ille deus in oraculis breuitati ac compẽdio studet? & Loxias ideò vocatur, quòd loquacitatem magis fugit quàm obscuritatem? Nónne qui absque verbis aliquid per tesseram quandam significant, in admiratione sunt, magnísque vehuntur laudibus? vt Heracletus. qui ciuibus postulantibus vt aliquam de concordia sententiam diceret, conscenso suggesto calicem aqua plenum sumsit, farinámque ei insperſam cùm pulegio agitasset, ea epota abiit. cùm demonstrasset ciuibus, in pace & concordia conseruari ciuitates, si contenti esse quibusvis, & non requirere sumtuosa ciues nossent. Scilurus Scytharum rex octoginta filios iam moriturus adferre fasciculum hastilium iussit, eúmque singulis ita vt erat colligatus confringendum dedit. cùm autẽ quisque pro se id se præstare posse negaret: ipse vno post alterum extracto hastili, omnia nullo negocio confregit. ostendens concordiam ipsos firmos & insuperabiles conseruaturam: disidio imbecilles & instabiles eorum res redditum iri. Si quis ergo hæc & similia horum continenter reciter atque repetat, opinor nugis gaudendi finem eum facturum. Mihi quidem etiam seruus, de quo dicam, pudorem admodum incutit, consideranti quid rei sit rationi animũ advertere, & institutum animi tenere. P. Piso orator, ne interturbaretur, seruis mandauerat vt tantùm ad interrogata responderent, nihil præterea dicerent. Evenit, vt Clodium, qui tum magistratum gerebat, amiciciæ gratia ad eõviuium, quod (vt moris erat) splendidum instruxerat, vocari iuberet. Vt hora cœnæ appetiit, cùm iam adessent reliqui conviuæ, exspectabatur Clodius: ac seruum qui solebat conviuas invitare, aliquoties misit Piso visum an veniret. vespere iam facto, cum adventus eius desperaretur, Quid, inquit Piso seruo, an non inuitauisti Clodium? etiam respondit. Cur ergo non venit? quia venturum se negauit. Cur id non statim dixisti? quia de eo abs te non fui interrogatus. Hic est seruus Romanus. at Atticus domino fodiens interim narrabit quibus conditionibus pax sit facta. Tanta est in omnibus rebus vis consuetudinis. Ac de hac quidem iam nunc dicemus. Non enim fræno iniecto cohiberi garrulitas: sed adsuefaciendo morbo illo obstari potest. Primùm itaque vbi ex iis qui vnà sunt aliquid quæritur, tacere adsuescito, do nec omnes respondere abnuerint.

Cursus enim non finis idem, & consilij,

ait Sophocles: neq; vocis & responsi. quippe in cur

Frugalitas.

Concordia.

Adsuefactione garrulitas vitanda.

su victoria est alios antevertentis. hîc, si rectè respõdit aliquis, satis est collaudando & adstipulando cãdidi hominis opinionem reportasse: sin verò, tum et docere quod fuit ignoratum, & implere quod deerat citra invidiam & importunitatem licet. Maximè autem attendamus nosmetipsos, ne alio quodam interrogato, ipsi occupemus respondere. Fortasse enim ne aliàs quidem convenit, vbi quid ab alio petitur, nos illo dimoto à nobis hoc promittere. vtrique enim videbimur exprobrare, alteri quòd non posit præstare quod poscitur, alteri quòd nesciat postulare inde, vnde possit accipere. Maximè autem in responsionibus huiusmodi temeritas & audacia cum iniuria coniuncta est. Nam qui respondendo præcurrit eum qui fuit interrogatus, simul isthæc in nuit: Quid attinebat ex isto quæri? Quid ille nouit? Me præsente non debet alius de hisce rebus interrogari. Atqui sæpenumero interrogamus, non quòd responso nobis sit opus, sed quòd vocem aliquam, & comitatem elicere, & ad colloquium adducere interrogatum volumus. vt Socrates Theætetum & Charmidem. Ego quale est accurrere & osculari eum, qui volebat osculum alius, aut intuentis in alium oculos in se avertere: tale est occupare responsionem, auresque & cogitationes ab alio in se traducere. vbi etiam si is qui interrogatus est, respondere detrectet, pulcrum est se continere, & ad voluntatem interrogantis accõmodato, tanquam in provocatione aliena, responso modestè atque verecundè occurrere. Etenim interrogatus aliquis si non satis commodè respondeat, veniã meretur ac consequitur. qui vltro in se respondendi munus alteri præreptum suscipit, is cùm bene se gerens molestiã exhibet, tum aberrans gaudio & risu omnium excipitur. Proxima cõdocefactio est, quæ ad nostras vbi interrogati sumus pertinet responsiones: vbi maximà cauere debemus futilitatem. primùm quidem, ne per impru-

imprudentiam seriò respondeamus iis qui risus aut contumeliæ causa nos ad dicendum provocant. Quidam enim nullo vsu exigente, ioci tantùm & fallendi temporis gratia cõpositas ab sese quæstiones ad garrulitatem procliuibus proponunt, vt eos ad nugandum pertrahant. Adhibenda est hîc cautio, ne celeriter ad dicendum, ac velvti gratiam agẽtes ob oblatam verba faciendi ansam prosiliamus. sed & mores interrogantis consideremus, & vsum loquẽdi. Quòd si videatur re vera voluisse aliquid cognoscere, tum continere nos discamus, & inter interrogationem atq; responsionem aliquid interiice re intervalli: vt & adiicere, si quid libeat, possit is qui interrogat: & interrogatus quid respõdendum sit dispicere, ne raptim antevertat interrogantem etiamnum ac (vt sæpe fit) festinando diuersum ab eo quod quærebatur respondeat. Sanè Pythia etiam priusquam interrogaretur aliquando, oracula edebat. deus enim, cui inseruit,

Mente uidet muti sensa, exauditq; tacentem.

Qui verò concinnè respondere vult, ei accuratè sententia & institutum interrogantis est percipiendũ: ne id eveniat, quod est in proverbio:

Ego postulabam rutra, sarcula hi negant.

Alioquin etiam effusa illa ad dicendum tanquam ab acri fame proficiscens festinatio inhibenda est: ne videatur interrogatione quasi fluxus quidam linguam occupans nobis volentibus eductus. Etenim Socrates ita sitim reprimebat, non permittens sibi ipsi vti à gymnasio biberet antè, quam primam vrnam hausiam effudisset: vt condocefaceret brutam animæ partem ad exspectandam loquendi opportunitatem. Proinde tria sunt genera respondendi ad interrogata: necessarium, come, superfluum. Ponamus exemplum. Interrogatus aliquis, intúsne Socrates? tanquam inuitus & nihil quicquam alacris respondebit, Non est intus. aut si placuerit *Responden di genera.*

Spartanos imitari,tantùm hoc referet, Non. quomodo illi Philippo per epistolam scisitanti an se in vrbem admitterent,epistolam NON litteris magnis inscriptis miserunt. Alius humaniùs respondebit, Non est intus,sed in mensa. additamenti quoque,si videbitur,loco,adiiciet,Ad mensas eum esse, & ibi hospites quosdam præstolari.Supervacaneus autem ille & loquax,siquidem etiam fortè Antimachum legerit Colophonium,sic respondebit:Non est intus, sed ad mensas,hospites expectans Iones,pro quibus ad ipsum scripsit Alcibiades, apud Miletum degens cum Tisapherne satrapam regis Persiæ,qui antè Lacedæmoniis,nunc propter Alcibiadem Athenienſibus opitulatur. nam Alcibiades conficiendi in patriam reditus gratia Tisaphernem suis conciliat.Deniq; cõtenta oratione totum octauum Thucydidis librum recitabit, eóq; auditorem proluet,donec & Miletus capiatur, & Alcibiades denuò in exsulium agatur.Hoc loco maximè inhibẽda est garrulitas,vt interrogationis velvti vestigia respõdendo sequaris,respõsionémq; interrogantis vsu tanquã centro & circino circũscribas. Carneadem,cùm in gymnasio dissereret,neq; dum magnam sibi paraſſet gloriã præfectus gymnasij, misso quid id nunciaret iussit de vocis magnitudine (erat autem vocalissimus)ali quid remittere. cúmq; is peteret,vt sibi modus vocis ab eo daretur,non ineptè subiecit præfectus,Do tibi modi loco eum,qui cum disputas.Respondenti itidem modus sit voluntas interrogantis.Porrò autem sicvt Socrates maximè ab iis abstinendum cibis aiebat, qui non esurientes ad edendum, & potibus, qui non sitientes ad bibendum pelliciunt:sic & eos sermones ad garrulitatem procliuis maximè vitet, ad quos cum voluptate aliqua fertur, inque iis solet esse nimius : eósque occurrentes sibi aversetur. Puta,bellicosi multi sunt in bellis narrãdis: talemq; facit Homerus Nestorem,sæpenumerò sua præclara recen-

Iliad.α,υ,λ, ψ,etc.

recensentẽ facinora. eodémq; modo iis qui in iudicio causas obtinuerunt, aut præter exspectationem apud reges vel principes viros gratioſi fuerũt,velvti morbos quidam incidit atq; comitatur,quod sæpenumerò memorant narrántq;, quomodo ingressi,adducti sint,certauerint,disseruerint, actores aut adversarios aliquos redarguerint, laudem retulerint.Est enim gaudium longè comica illa vigilia loquacius, subinde seipsum exsuscitans, & narrando innouans.itaque procliues ad huiusmodi sermones quauis data ansa feruntur.Non enim tantummodo

Vbi dolor urget aliquem, ibi manum tenet.

sed & delectatio vocem in se habet,secúmq; linguã circumducit,semper cupiens memoriam ea fulcire. Ita & amantes plerunque in eo occupatos videas, vt sermone aliquo memoriam eorum quæ amãt repræsentent.de quibus si nõ cum hominibus, saltem cum rebus animæ expertibus colloquuntur.vt,

O sponda mî cariſsima.— Et,
Lucerna beata,Bacchis te deum putat,
Eiq; ſi uidere,deorum es maximus.

Nimirum autem garrulus est vbi ad verba venitur alba(quod dicitur proverbio)amussis.& tamẽ alius ad aliud sermonis genus cùm sit propẽsior, idipsum potissimum vitare, ab eóq; se abstinere & revellere debet : quia hoc eum quàm longissimè provehere, & ob voluptatem prolixum in loquendo facere possit. Eodem modo affici solent sermonibus de eo rerum genere, in quo ob peritiã habitúmve aliquem aliis se præstare censent, sui enim,& gloriæ studioſi tales homines,quisque

Partem diei tribuit maximam huic rei,
In qua præstare nouit ipsus se sibi.

sic qui multę lectionis est,historias,grammaticus artificia sermonis, peregrinas res qui multum terræ

pervagatus est, solent inculcare. Itaque hîc quoque adhibenda est cautio. ineſcata enim garrulitas iis rebus tanquam animal ad vſitata ſibi paſcua fertur. Dignus admiratione Cyrus, qui cum æqualibus contentiones ſuſceperit, non earũ rerum in quibus prę ſtabat, ſed quarũ erat imperitior: ad has provocans, vt neq; contriſtaret eos vincens, & diſcendo vtilitatem perciperet. Contrà garrulus, ſi ſermo incidat de re aliqua, vnde diſcere & cognoſcere aliquid ſibi ignotũ queat: eum profligat, neſcius tacendo ei exiguam dare mercedem. orationem verò in obſoletos iam & vſu protritos centones in orbem redigit. Ita quidam apud nos, cùm forte fortuna duos aut tres legiſſet Ephori libros, omnes obtundebat homines, & omnia cóviuia devaſtabat, ſemper Leuctricam pugnã & quæ ſequuntur narrans. vnde Epaminondæ cognomentum ei factum fuit. Enimverò hoc quidem omnium eſt malorum minimum, eóq; avertenda eſt loquacitas. minus enim eſt moleſta, quando rerum ad humanitatem pertinentium commemoratione nimia peccat. Quin & adſuefaciendi ſunt qui vitio huic ſunt obnoxij, vt ſcribãt aliquid, & ſeorſim diſſerant. Stoicus quidem Antipater, vt fertur, cùm neque poſſet neque vellet cõgredi cum Carneade, magno cum impetu in Stoicos invehente, interim ſcribens libróſque implens cõtradictionibus adverſus eum, Calamoboas appellatus eſt, quòd calamo ſcilicet vociferaretur. garrulũ autem vmbratilis illa ſcribendi concertatio & vociferatio à multitudine abducens, fortaſsis paulatim tolerabiliorem conſueſcentibus prębuerit. ſicvt canes vbi in ligna aut lapides deſæuierunt, minus adverſum homines ferociunt. Congruet illis etiam admodum perpetua cum præſtantioribus & ſenioribus conſuetudo. vt verecundia illorum exiſtimationis ducti ad tacendum adſueſcant. Atque his quidem adſuefactionibus ſemper debet adhiberi & implicari hæc

hæc obſeruatio & ratiocinatio, vbi aliquid ſumus dicturi, & verba ad os procurrunt: Quiſnam eſt hic ſermo qui inſtat & vrget? quorſum tendit lingua? quid boni dicendo, quid mali tacendo ſum conſecuturus? Neq; enim oratio vrgens deponenda eſt oneris in morem, cùm etiam emiſſa permaneat nihilominus. Sed aut ſuæ alicuius neceſsitatis cauſa loquuntur homines, aut vt proſint auditoribus, aut gratiæ invicem alicuius conciliandæ cauſa conuerſationem actionémve ſuſceptam ſermone tanquam ſale condiunt. vbi verò neque dicenti vtile, neque audienti neceſſarium eſt quod dicitur, neque voluptatem aut gratiam parit: quorſum dicitur? vanitas enim & fruſtra eſſe, non minus in verbis quàm in rebus locum habet. Præter hæc omnia poſtremo loco in promtu habeatur & memoriæ inhæreat Simonidis illud, qui dixit ſępe pœnitentia ſe ductũ quòd locutus eſſet, nunquam quod tacuiſſet. Tum hoc, adſuefactionis magnam eſſe in omnibus rebus vim, quando ſingultum etiam & tuſsim homines attendendo profligantes, cum labore & dolore expulerunt. Silentium autem non ſiti modò, vt Hippocrates ait, ſed moleſtia etiam ac dolore vacat.

PLVTARCHI

De cupiditate diuitiarum, libellus.

HIPPOMACHVS alipta, quibuſdam hominem procerum longíſq; manibus prædituм laudantibus, tanquam ad pugillationem aptum: Sanè, inquit, ſi corona in ſublimi ſuſpenſa foret detrahenda. Idem

hoc vſurpare licet, qui pulcros fundos, & amplas domos, argentíque copiam cum ſtupore admirantur, inque his felicitatem ponunt: rectè ſcilicet iudicare eos, ſiquidem venalem beatitatem emere oporteret. Et verò multos videas, qui diuites iuxtáq; miſeri eſſe malint, quàm pecunia impenſa felices fieri. Atqui non eſt vænalis argento vacuitas doloris, magnanimitas, conſtantia, confidentia, vita tota ex ſeſe apta. diuitiæ in ſe non habent contemtum opum, neque ſupervacanearum poſſeſsio rerum hoc præſtat vt eas non requiras. Quo autem alio malo diuitiæ liberent, ſi ne cupiditatem quidem diuitiarum tollunt? Sanè potu bibendi appetitus exſtinguitur, & cibus cibi deſiderio medetur: & is qui dicit,

Da pallium Hipponacti, nam ualdè algeo,

ſi quis plures ingerat veſtes, non ferat, ſed reiiciat. At auariciam neque argentum neque aurum exſaturat, neque auctis opibus aboletur. ſed dici poteſt de diuitiis, id quod in medicum glorioſum dictum eſt,

Tuum remedium morbum grauiorem facit.

quippe nos qui pane opus habebamus, domóque & operculo modico, ac qualicunque obſonio nactus, impleuit concupiſcentia auri, argenti, eboris, ſmaragdorum, canum, equorum: appetitu à rebus neceſſariis ad difficilia, rara, magno labore paranda, & invtilia averſo. Etenim rerum ad vitam tolerandam ſufficientium nemo eſt pauper, neq; vnquam fenore argentum ſumſit homo vt emeret caſeum, panem, oliuas. ſed alium ſumtuoſa domus debitorem fecit, alium oliuetum finitimum, alium grana ria, vineæ, aliũ mulæ Galaticæ, alios iugales equi

Ilia. e, 453. *Pulſantes uanos currus—*

præcipitauerunt in voraginem contractuum, fenorum, pignorum. pòſt, ſicvt qui poſt extinctam ſitim bibunt, & edunt poſtquam fames ſublata fuit, vnà vomunt quæ eſurientes & ſitientes ingeſſerant: ita qui

qui invtilia appetunt atq; ocioſa, ne neceſſaria quidem retinent. Hi quidem tales ſunt. Qui verò nihil amittunt, ſed cùm habeant multa, plura ſemper deſiderant, eos magis adhuc miretur aliquis, Ariſtippi memor. Solebat enim is dicere, Si quis multa edens, multa bibens, nunquam ſaturaretur, eum ad medicos iturum, & interrogaturum, qualis hic morbus, quæ affectio, quis ſanandi modus eſſet. Si quis autem quinq; habens culcitras, decem requireret, & decem menſas poſsidens, alias totidem coëmeret, multíſque prædiis, multo argento parto nõ expleretur, ſed ad alia paranda ſe intenderet, vigilaret, neque vllis rebus eis ſatisfieret: eum non putare ſibi medico opus eſſe, qui cauſam huius affectionis oſtenderet. Atqui ſitientem qui nondum biberit, ſpes eſt potu ſitim aboliturum: qui verò continenter bibens ſitire nõ deſinat, non impletione, ſed purgatione cenſemus opus habere: & vomere iubemus, quia non indigentia eum vexet, ſed acrimonia aut calor aliquis contra naturam inhærens. Eodem ergo modo de his qui in rebus comparandis ſunt, pauperem & indigum apparet finem facturum, ſi domum nactus fuerit, aut theſaurũ invenerit, aut amico opitulante debitum perſoluerit creditoríque ſatisfecerit. Qui vero plura neceſſariis poſsidens plura expetit, eum non aurum & argentum, non equi, oues, boues ſanare poſſunt, ſed iactura opus habet ac purgatione. non enim pauperie laborat, ſed inexplebili auaricia, ob prauam & rationis expertẽ opinionem inhærentem animo. quam niſi quis evellat, tanquam obliquum nodum, nunquam deſinet appetere ſupervacanea: hoc eſt concupiſcere quæ nihil attinent. Medicus ſi intret ad hominem in grabato iacentem, gementem, & cibum averſantem, ſi tetigerit ac inquiſiuerit omnia, & febre eum vacare deprehenderit, ſatus animi eſſe morbũ diſcedet. Nos quoq; cùm videbimus hominem rei faciendæ pror

sus deditum, gementem cùm sumtus facit, nulla rē turpi, nulla molesta abstinentem quæ ad lucrū conducat, possidentem domos, prædia, greges, seruos, vestes: quo alio morbo laborare dicemus, quàm paupertate animi? Nam pecuniariam paupertatem, vt ait Menander, vnus aliquis amicus beneficus sanauerit: animo inhærentem illam non exsaturauerint omnes & viui & mortui. Rectè adeò in hos Solon dixit:

Diuitiarum homini finis non ulla statuta est.

quippe qui sana sunt mente, iis naturæ diuitiæ definitæ sunt, terminúsq; adest vsu tanquā centro & circino circūscriptus. Peculiare hoc est amori diuitiarum, quòd hæc cupiditas pugnat contra sui impletionem, ad quam reliquæ momentum afferunt. nemo enim obsoniorum cupidus, propterea obsonio abstinet, neque vino quia vinosus: pecunia auari ob amorem pecuniæ abstinent. At quī non sit hæc insana & miserabilis animi affectio, propter frigus veste, propter famem pane, propter auariciam pecunia non vti? Est hoc de Thrasonidæ malis. Apud me (inquit) intus est, licet vti, & volo vt qui insanissimè amant: non facio autem. Ergo cùm concluserim omnia, & obsignauerim, & numerauerim feneratoribus ac negociatoribus, alia colligo, & sector, & certo cum seruis, cum colonis, cum debitoribus. Apollo, an vnquam vidisti hominē infeliciorem, aut qui miseriùs amaret? Sophocles interrogatus vteretúrne rebus venereis, Bona verba, inquit, homo. libenter verò isthinc à furioso & agresti domino profugi. Est enim scitum simul cū voluptatibus etiā concupiscentias dimittere, quas Alceus ait neq; virum subterfugere neq; mulierem. Hoc verò in auaricia locum nō habet. quæ veluti molesta & morosa hera parare cogit, frui prohibet: & concupiscentiā cùm excitet, voluptatem adimit. Stratonicus Rodiorum luxum subsannans, ædificare eos aiebat tanquā immortales,

mortales, & obsonari vt breue tēpus victuros. Auari autem in parandis rebus sumtuosorum similes, partis vtuntur vt sordidi. ac labores quidem sustinent, voluptates autem non percipiunt. Demades cùm aliquando prandenti Phocioni superveniisset, viderétq; mensam eius tetricam & parcam, Miror, inquit, te, qui sic prādere possis, remp. tractare. Ipse enim ventrē suis actionibus in rep. procurabat suū: &, quòd Athenas exiguum putaret suæ luxuriæ vaticum, è Macedonia præterea commeatum petebat. Itaque Antipater cùm eum vidisset iam senem, dicebat Demadis tanquam confectæ victimæ nihil superesse præter ventrem & linguam. Te verò, ô miser, quis non miretur? qui cùm possis viuere tam illiberaliter, inhumaniter, qui neminem vlla re impertias, & erga amicos tam sis durus, neque vllam in ciuitatem exerceas munificentiam: tamen te afflictes, vigiles, conducas opera, hæreditates cernas, omnibus te rebus submittas, tantam habens ad viuēdum absque negociis occasionem illiberalitatem. Byzantium ferunt, cùm adulterum cum vxore sua deformi comprehendisset, dixisse: ô miser, quæ necessitas te huc adegit? * tu quæ conturbas succēdis *. Heus improbe, reges necesse habent opes parare, & regij procuratores, ac qui in ciuitatibus principem tenere locum atque imperare volunt. his opus est parto, dum ambitione, iactātia, & inani ostentatione impulsi conviuia præbent splendida, largiuntur, stipant, dona mittunt, milites alunt, gladiatores emunt. Tu verò, tot tantáque possidens, angis versásque teipsum cochleæ vitam ob sordes viuens, ac difficilia omnia perferens, nunquam consequeris vt bene sit tibi. & planè asinum balneatoris refers, qui ligna & malleolos identidem adportans, fumo sem per & fauilla oppletus, in nullam lauacri, caloris, mundiciæq; partem venit. Atque hæc dicta mihi sunt in asinam istam & fornicariam diuitiarum cu-

Belluinà auaricia.

piditatem. Alia porrò est belluina ac fera, quæ calumnias struit, hæreditates invadit, in fraudem inducit, solicitè inquirit ac numerat amicorum quot adhuc viuant: deinde ad nullam rem vtitur bonis vndique conquisitis. Ergo sicvt viperas, cantharides, & phalangia magis vituperamus atque odimus quàm leones & vrsos: quòd illæ bestiæ homines interficiunt, neq; interfectorum vllus iis est vsus. ita maiore digni sunt, odio qui propter illiberalitatem & sordes mali sunt, quàm qui propter intemperantiam. auferunt enim aliis ea illi, quibus vtendi nullam habent facultatem. Itaque hi quidem copia rerum parta ferias agunt, suppeditante luxuriæ materia. quomodo Demosthenes iis dixit, qui Demadē improbitati finem fecisse putabant, Nunc eum plenum videri instar leonis. Qui verò nulla voluptate, nullo vsu proposito opibus inhiant, eorum auaricia nullas admittit inducias, nullum ocium, cùm semper inanes sint & omnia desiderent. Dicat fortassis aliquis, liberis eos & hæredibus thesauros congerere, Quî verò? quibus viuentes nihil dant? vt similes sint muribus qui in metallis chrysitidem (ea est terra glebulas auri permixtas habens) vorantes, aurum non reddunt nisi mortui & dissecti. Cur ergo liberis & hæredibus volunt multum pecuniæ & rem auctam relinquere? scilicet vt hi quoque aliis hæc, rursúmque ij aliis seruent, instar figlinorum canalium, qui nihil in se retinent aquæ, sed vnusquisque proximo à se eam tradit. nempe donec extrinsecus sycophanta aliquis aut tyrannus custode sublato, fractóque tubulo aliò deriuet avertátque diuitias. aut, quod dici solet, vnus in ea stirpe pessimus exsistat, qui bona reliquorum omnia devoret. Nō enim seruorum modò, quod Euripides aiebat, sed & auarorum filij fiunt intemperantes. Indicauit hoc falsè Diogenes, præstare inquiens arietem esse Megarensis viri quàm filium. Etenim auari dum hęredes suos instituere-

Auarorum filij.

instituere & informare moribus volunt, pervertūt eos atque perdunt, auariciam eis & sordes implantantes, eámque quasi arcem & castellum tutádæ hęreditati aptum in animis eorum exædificantes. Hęc enim sunt quæ docent ac præcipiunt: Lucrare, & parce, ac tanti te crede esse, quantum est quod possides. Hoc verò non est erudire, sed stipare & consuere tanquam crumenam, vt continere ac seruare possit quod iniicitur. quanquàm crumena quidem iniecto demum argento fit sordida & fœtida: auarorum filij antè quàm accipiant diuitias, implentur paterna auaricia. Et quidem dignam disciplinæ suæ mercedem hi parentibus persoluunt, non amantes quòd multa sint accepturi, sed infensi iis, quòd non iam nūc accipiunt. Cùm enim didicerint nihil aliud admirari quàm diuitias, neque alium finem propositum vitæ habere quàm multa possidere: parentum vitam suæ impedimento esse existimant, & quātum iis accedit temporis, tantum sibi decedere. Itaq; viuis etiamnum parentibus vtcunque occultè aliquid voluptatis & fruitionis suffurantur, tanquā de alieno amicis aliquid largientes, & in suas cupiditates insumentes, si quid furtim potuerunt auferre. Vbi verò mortuis parentibus claues sunt & sigilla adepti, ibi iam aliud vitæ initur genus, vultúsque tristis & austerus, & non affabilis. non iam Colophon, non pila, non lucta, non Academia, nō Lyceum: sed seruorum examen, tabularum consideratio, cum dispensatoribus aut debitoribus collocutio, occupatio, solicitudo prandiū subtrahens, & noctu in balneum agens. exercitationes autem à puero familiares, Dircésque aqua prætereuntur. quod si quis dicat, Non audies philosophum? Qui possim? dicet: non mihi vacat à morte patris. ô te miserum. quid tantum tibi ille reliquit, quantum est quod tibi abstulit? ocium inquam, & libertatem. immò autem non ille hæc ademit, sed diuitiæ circumfusæ

& imperiũ in te nactæ, velvti Heſiodea illa mulier,

Operibus 704. *Vrunt abſq; face, incrudam truduntq; ſenectam.*

tanquam rugas intempeſtiuas, aut canos animo inducentes ſolicitudines, cupiditates, occupationes, ob quæ elatio animi, eiúſq; liberales conatus & humanitatis ſtudium cóncidunt atque tabeſcũt. Quid ergo? diceret aliquis. nónnę vides quoſdam ſuis opibus largiter vti? Tu autem, reſpondebimus, nõ audis quid dicat Ariſtoteles? alios iis non vti, alios abvti, neutros rectè. nam neque illis ſua vſui ornamentóve ſunt, & his damnum præterea ac dedecus adferunt. Agedum prius illud conſideremus. Vſus ille, ob quem diuitias admirantur, quarũ tandem eſt rerum? an ſufficientium ad vitam tolerandam? At hoc modo nihil amplius habent diuites, quàm mediocris fortunæ homines. & cæcæ re vera ſunt, vt aiebat Theophraſtus, ínque nulla admiratione diuitiæ, ſi Callias Athenienſium, & Iſmenias Thebanorum ditiſsimi iiſdem vtebantur rebus, quibus Socrates & Epaminondas. Sicvt enim Agatho fiſtulam è conuiuio ad mulieres emiſit, ſufficere ratus ſermones conviuarum: ita repudiauerim etiam ſtragula purpurea, menſas ſumtuoſas, & ſupervacanea omnia, videns diuites iiſdem vti rebus quibus pauperes. neque verò ſic

Heſiod. 45. *Ilicet & temo iam ſuſpendetur ad ignem,*
Iamq; bouum labor & mulorum cura peribit:

ſed præclaro ac ſobrio inſtituto profligatis rebus invtilibus, aurificum, tornatorum, vnguentariorũ, cocorum opera ceſſabit. Quod ſi res neceſſariæ diuiti ſũt cum pauperib. communes, iactant ſe autem diuites poſſeſsione rerum ſupervacanearum: & probatur tibi Scopa Theſſalus, qui petenti aliquid de eius ſupellectile, quòd id diceret ſupervacaneum ac proinde invtile eſſe, reſpondit: At his rebus nos ſumus beati & felices, ſupervacaneis, non neceſſariis

riis iſtis. vide ſis, ne pompam potiùs aliquam & ſolennem apparatum, quàm vitam laudaueris. Accepta à maioribus Bacchanalium feſtiuitas antiquitus plebeio more & hilari agebatur. amphora vini, & palmitis ſarmentum, tum aliquis caprum trahebat, ſequebatur alius calathum ficis plenum geſtans. vltimo loco phallus. nunc ea negliguntur & obſoleta ſunt, dum interim geſtantur aurea pocula, veſtes precioſæ, bigæ agitantur, perſonatíq; incedunt. Sic quæ neceſſaria & vtilia habent diuitiæ, ea ſupervacaneis & invtilibus obruuntur. Pleriſq; autẽ id ácci dit, quod Telemacho. Is enim ob imperitiã, aut ruditatem potiùs, cùm vidiſſet domum Neſtoris culcitris, menſis, ſtragulis, veſtibus, vinóq; dulci inſtructam, non laudauit fortunã neceſſariarum vtiliúmque rerum copia præditi. apud Menelaum autẽ conſpicatus ebur, aurum, & electrum, attonitus dixit: Odyſſ. γ.

Talem intus Iupiter, niſi fallor, Olympius aulam Odyſſ. δ. 74.
Poſsidet. ut multis hæc ornatiſsima rebus
Reſplendet: me cernentem ueneratio tentat.

Socrates verò aut etiam Diogenes dixiſſet,

—Vt miſeris, uanis oppletaq; rebus

hæc eſt, & invtilibus:

—Mihi cernenti ridere ſubibat.

Quid ais fatue? cum adimere vxori deberes purpuram & mundum muliebrem, vt luxuriandi & hoſpites depereundi finem faceret: tu interim domũ exornas vt theatrum aut thymela intrantibus videatur? Talem habent diuitiæ felicitatem, à ſpectatoribur & teſtibus pendentem, quibus omnibus tanquã ad pompam adornatus oſtentare ſe opus habet diues: alioquin ea felicitas, nulla eſt. Non ita tẽperantia, philoſophia, deorum recta noticia. nam hæc vt omnes homines lateant, in animo ſuum habent prorium ſplendorem, ſuam lucem magnam: animúſq; bonum ſummum amplectens gaudium ſibi contu-

bernale adsciscit: siue videatur virtus, siue sit diis hominibúsq; ignota. Talis res est virtus, veritas mathematum, pulcritudo rerum geometricarum & astrologicarum. cui indignum est istas diuitiarũ phaleras, & bullas ac puellaria spectacula comparari. Quippe hæc si nemo videat, nemo spectet, verè cæcæ fiunt & obscuræ diuitiæ. Nam si solus aut cum familiaribus cœnat diues, non ille magnificis mensis aut aureis poculis negocium facessit, sed quibusvis vtitur, muliérq; ei sine auro & purpura habitu simplici adest. vbi verò conviuiũ, hoc est pompa & spectaculum, paratur, & fabula diuitiarum agitur: ibi demum

Nauibus exportant tripodes simul atq; lebetes,

tum lychni curantur, tum occupatur circa calices, mutãt pincernas, omnia vestiunt, omne aurũ, omne argentum, omnia gemmata promunt, simplices diuitias suas profitentes. At verò temperantia diuiti & animi hilaritate opus est, etiam si solus cœnet.

PLVTARCHI,

Animíne an corporis affectiones sint peiores.

HOMERVS mortalia animaliũ genera contemplatus, facta vitæ institutorum atque rationum comparatione exclamauit:

Ilia. p. 445. *Nil homine in terra spirat miserum magis alma,*

Nil repit.— primas homini minimè felices tribuens, dum mala omnium maxima ei assignat. Nos autem hominem, vt iam infelicitate superantem, omniúmq; animalium miserrimũ proclamatũ, ipsum secum comparabimus, institutа peculiarium corporis cum

ris cũ peculiaribus animi malis contentione. quę distributio inutilis non est, sed admodum cóueniens: vt discamus propter animúmne, an propter nosmetipsos plus miseriæ nobis eueniat. Morbus quidẽ in corpore exsistit à natura: prauitas autem & malicia quæ in animo est, primò eius opus, deinde etiã morbus est. Non paruũ autem ad animi tranquillitatem momentum adfert, si sanabile sit malum, alleuaríq; & aboleri tandem possit. Apud Aesopum vulpes de varietate cum panthera disceptans, cùm hæc superficiem corporis variegatam maculísque nitentibus compunctam ostentasset, ipsa autẽ rufum colorem squallidum gereret & ingratũ aspectu, Quin tu, inquit, ô iudex, mea quæ intus sunt inspiciens, magis me quàm est panthera variam cernes. ingenij ostendens volubilitatem, variè provt vsus incideret versatilis. Ita nobis quoque dicamus. Multos tibi, ô homo, morbos, multos affectus corpus cùm ex se obnaturã effert, tum extrinsecus recipit. quòd si verò intus teipsum aperias, varium aliquod & multis affectum modis penu malorũ invenies: atq;, vt ait Democritus, thesaurum: non extrinsecus affluentium, sed insitos & indigenas fontes habentium, quos prauitas aperit copiosè largitérq; varias fundens affectiones. Quòd si corporis morbi pulsibus & rubore cutis, calore, ac subitis doloribus indicantur: animi autem morbi plerosq; fallunt nõ animadvertentes se in malo esse: hi tãto sunt deteriores, quòd sic affecto sui sensum auferunt. nam ratio sana morbos corporis sentit: de animi morbis, simul ipsa laborãs, iudicium ferre nõ potest, affecto eo ipso, cuius erat iudicare. Proinde inter morbos animi primus maximúsq; est censendus dementia: quæ facit vt multis prauitas insanabilis per omnem vitam inhæreat atq; commoriatur. Principiũ enim profligandi morbi est sensus eius: qui malè affectum ducit ad vsum eius quod opitulatur. qui ægrotare se non credit,

ideóq; nescit qua re indigeat, is remedium etiam si adsit, repudiat. Nam & corporis morbi ij sunt peiores, qui stuporem sensuum habent adiunctum, vt vetternus, vt dolor capitis, vt morbus comitialis, vt febres. ipsæq; illæ febres, quæ vehementi inflammatione animum abalienant, sensum tanquã in instrumento quodam conturbantes

Non antè motas mentis commouent fides.

Itaq; medici hoc volunt, vt ne ægrotet homo: si ægrotet, ne hoc nesciat. At ignoratio ferè omnibus animi morbis áccidit. nam neq; insanientes, neq; libidinosè, neq; iniustè agentes peccare se putãt: quidam etiã rem à se præclarè tum geri censent. Nemo quidé febrem sanitatis, aut tabem firmæ corporis affectionis, aut podagram velocitatis pedum, aut pallorem ruboris nomine afficit. animi excandescentiã multi fortitudinis, amorem amiciciæ, invidiam certaminis, metũ cautionis tutæ titulo donãt. Inde fit, quòd corpore malè affecto medicos vocãt, sentientes quo remedio adversus quem morbũ indigeant. Animo vitiato fugiũt philosophos: quòd quibus in rebus peccant, eas se rectè gerere opinantur. Quam nos secuti rationem dicimus, lippitudinem insania leuius esse malum, & podagram phrenitide. Corpore enim ægrotans, sentit, & medicum invocat, eíq; oculum invngendum, venam secandã, caput curandum præbet. At insanientem Agauen audis ob animi morbum etiam carissima non agnoscere:

Eurip. Bacchis.

Ferinus è monte capreolum
Recèns laniatum,
Prædam felicem.

Etenim qui morbo corporis infestatur, is statim cõcedit seq; in lectulum demittit, ibíq; quietè curationes sustinet. & sicvbi inflammatione accidente nonnihil corpus se cõmoueat & exsiliat, aliquis eorum qui adsident, placidè fatus,

Mane

Mane tuis in stratis tranquillè miser, Idem Oreſt.

inhibuerit atq; detinuerit. Qui verò in morbis animi sunt, tunc maximè agunt, tunc minimè quiescũt. incitationes enim animi, principia sunt agendi. morbi autem animi, sunt vehementiores eius incitationes. itaq; quiescere eum non sinunt, sed quando maximè patientia, silentio, & quiete opus est homini, tunc eum sub dium protrahunt & detegunt iræ, studium contendendi, amores, offensæ: cogũntque pro re nata multa facere iniquè & loqui incõuenienter. Sicvt ergo periculosior est tempestas quæ nauim ad portum appellere non sinit, quam quæ nauigare prohibet: ita difficiliores sunt animi tempestates, cohibere se hominem, & perturbatam rationem placare ac sedare non sinentes. itaque gubernatore & retinaculis carens homo per tumultum vagúmq; errorem cursibus pernicioſis & incertis quasi obtorto collo raptus, tandem in terribilem aliquem scopulum impingens naufragium facit, vitámque suam disperdit. Quapropter eò quoq; præstat corpore quàm animo ægrotare: quòd corpus tantùm afficitur malè: animus & afficitur malè, & afficit. Et quid attinet multos animi morbos recensere. ipsum temporis punctũ nos de re admonet. Videtis ingentem istam & promiscuam turbam hominum, quæ huc in forum & ad tribunal confluxit? Non hi convenerũt vt diis more maiorum colendis rem sacram facerét, non vt gentilibus sacrificiis communicarent, nõ vt Ioui Ascræo Lydiorum fructuum primitias offerrent, non vt Baccho communibus per sacras noctes orgiis atq; bacchationibus & comesationibus consecrarent libum. sed tanquam anniversariis circuitionibus vigor morbi exasperãs Asiam huc eos coëgit, vt iudicia & contentiones, quibus certus dies est constitutus, hîc peragant. multitudo autem causarum tanquam fluminum magnorum confertim in vnum incidit forum, feruétq; res, & commissa sunt

certamina perdentium & pereuntium. Quæ febres, qui epiali tale aliquid efficiant, quæ instantia aut illapsus aut mala temperies caloris, quæ abundantia humoris? Si vt homines, ita causam quoque & litem vnamquãq; examines, vnde orta, vnde profecta sit: invenies aliam à contumaci ira, aliam à furioso contendendi studio, aliam ab iniusta cupiditate originem traxisse.

PLVTARCHI

De Fortuna Romanorum, commentariolus.

VIRTVTI & Fortunæ, quæ multa sępenumerò & magna invicem certamina sustinuerunt, maximum in prẹsentia certamẽ est de Romanorum imperio, vtra eius autor fuerit, vtra tantã ei imperio potẽtiam pepererit. Vtra vicerit, ea magnũ suæ præstantiæ testimoniũ, atq; adeò magnum depellendi criminis, quod ei intentatur, argumentum reportabit. Accusatur enim virtus, vt pulcra quidem, cæterùm invtilis quæ sit: fortuna, vt bona quidem, sed instabilis. & illius labores fructu, huius dona fide carere aiunt. Quis verò neget virtutem, si ei res Romana addicatur, longè vtilissimam esse, quæ bonis tot bona parauerit? vel fortunam, si penes hanc victoria stet, stabilissimam, cùm quæ dedit, tanto iam tempore conseruauerit? Ion poëta in his quæ soluta oratione scripsit, Fortunã ait, & sapientiam, cùm sint inter se dissimilimæ, similimarum rerum effectrices esse. augẽt ambæ & ornant viros, ad gloriam, potentiam, imperium evehunt. Quorsum attinet longam enumerationem instituere? ipsam quæ nobis omnia gignit atq;

atq; proferat naturam alij Fortunam esse arbitrantur, alij sapientiam. Itaque præsens disputatio Romæ magnam suspiciendámque conciliabit dignitatem, si de ea id quod de terra, mari, cœlo, sideribus solet fieri, disquirimus Fortunámne an providentiã autorem habeat. Equidem hoc rectè opinor censere, Fortunam & Virtutem, tametsi maxima & continentia inter se gerunt bella, tamen ad tanti compagem imperij atque potentiæ tantæ structuram pace composita coiuisse, humanorúmque operum pulcerrimum cõmunicatis operis absoluisse. Plato affirmat ex igni et terra, vt necessariis primísque, vniversum mundum coaluisse, ita vt & videri posset & tãgi. terra grauitatem & stabilitatẽ conferente, igni autem colorem, formam, motum: reliquis in medio interpositis naturis aqua & aëre mollientibus & restinguentibus, itáq; extremorum dissimilitudinem cõpingentibus, atque materiam temperantibus. Sic vtique quod fundamenta Romæ iecit Tempus cum Deo, Fortunam & Virtutem coniunxit atq; cõmiscuit, vt vtriusque proprias facultates adhibens, omnibus hominibus conficeret Vestam re vera sacrã & beneficam, ac stabile retinaculum, & elementum sempiternum, & quod rebus fluctuantibus atq; sublabẽtibus anchora esset, vt cum Democrito loquar. Sicvt enim physici tradunt, mundum non fuisse mũdum, neque corpora voluisse coeuntia & commixta cõmunem ex omnibus formam naturæ præbere: sed aliis paruis etiamnum ac sparsim agitatis, subterlabentibúsque & compræhensionem nexúmque effugientibus, grandioribus autem & compactis iam atrocia invicem certamina exercentibus, turbásque dantibus, cum fragore fluctuasse omnia: antè quàm terra suam nacta ex compactis & agitatis magnitudinem ac stabilita esset: eam firmatã, etiam reliquis in ipsa aut circum ipsam subsistendi opportunitatẽ exhibuisse. ita maximis hominum potentiis atq; im

Virtutis & fortunæ consensus.

periis fortuitis casibus iactatis & inter se collisis, ꝙ nemo vnus imperaret reliquis, vellent omnes, inexplicabilis fuit clades & error ac mutatio continua omnium: donec Roma vires nacta & aucta, & in se constringente cùm gentes & populos, tum peregrina etiam atque transmarina regna & dominia, maximæ res fundamentum cui inniterentur & firmitatẽ adeptę sunt, imperio in pacatum statum, circulúmq; immobilem redacto. quem qui machinati sunt, eos & omni virtute instructos, & à fortuna plurimis in rebus adiutos fuisse, progressu orationis licebit demonstrare. Iam verò tanquam è specula quæstionis positæ prospicere mihi videor, & cernere ad collationem accedentes Virtutem & Fortunam. Sed Virtutis quidem placidus est ingressus, & vultus constans, & in facie ruboris nonnihil ob vincẽdi in hoc certamine & honoris studium concepti apparet. Lõgo hanc post se intervallo relinquit Fortuna. Ducunt autem Virtutem ac stipant

Virtutis pictura.

Arma caterua gerens conspersa cruore uirorum
Magnanimum, sæua quos strauit cæde Gradiuus:

hi adversorum vulnerum pleni, stillantes sanguine permixtum sudorem, semifractis innituntur spoliis hostium. Libẽne scitari qui sint? Fabricij sumus, aiunt, & Camilli, & Lucij, & Cincinnati, & Maximi Fabij, & Claudij Marcelli, & Scipiones. C. quoq; Marium conspicio Fortunæ iratum, & Mucius ibi Scæuola ardentem ostentat manũ vociferans, Num & hãc Fortunæ largiris? & M. Horatius qui rem pulcerrime ad flumen gessit, Etruscis grauatus telis, & pedem claudum trahens è profundo gurgite obloquitur, Num & ego fortuito casu mutilatus sum? Talis est Virtutis chorus ad contentionem proficiscens,

Terror casuris hostibus armipotens.

Fortunæ descriptio.

Fortunæ autẽ incitatus est gressus, ferox gestus, spes arrogans, & post se relicta Virtute propè adest. Non ea vel

ea vel leuibus alis sese librans, neq; qualis vestigiis summis globo impositus præceps & ambigua fertur accedere, & abitu mox euanescere suo. sed sicvt Spartani Venerem perhibent vbi Eurotam transiit, speculis, ornatu, cestóque depositis, in Licurgi gratiam sumta hasta & scuto se ornare: ita Fortuna Persis & Assyriis desertis, cùm leuiter pervolasset Macedoniam, celeritérque abiecisset Alexandrum, Aegyptúmque deinde & Syriam peragrando regna distulisset, & sæpe conversa Carthaginienses tulisset, postquam transmisso Tiberi ad Palatium appropinquauit, alas deposuit, talaria exuit, ac infideli & versatili illo globo misso facto, ita Romam intrauit, vt mansura. ac talis iam adest ad iudicium, non enim incerta est, qualis apud Pindarum, neque geminum versat gubernaculum. sed rectiùs dicitur Iusticiæ & Suadæ soror, ac Prouidentiæ (siquidem ea est Promethea) filia: quomodo genus eius Alcman describit. Illud verò omnium sermonibus celebratum copiæ cornu in manu habet, non frugibus semper florentibus refertum: sed largissimè omnia profundens, quæ omnis terra, omne mare, omnia flumina, metalla, portúsque ferunt. Illustres autem & præclari viri haud pauci eam comitantes videntur. Pompilius Numa à Sabinis, & Priscus à Tarquiniis, quos Fortuna aduenas & peregrinos in solio Romuli collocauit. item Aemilius Paulus à Perseo & Macedonibus exercitum nullo vulnere læsum, victoriámque nullo partam fletu reportans, triumphum ducens Fortunam magnopere prædicat. Idem & Cæcilius Metellus facit, Macedonicus ille senex, à quatuor filiis consularibus elatus: Q. Balearico, L. Diademato, seu Vittato, M. Metello, & C. Caprario: nec non duobus generis consularibus, & nepotibus, qui rebus gestis, ac magistratibus in republica obitis erant illustres. Tum Aemilius Scaurus, qui ex abiecta vi

ta & ignobili familia nouus homo eleuatus à Fortuna eò est, vt princeps Senatus legeretur. Eadé Cornelium Syllam è gremio Nicopolis scorti sublatum, supra Cimbricos Marij triumphos & septem eius consulatus extollens, vnius in rempublicam potestate ac dictaturis affecit. qui sanè palàm se & res à se gestas Fortunæ in adoptionem dedit, clamans cũ Oedipo Sophocleo,

Ego meipsum puto Fortunæ filium.

& Roma quidem voce Felix appellabatur. ad Græcos autem sic scribebat: L. CORNELIVS SVLLA VENVSTVS. ac trophæa cùm quæ apud nos sunt Chæroneæ, tũ Mithridatica, sic inscripta sunt. Neque id abs re. nam Veneris maximam partem nõ, vt visum Menandro, nox, sed Fortuna capit. Proinde ab hoc orsurus aliquis initio patrocinium Fortunæ opportunum, ipsos in testimonium vocauerit Romanos: vt qui plus Fortunæ quàm Virtuti detulerint. Virtutis enim apud eos serò, & longo ab vrbe condita tempore fanum posuit Scipio Numantinus. deinde Marcellus, Virtutis & Honoris. ac Mentis dedicauit Aemilius Scaurus, qui belli Cimbrici tempore vixit: cùm iam Sophistis & oratorum argutiis in vrbem illapsis istas res magnis ferre laudibus cepissent. Sapientiæ in hunc vsque diem templum non est, neque Temperantiæ, aut Tolerantiæ, aut Magnanimitatis, aut Continentiæ. Fortunæ verò templa sunt splendida & antiqua, ac tantùm non cũ primis Romæ fundamentis posita. Primus Fortunæ templum dedicauit Ancus Marcius sorore Numæ natus, quartus à Romulo rex. videtúrq; Fortunam cognominem fecisse fortitudini, cui ad obtinẽdam victoriam fortuna plurimum confert. Muliebris Fortunæ templum ante Camillum Romani fecerũt, quo tempore Marcium Coriolanum Volscos adversus vrbem adducentem mulierum opera auertunt. nam mulieres vnà cum matre eius & vxore legationem

Fortunæ templa.

nem obeuntes, exorauerunt hominem, impetrauerunt́que vt vrbi parceret, & exercitum barbarorum abduceret. Ferunt simulacrum Fortunæ, dum dedicaretur, hanc vocem emisisse: Piè me ô matronæ ciues lege vrbis dedicauistis. Quin & Furius Camillus, postquam Gallicum exstinxit ignem, Romámque ad auri pondus in trutina examinatam de lance & libra detraxit, neque Prudentiæ neq; Fortitudinis, sed Famæ & Ominis templum locauit ad Nouam viam eo in loco, vbi aiunt ante bellum M. Cædicio ambulanti noctu vocem oblatam, quæ iuberet breui pòst tempore bellum Gallicum exspectare. Quæ verò ad Tiberim dedicata est Fortuna Fortis, scilicet vi omnia vincendi prædita, & generosa, ei fanum in hortis populo à Cæsare legatis ædificauerunt, quòd hunc quoq; fauore Fortunæ ad summam potentiam evectum iudicarent. quod & ipse testatus est. (alioquin enim puduisset me isthuc de eo pronũciare.) Nam cùm à Brunduſio Pompeij persequendi causa soluisset pridie Nonas Ianuarij, hyeme iam vertente: tutò traiecit pelagus, Fortuna tempestatem superãte. Pompeium aũt cum reperisset omnibus cum copiis ibi desidentẽ, ac terræ marísq; potẽtem, ipse vix parti alicui earum par, quòd exercitus quem Antonius & Sabinus ducebant moraretur, ausus est paruo lembo conscenso, cùm neq; à domino nauis neq; à gubernatore agnosceretur, pro seruo alicuius habitus, avehi. cùm autem ad ostium fluminis acriter repugnantibus nauigationi fluctibus consilium mutare gubernatorem videret, detracto à capite tegmine, seipsum ostendit, inquiens: Perge vir fortis, aude, neq; quicquã metue, sed vela Fortunæ da, ventúmq; excipe confidens, quia Cæsarem vehis & Cæsaris fortunam. adeò certus animi erat Cæsar, Fortunam sibi nauiganti, peregrinanti, belligeranti, aciem instruenti adesse: cuius essent partes mari tranquillitatem imponere, æstatem

hyemi, celeritatem tardissimis, vires segnissimis, & (quod his est incredibilius) fugam Pompeio, Ptolemæo cædem hospitis: vt & caderet Pompeius, neq; polluueretur Cæsar. Quid? Filius huius, is qui primus Augusti cognomentum tulit, & annos LIV imperauit, nónne cùm nepotem ad gerendum bellum emittens fortitudinem ei Scipionis, gratiam Pompeij, suam fortunam optaret, sui tãquam insignis operis opificem Fortunam professus est? hæc scilicet eum Ciceroni, Lepido, Pansæ, Hirtio, Marco Antonio imposuit, eorúmque victoriis, manibus, rebus præclarè gestis, classibus, bellis, exercitibus in sublime extulit, istísque deiectis vnum iis superstitem fecit eum, qui opera eorum ad hoc fastigium conscenderat. Augusto enim & Cicero remp. consiliis gubernauit, & Lepidus militauit, & Pansa vicit, & Hirtius cecidit, & Antonius libidines exercuit. ipsámq; ego Cleopatram Cæsaris fortunæ imputo, ad quam velvti ad crepidinem tãtus imperator naufragium fecit atque elisus est, vt solus esset Cæsar. Memoria proditum est, cùm inter se familiarissimè viuerent, adsiduáq; vterentur consuetudine Antonius & Cæsar, qui deinde Augustus fuit, & per ocium sæpenumerò certamen pilæ, tesserarum, atque etiam animalium, vt coturnicum vel gallorum, instituerent, semper victum Antonium discessisse. & quẽdam amicorum, qui vaticinandi arte gloriaretur, liberè dixisse Antonio, & monuisse: Quid tibi, mi homo, rei est cum isto adolescente? quin tu eum fugis? gloria ei anteis, maior es natu, pluribus imperas, certamina bellica obiuisti, præstas experientia. sed tuus genius genium istius metuit: & tua fortuna seorsim magna, eius fortunæ adulatur, ad eúmque, nisi proeul te subducis, transibit. Atque his quidem hominum testimoniis Fortunæ causa nititur. Alia nũc ab ipsis rebus petemus, sumto initio ab ipso Vrbis primordio. Iam primùm negari non potest Romuli partum,

Rormuli fortuna.

tum, salutem, educationem, incrementa, summæ virtutis fundamenta fuisse iacta, sed exstructa tamen à Fortuna. Principiò generatio autoris vrbis Romę, admirandæ cuiusdã felicitatis fuit. mater enim eorũ cum deo corpus miscuisse perhibetur. Et quemadmodum Herculem ferunt in longa nocte satum, die præter naturam inhibita, & Sole morante: ita quo tempore Romulus est creatus, narrant Solem defeciisse, cùm quidẽ verè cũ Luna coiret, sicvt Mars deus cũ mortali Syluia. Idémq; euenisse etiam sub finẽ vitæ Romulo. nã eũ Nonis Capratinis (quẽ diẽ hodiéq; festiuitate insigni celebrãt) Sole deficiẽte inter mortales haberi desiisse. Deinde cùm in lucem editos Romulũ & Remũ tyrannus interfici vellet, Fortunę ductu traditi sunt nõ barbaro aut sæuo, sed misericordi humanóq; seruo: qui eos nõ interfecit, sed in ripa fluuij, vbi is viride pratũ alluebat, locúsque humilib. obvmbrabatur arboribus, deposuit pone caprificũ, cui Ruminali posteà nomen est factum. Exin lupa, quę recèns pepererat catulósq; amiserat, turgentib. lacte vberib. grauata, leuationisq; indiga, superueniens infantes fouit, & vbera præbuit, quasi alterũ partũ lac deponẽs. Marti aũt sacra auis picus subinde ad eos ventitans, summísq; insidens vngui-bus alternis infantium ora rostro suo aperuit, suíq; alimẽti bolos inseruit. Ac ficũ quidem Ruminalem appellant à ruma, id est vbere, quam lupa ibi sese demittens infantibus præbuit. Diu autem loci istius accolæ hunc morem tenuerunt, vt nihil natum exponerent, sed omnia tollerent atq; educarent, Romuli casum & similitudinem venerantes. Enimverò quòd tum fefellerunt occultè Gabiis educati, ignoratúmq; est eos Syluiæ filios, Numitoris regisque nepotes esse, astu & furto Fortunæ videtur euenisse: ne ante rem gerendam generis causa perirent, sed in ipsis præclaris agnoscerentur facinoribus, virtute indicium nobilitatis præbente.

Hoc loco mihi occurrit dictum magni & prudentis imperatoris Themistoclis in quosdam Athenienſiũ duces, qui ipsum secuti & rebus vſi secundis præferri ei cupiebant. aiebat enim diem, qui festum subsequitur, festo diei dixisse in quadam contentione, Tu tumultus multos habes & occupationes: ego quæ parata sunt fruendi quietem exhibeo. ac festum diem respondisse: Vera dicis. sed ego nisi fuissem, vbi tu esses? Et ego, dicebat Themistocles, si Medico bello non fuissem, quis nunc vestrûm esset vſus? Eodem mihi modo Fortuna videtur Romuli virtutem compellare: Illustria sunt sanè & magna tua facta, & re vera docuisti te sanguinem & genus deorum esse. sed viden' quanto me subsequaris spacio? nam nisi ego tũ benignitate & humanitate mea adfuissem, sed deseruissem ac prodidissem infantes, quî tu exsistere & eluceſcere potuisses? si tum non femina bestia supervenisset, inflãmata lactis copia & impetu, magisq; requirens quod aleret ipsa, quàm quo aleretur, sed fera aliqua planè fera & esuriens: non iam pulcræ istæ essent regiæ, templa, theatra, ambulationes, fora, archiua: pastores essent, casæ, stabula, Albanum, aut Etruscum, aut Latinum virum dominum agnoscentia. Sanè principium vt in omnib. rebus maximi est momenti, ita præsertim in condenda vrbe. atqui id præbuit Fortuna, quæ conditorẽ vrbis salute donauit & conseruauit. nam virtus Romulum magnum fecit. Fortuna eò vsque custodiuit, dum magnus fieret. Enimverò ipsum quoq; Numæ regnũ, quod durauit diutissimè, constat admirabili gubernatũ fuisse Fortunæ prosperitate. Quòd enim Egeria, vna de Dryadibus nymphis, dea docta, ob amorem cũ Numa consueuerit, eúmq; in instituenda & conformanda rep. adiuuerit, fabulosius fortasis est. nam & alij qui deas habuisse vxores, ab iisve dilecti fuisse dicuntur, Peleus, Anchises, Orion, Emathion, vitam non admodum ex animi sententia &

Numæ regnum.

tia & citra molestiam exegerunt. Sed Numa videtur revera bonam fortunam habuisse contubernalem, & collegam, quæ tanquam in turbulento æstu, conturbatoq; mari, in vicinorum ac finitimorum odiis atq; inimiciciis vrbem exagitatam & inflammatam innumeris laboribus ac dissidiis amplexa, iras & invidias adversariorum tanquã ventos sedauit, & sicvt mare dicitur alcyonum partus in tempestate excipere, conseruare, ac souere: ita rerum tranquillitatem Romæ circumdans, statúmq; bellorum, morborum, periculorum, & terrorum expertem, recèns collecto populo & variè concusso occasionem præbuit radices agendi, ciuitatémq; constituendi per ocium tutò atque citra impedimentum. Quemadmodum enim nauis oneraria aut tritemis ictibus & vi multa compingitur, malleis, clauis, cuneis, serra, securibus adhibitis: cõpactam aũt stare ad certum tempus necesse est, & coalescere, dum vincula roborentur, & claui firmentur: quòd si recenti adhuc & lubrica cõpage in mare deduceres, omnia concussũ fathiscerent, & aquam admissura essent. ita Romã primus cõditor & opifex ex agrestibus hominibus & pastoribus cõponens tanquã ex validis roboribus, haud exiguos tolerauit labores, neq; leuia bella & pericula sustinuit, necessitate cõpulsus obsistentes origini ac institutioni eius propulsare. Secundus aũt tẽpus nactus, benignitate Fortunæ, spaciũ Vrbi coalescendi & se confirmandi largitus est, multũ pacis adeptus, multũ ocij. Si verò tũ tẽporis Porsena aliquis Etusca castra exercitúmq; muris admouisset, aut bellicosus aliquis defectione facta Marsus, invidúsve & contentiosus Lucanus, quales posteriorib. temporibus exstiterunt Mulius, aut feroxille Silo, aut vltima Syllæ ærumna Telesinus, qui quasi vna data tessera totam armauit Italiam, philosophum Numam tubis circumsonasset immolantem & deos comprecantem: nullo modo principia vrbis resistere tanto

potuissent æstui atque motui, neque ad tantam hominum multitudinem ac virtutem incrementa facere. nunc istius temporis pax videtur Romanis quasi commeatus fuisse ad bella quæ postmodò inciderũt sustinenda: & athletæ instar populus è certaminib. sub Romulo obitis in pace XLIII annorum corpore exercitato, vires sufficientes adversus hostes futuros parauisse. Nam neque famem, neque pestem, neque sterilitatem terræ, neque alienam æstate hyemé ve tempestatem illis annis Romæ ferunt incubuisse: nimirum non humana prudentia, sed diuina fortuna illud tempus gubernante. Ergo tunc Iani quoque bifores portæ, quam Belli portam vocant, clausæ sunt. aperiebantur enim cùm esset bellum, pace facta claudebantur. Numa mortuo apertæ sunt, bello cum Albanis commisso. sexcentis deinde aliis bellis continenter subsecutis, quadringentis post & octogiuta annis iterum clausus est Ianus, post Punicum primum bellum pace parta, C. Atilio, & T. Manlio Coss. Ab illo anno rursum apertus fuit, duraueruntq; bella vsque ad victoriam Augusti Actiacam. tunc arma Romanorum exiguo tempore conquieuerunt, Cantabricis tumultibus, bellisque Gallicis & Germanicis irruentibus, pacémque conturbantibus. Atque hæc adiecta sunt fortunati Numæ testimonium exponentia. Sed & qui eum secuti sunt reges, Fortunam admirati sunt, vt principem alumnámque Romæ, & (quod Pindarus dixit) revera vrbem ferret. Id sic considerare licet. Templum Virtutis est Romæ, sed serò conditum multis ab Vrbis initio annis, à Marcello qui Syracusas cepit. Est etiã Mentis: sed id dedicauit Scaurus Aemilij qui bello Cimbrico vixit: cùm iam oratoria ars, & argutiæ sophistarum in vrbem se insinuassent. Sapientiæ in hunc vsq; diem templum non habent, neque Temperantiæ, neque Tolerantiæ, neque Magnanimitatis. Fortunæ verò templa permulta antiqua & & splen-

Iani templũ

Fortunæ templa.

& splendida omnis generis ferè honoribus posita sunt, & permixta partib. ac locis Romæ potissimis. Virilis Fortunæ templum ab Anco Marcio quarto rege est ædificatum: nomenque inde petitum, quòd ad victoriam parandam fortitudini fortuna plurimũ adfert adiumenti. Muliebris Fortunæ templum dedicauerunt matronæ, cùm Marcium Coriolanum hostes adversus Romam ducentẽ avertissent: quod nemo ignorat. Ser. porrò Tullius, qui omnium regum maximè & potentiam auxit populi, & remp. ornauit, ordinémq; census, ordinem militiæ instituit, primúsq; censor & inspector vitæ ac modestiæ ciuiũ fuit, creditúsq; est vir fuisse fortissimus ac prudentissimus: ipse seipsum ad fortunam reiecit, eique regnum suum acceptum tulit: ita vt etiam cum eo cõsuescere Fortuna putaretur, per feneſtellam in domũ eius descendens. Is ergo Fortunæ tẽpla posuit, Primigeniæ in Capitolio, & Obsequentis. Est & Priuatæ Fortunę templũ in Capitolio, & Viscosę. quod etsi ridiculũ est cognomẽ, tamen translatione contemplãdã Fortunæ naturã exhibet, eminus ad se tra hentis, & tangentia retinentis. Ad fontem, qui Muscosus dicitur, Virginis adhuc Fortunæ fanum est, in Abescymis versantis. In Longo angiportu Fortunæ bonæ Spei est ara. Est & sacellum Masculæ Fortunæ sacellũ apud aram Veneris Epitalariæ. aliæq; sexcentę appellationes & honores Veneris sunt, quorũ pleraq; Seruius instituit, gnarus magnũ momentũ, immò summã in reb. humanis vim esse penes Fortunã: maximè cùm ipse esset fortunę fauore de captiuo & hostili gente nato rex factus. Nam Corniculo à Romanis capto, Ocresia virgo captiua, cuius neq; formam neq; mores obscurauit Fortuna, Tanaquili di Tarquinij regis vxori data seruiuit, nupta cuidã clientum. ex his natus fuit Seruius. Alij rẽ sic narrãt. Ocresiam virginem identidem primitias & libationes à regia mensa accipere, & ea ad focum perferre

Ser. Tullij regnum.

consueuisseque, cùm aliquando pro more ea in ignẽ iniiceret, subitò collapsa flamma, genitale viri membrum è foco exstitisse. virginem perterritam eo ostẽto, rem Tanaquilidi exposuisse. hanc, vt erat cordata ac sapiens mulier, diuinam eam rem censuisse, virginémq; sponsæ in morem ornatam cum spectro illo concluisse. amorem hunc alij Lari, alij Vulcano adscribunt. inde ergo natum Seruium: & infantis etiamnum caput fulgorem fulguris æmulum edidisse. Antias, non ita, sed Seruio vxorẽ Geganiam morte fuisse sublatam, ipsúmq; præsente matre præmœrore in somnum prolapsum, ac caput dormientis visum fuisse mulieribus igni circùm illustrari. quod erat testimonium, ipsum ex igni natum, bonúmq; indicium insperati regni, quod à morte Tarquinij studio Tanaquilidis obtinuit. Nam omnium alioqui regum hic ad imperium absq; vllo collega gerendum fuit ingenio ineptissimo, animóque minimè alacri. qui etiam deponere volens regnum, prohibitus est. moritura enim, vt apparet, Tanaquil iureiurandum ab eo exegit, non dimissurum se esse formam reip. à maioribus acceptam, regémque permansurum. Ita Seruij regnum planè Fortunæ debetur, quod ille & præter exspectationem suam occepit, & præter suã voluntatem retinuit. Sed ne videamur ex illustribus & evidentibus argumentis ad prisca tempora, tanquam obscurum in locum cõfugere & recedere: agedum omissis regibus ad notissimas actiones & celebratissima bella oratio nostra se cõvertat. Quis verò non fateatur ad bellum requiri multum audaciæ ac fortitudinis, quæ virtuti hastiferæ, vt Timotheus ait, auxilium & opem ferat? & tamen qui rectè raciocinari volet, is secundam rerum prosperarum affluentiam, impetúmq; ad tantam potentiam & incrementa, non hominum manibus aut consiliis, sed diuina quadam incitatione & accelerantis Fortunæ vento ad tantam Romani imperij molem per-

perueniisse intelliget. Etenim trophæa alia super alia eriguntur, triumphi triumphis occurrunt, priórque in armis sanguis adhuc calidus secundo occupatus eluitur. victorias autem non interfectorum & spoliorum multitudine numerãt: sed captis regnis, subactis gentibus, insulísq; & continentibus ad magnitudinem imperij accedentibus. Vna pugna Philippus Macedoniam amisit. vna accepta plaga Antiochus Asia excesit. semel victi Carthaginiẽses Libyam perdiderunt. vnus vir, vnius expeditionis impetu, in potestatem P. R. redegit Armeniam, Pontum, Syriam, Arabiam, Albanos, Iberos, & quæ vsq; ad Caucasum sunt atque Hyrcanos, térque eum orbi terrarum circumfusus Oceanus victorem vidit. nam & Numidas in Africa vsque ad meridionalia litora repressit: & Hispaniam, quæ Sertorij à partib. steterat, vsque ad Atlanticum subegit mare: & Albanorum reges insequens ad Caspium constitit mare. Hæc ille omnia confecit, publica adiutus fortuna: deinde à suo subversus est fato. Nimirum magnus ille Romanorum genius, non ad diem vnum spirans, aut exiguo tempore vigens, vt Macedonum: neque in terra tantùm potens, vt Laconum: aut mari, vt Athenienſium: neq; serò commotus, vt Persarum: neque subitò sopitus, vt Colophoniorum: sed iam inde à principio cum Vrbe adolescens, vnáq; crescens & augens rempublicam, cõstanter adfuit terra marí que, in bellis & pace, adversus babaros & Græcos. Is genius Annibalem Carthaginiẽsem, cùm ob inuidiam & ciuiles concertationes populus ei nulla mitteret subsidia, torrentis instar effudit & consumsit circa Italiam. Is Cimbrorum & Teutonum exercitus magnis locorum temporúmq; intervallis disiũxit, vt sufficere Marius posset cum vtrisq; seorsim cõfligens: ne inter se coniunctæ ter centum millia hominum invictorum & insuperabilium confertim quasi proluuie Italiam invndarent. Eadem causa

Fortunæ Romani imperij.

fuit, quòd & Antiochus cùm Philippus bello peteretur occupationibus fuit distentus: & Philippus Antiocho in discrimine versante iam antè prostratus iacuit. Et Mithridatem Marsico bello Romam vrgente, Sarmatica ac Bastarnica bella detinuerunt. Tigranem à Mithridate, cùm hic reb. prosperis clareret, suspicio & invidia avellerunt: victo socium fortuna fecit, vt communi ruina periret. Quid verò? an non extrema mala passam Vrbem restituit Fortuna? Gallis castra circa Capitolium metatis & arcem oppugnantibus

Ilia. a, initio.

Immisit castrisq; luem, multosq; necauit.

& nocturnam ipsorũ aggressionem, quæ omnes homines fefellerat, Fortuna & Casus prodiderũt. Quã de re fortasse intempestiuum nõ est paulo prolixiùs disserere. Victis ad Aliam, maximáq; clade affectis Romanis, alij superstitũ Romam præcipiti fuga perlati, populum terrore & tumultu exagitauerũt, cùm quidem pauci cõvasatis rebus in Capitolium se cõtulerunt, ibiq; eventum præstolari sustinuerunt: alij rectà à clade Veios cõfluentes, dictatorem dixerũt Furium Camillum. & quem antè rebus vtens secundis atq; tristas erigẽs populus abiecerat atq; oppressérat peculatus reum factum: eum consternatus & fractus à clade repetiit, tradens magistratum nullis obnoxium legibus. Cæterùm Camillus ne temporis gratia, sed legitimè sibi is delatus magistratus videri posset, néve tãquam Vrbe deplorata armis dissipati & vagi exercitus comitia cõficeret, oportuit senatores qui in Capitolio erant militum sententiã, certio es de ea factos, approbare. Erat tum C. quidam Pontius in exercitu, vir strenuus: qui in se recipiens nuncium se decreti iis qui in Capitolio erant allaturum, ingens adiit periculum: cùm eundum esset per hostes, qui in orbem excubiis & vallo arcem cinxerant. Vt ergo noctu ad amnem pervenit, iniecto suberibus latis pectore, & corpore vehiculi leuitati

Galli Roma potiti, profligãtur.

uitati cõmisso, secũdo Tiberi defluxit, atq; ab eo leni lentè devectus, tutò in vlteriorẽ ripam traiecit, indéque per loca hominum vacua (è tenebris autem & silentio solitudinem colligebat) ad rupem Capitolinam pervenit: curuaturisque se & asperis processibus eius, quæ conscendi & teneri se patiebãtur cõmittens, ac sursum enitens ad Capitolium evasit: vbi receptus ab excubitoribus iis qui intus erãt sententiam suorum renunciauit, decretóq; accepto rursus ad Camillum contendit. Postridie quidam barbarorum temere locum illum circumiens, vt vidit partim vestigia pedum summis impressa digitis, ac lapsus, partim detritas ac confractas herbas quæ terrestribus innasci solent partibus, tum corporis tractus, & obliquos nisus: cæteris significauit. Ij verò viam sibi ab hostibus ipsis cõmonstratam putantes, conati sunt contendere: obseruatáq; ea noctis parte, sub quam maxima est solitudo, evaserunt ad arcem, non vigilibus modò non animadvertentibus, sed ne canibus quidem vigilum sociis & excubitoribus. ita omnes sopor oppresserat. Neque tamen defuit Romanorum fortunæ vox, quæ tantum malum indicare & prodere posset. Anseres sacri circa fanum Iunonis alebantur ad cultum deæ. Id animal & natura ea est facilè vt perturbetur, atque ad omnem strepitum expaueſcat: & tum ob magnam in arce difficultatem rerum quia negligebantur, leui & famelico somno iacebant, itaque statim sensum perceperunt hostium iam supra muros apparentium, editáque alta voce proteruè advolauerunt, magisq; deinde armorũ cõspectu territi, clangorẽ sonorũ ad modũ & asperum ediderunt. quo excitati Romani, re intellecta repulerũt & per præcipitia hostes deiecerunt. Etiamnũ solenni in pompa gestatur canis in crucem actus, & anser splendidè admodum in lectica & veste stragula preciosa sedẽs. Quis nõ verè ob stupescat, animóq; cõmoto miret, cõplexus animo

Anseres Romam seruant.

& quæ tum erat Vrbis miseria, & quæ hodie cernitur eiusdem felicitas, splendorem intuens donariorum ac diuitias, artium certamina, vrbium largitiones, missas à regibus coronas, atq; omnium quæ terra, mare, insulæ, continentes, fluuij, arbores, animalia, campi, mõtes, metalla ferunt primitias certatim pulcritudine & elegantia ornantes istum locũ: tam parum abfuisse quin neq; fierent ista omnia, neq; essent? igni autem, & tenebris horrendis, caligine, gladiis barbaricis, ac cædem spirantibus animis cùm omnia opplerentur, viles & brutas timidásq; altiles principium salutis attulisse: magnósq; illos duces & factis præstantissimos viros, Manlios inquam, Seruios, Postumios, Papyrios, qui familias postmodò illustres propagauerunt, in extremo iã de salute periculo constitutos, ab anseribus fuisse excitatos, vt pro diis patriis patriáq; propugnarent? Quòd si verum est, quod Polybius libro secundo de Gallis qui tum occupauerant Romam scribit, eos accepto nuncio suas res agi ferríq; à finitimis barbaris, qui ipsorum ditionem facta impressione occupassent, pacta cum Camillo pace discessisse: iam ne controversia quidem Fortunæ moueri potest, quin ea salutis causam præbuerit, aliò hostes trahens, aut potiùs à Roma præter omnium exspectationem avellens. Sed quid in his refert immorari, quæ certi nihil habent, nihil definiti? cùm & res Romanorum perierint, & confusi sint commentarij: vt Liuius narrat. Quæ enim posterioribus temporibus evenerunt, magis aperta & conspicua, Fortunæ demonstrant benignitatem. Ego verò etiã Alexandri Magni mortẽ in parte felicitatis Romanę pono, viri magnis successibus & rebus clarissimè gestis insuperabili confidentia & elatione animi, qui stellæ instar ab ortu Solis in occasum transiliebat: ac iam in Italiam fulgorem armorum iaciebat. Erat ei præscriptio expeditionis suscipiendæ Alexander Molossus, apud

Initio sexti.

apud Pandosiam à Brutiis & Lucanis occisus: re autem ipsa gloriæ amor eum (qui adversus omnes homines instigabat) & æmulatio de imperio stimulabat, cupientem expeditione vltra terminos Bacchi & Herculis progredi. Porrò autem Italiæ audiuerat Romanam potentiam atque robur tanquam aciem præpositam esse. nam Romanorum nomen & gloriam clarissimorũ ad eum fama pertulerat tanquam athletarum innumeris bellis exercitatorum.

Non equidem poterat dirimi sine sanguine pugna,
si conflixissent inter se armis invicti, & animis nullo metui obnoxiis præditi. Quippe hi erant numero CXXX millibus non inferiores, bellicosi omnes, fortésque, &

Gnari cornipedes agitare in prælia duros,
Et gnari pugna quoq; decertare pedestri.

PLVTARCHI

De Alexandri Magni siue Fortuna, siue virtute, oratio prior.

HAEC ergo Fortunæ oratio est, Alexandrum sibi soli totũ vindicãtis. Cõtrà autem pro philosophia disserendum est. aut pro ipso potiùs Alexandro indignante & ægrè ferente, si imperium gratis & à Fortuna accepisse videatur, quod multo sanguine vænale assiduis consecutus vulneribus,

Insomnes noctes permultas pervigil egit, *Iliad. 1, 325.*
Atq; dies, dum bella gerit, pugnatq; cruenta

adversus invictos exercitus, & innumeras gentes, & flumina nunquam transmissa, & saxa sagittis inac-

Alexandri ad Fortunam.

cessa: consilio, tolerantia, fortitudine, ac temperantia stipantibus. Arbitror autem ipsum Fortunæ res ab eo gestas sibi adscribentem dicturum: Noli meæ virtuti detrahere, noli meam gloriam deprimere: tuum opus est Darius, quem ex seruo & astanda regis dominum Persarum fecisti: tuum Sardanapalus, cui purpuram pectenti diadema regium circumposuisti. Ego autem victor ab Arbelis ad Susa perrexi, & Cilicia mihi latam aperuit Aegyptum, Ciliciam Granicus, quē cadaueribus Mithridatis & Spithridatis pro ponte vsus transiui. Orna teipsam & iacta regibus vulnerum & cruorum expertibus. illi enim fortunati erant, Ochi & Artaxerxæ, quos statim à partu in solio Cyri collocasti. Meum quidem corpus multa signa, certáque ea fert, Fortunæ non adiuuantis, sed repugnantis. Primùm apud Illyrios caput mihi saxo, ceruix vecte est contusa. deinde ad Granicum caput mihi gladio barbarico est comminutum, femur ad Issum ense. ad Gazam malleolum sagitta sum ictus, graui autem de sella lapsu luxaui humerum. ad Maracatarda os tibiæ mihi sagittis est perruptum. subsecuta sunt ab Indis vulnera, & vbique violentia, vbi sagitta mihi ictus fuit humerus. * apud Gandridas crus vulneratum. apud Mallotas arcu actum telum pectori meo infixum ferrum reliquit, & vecte sunt ceruices verberatæ cùm quidem appositæ muris scalæ ruptæ sunt, & Fortuna me vnicum inclusit, ne illustribus quidem aduersariis, sed ignotis barbaris tantam rem gratificata. quòd nisi Ptolemæus parma texisset me, & Limnæus ante me innumeris occurrens telis cecidisset, ac animis efferuescentibus vim adhibentes Macedones muros subvertissent: oportebat Alexandri sepulcrum fieri barbarum illum & nullius nominis pagum. Atque hęc quidem ipsius sunt expeditionis, tempestates, siccitates, fluminum profunditates, altitudines saxorum ad quæ evolare aues nequeāt (Aorna saxa) ferarum

ferarum conspectus naturam excedentium, agrestis & inhumana victus ratio, mutationes regulorū, rursúmq; proditiones. Ante illam verò expeditionem à Philppicis bellis recalcitrabat Græcia, & Thebæ Chæronensem puluerem ab armis decutiebant, è ruina resurgentes: adiuuantibus, auxiliaréque porrigentibus manus Athenienſibus. adhæc tota nouas occultè res meditabatur Macedonia, ad Amyntam & Aëropi filios animis inclinans. erumpebant Illyrij, & Scythicæ res fluctuabāt vicinis turbas molientibus. aurum quoque Persicum per omnium locorum oratores diffusum, exagitabat Peloponnesum. ad hæc exhausti erant Philippi thesauri, & debebat rex præterea, vt autor est Onesicritus, ducenta talenta. In tanta inopia, ac rerum perturbatione, ausus est adolescens, qui vix dum ex ephebis excesserat, Babylonem sperare & Susa, immò vel imperium in vniuersos homines animo concipere? fretus (putatis) xxx peditum, & quatuor equitum millibus? tot enim fuisse Aristobulus affirmat. rex Ptolemæus equitum quinque millia ponit: Anaximenes XLIII millia peditum, equites 1 0 0 1 0. Præclarum verò, quod ei Fortuna parauerat, viaticū, LXX erant talenta, si Aristobulo credimus: si Duris audiendus est, xxx duntaxat dierum commeatus. Inconsultus igitur fuit & temerarius Alexander, qui ita tenui cum re aduersus tantam potentiam ausus est bellum suscipere? Nequaquam verò. Quis enim vnquā maioribus pulcrioribúsve instructus rei gerendæ occasionibus ad bellum profectus est? magnanimitate inquam, prudentia, temperantia, fortitudine. quibus eum viaticis philosophia ad expeditionem instruxit, vt maiorem à præceptore Aristotele, quàm Philippo patre commeatum ad rem gerendam consecutus, in Persas mouerit. Nos autem credimus iis, qui scribunt Alexandrum aliquando dixisse Iliadem se & Vlissēam habuisse secum expeditionis suæ

viaticum: atque Homerum eo nomine prædicamus. Si quis verò affirmet eũ libros iſtos animi reficiendi, laboríſque conſolandi, & ocio ſuauitatem conciliandi gratia ſecum tuliſſe: viaticum re vera ei fuiſſe doctrinam è philoſophia perceptam, ac commentationes de vacuitate metus, fortitudine, temperantia, magnanimitate: contemnimus. ſcilicet quia nihil de ſyllogiſmis aut pronunciatis ſcripſit, neque ambulationem in Lyceo occupauit, neq; de propoſitis in Academia diſputauit. His enim rebus philoſophiam definiunt, qui eam verba, nõ res putãt. Atqui neque Pythagoras quicquam ſcripſit, neq; Socrates, neque Arceſilaus, neque Carneades, nobiliſſimi philoſophi. neque illos tanta occupabãt bella, neque barbaros reges cicurando, & Græcanicas vrbes in feris condendo nationibus, & iniuſtas contumacéſque gentes pacem legéſq; docendo terras peragrabant: ſed quantumvis in ocio vitã agentes, ſcribendi munus ſophiſtis relinquebant. Vnde ergo creditum eſt eos philoſophari? è dictis, è factis, ex iis quæ docuerunt. Ex his itaq; de Alexandro iudicetur. quæ dixit, quæ egit, quæ docuit, philoſophum fuiſſe oſtendẽt. Ac primõ id, quod ab opinione vulgi eſt alieniſsimũ, conſidera, comparationem diſcipulorum Alexandri cum diſcipulis Platonis & Socratis. Ingenioſos hi, & eadem lingua vtentes inſtituerunt, ſi nihil aliud, ſaltẽ Græci ſermonis intelligentes. & multis horũ ſua non perſuaſerunt: cum Critiæ, Alcibiades, Clitophontes præcepta tãquam frænum exſpuentes aliò deflecterent. Alexandri doctrinam ſi inſpicias, Hyrcanos docuit coniugiis vti, Arachoſios agriculturam: Sogdianis perſuaſit vt alerent, non interficerent patres, Perſas vt venerarentur, non vxorum loco haberent matres. O admirabilem philoſophiam, quæ fecit vt Indi deos Græcorum colerent, & Scythæ mortuos humarent, non (vt antè) comederent. Admiramur Carneadis vim, qui

Alexãdrum fuiſſe philoſophum.

qui Clitomachũ domo Carthaginienſem priùs Aſdrubalem vocatum, Græcos mores inſtitutáq; amplecti docuit. & Zenonis, quòd Diogeni Babylonio perſuaſit vt operam philoſophiæ daret. At vero Aſia ab Alexandro pacata Homerum paſsim legebat: & Perſarum, Suſianorum, Gedroſiorúmque filij Euripidis ac Sophoclis cantabant tragœdias. Et Socrates quidem nouos introducens genios, pœnas Athenienſibus calumniatoribus dedit: Alexandri opera factum eſt, vt Bactra & Caucaſus Græcorum deos adorarent. Plato vnicam reip. formã ſcripſit, neque cuiquam perſuaſit vt ea vteretur, quòd erat auſtera: Alexander amplius LXX vrbibus in barbaris condidit gentibus, diſſeminatíſque per Aſiam Græcis inſtitutis, à fera & belluina vitæ ratione homines detraxit. Ac Platonis ſanè leges pauci legimus: Alexandri legibus multa hominum millia vſa ſunt & vtuntur: victíq; ab eo feliciores iis ſunt qui ipſum ſubterfugerunt: cùm his nemo miſerè viuendi finem impoſuerit, illos victor coëgerit feliciter viuere. Itaque quod Themiſtocles dixit, quo tempore à patria profugum rex Perſiæ magnis affecit donis, tréſque ei vrbes ſtipendiarias fecit, vnam ad frumentum, alteram ad vinum, tertiã ad obſonium ſuppeditãdum: ô pueri, perieramus niſi periiſſemus. id rectiùs de his dici poteſt, quos Alexander ſubegit. Nunquam enim manſueuiſſent, ſi domiti non fuiſſent. non haberet Alexandream Aegyptus, neque Seleuciã Meſopotamia, neque Sogdiani Prophthaſiam, neque Bucephaleam Indi, neque Caucaſus circumpoſitas Græcanicas vrbes. quibus barbara feritas repreſſa paulatim eſt, moréſque de malis in bonos conſuetudine redacti. Proinde ſi rectè maximam ſibi laudem philoſophi inde petunt, quòd dura & inculta ingenia emolliunt atque componunt: meritò pro ſummo philoſopho Alexander habendus eſt, qui innumeras efferas gentes atque in-

doles cicurauerit. Iam illa reip. forma à Zenone Stoicæ sectæ autore tradita, quæ tantopere laudatur, ad vnum hoc caput tendit, vt non per vrbes ac pagos habitemus, singuli proprio nobis iure ab aliis distincti: sed vniuersos homines populares ciuésque nostros censeamus esse, vna omnium vitæ ratio, vnus ordo sit, tanquam gregis alicuius quæ communibus vtitur æquali lege pascuis. Atque hoc quidem scriptum reliquit Zeno, tanquã somnium aut imaginẽ æquitatis & reip. philosophicæ informans. Alexander re ipsa doctrinam eam expressit. Neque enim secutus est Aristotelis consilium, qui eum iubebat Græcis se tanquã principem, barbaris vt dominum præbere: & illorum quidem vt amicorum & domesticorum curam gerere, his tanquam brutis aut stirpibus vti. quod si fecisset, regnum suum bellis, exiliis, seditionibus, simultatibúsque impleuisset. Sed ita statuens, diuinitus se communem omnium nationum moderatorem atque arbitrum esse missum, quos verbis non poterat, armis ad communitatem adigens, omnes vndique gentes in vnum corpus conduxit, tanquam in amiciciæ cratera commiscens vitas, mores, nuptias, victus rationes: mandauítque vt vniuersi mundum pro patria agnoscerẽt, castra pro arce & præsidio, bonos pro cognatis, malos pro peregrinis. inter Græcum & barbaricum non chlamyde, pelta, acinace, candya distinguerent: sed Græcum virtute barbaricum vitiositate estimarent. communes autem ducerent vestes, mensas, coniugia, victus rationes, cùm hæc omnia sanguine & prole invicem essent cõtemperata. Demaratus Corinthius, vnus de hospitibus & amicis Philippi, cùm Alexandrum Susis videret, magno correptus gaudio, effusis lacrymis, Magno dixit gaudio priuatos esse Græcos ante id tempus vita defunctos, quòd Alexandrum non vidissent in solio Darij sedentem. Ego autem me hercle eos, quibus id spectare

Alexander omnes gentes in vnã remp. conduxit.

spectare contigit, isto nomine beatos non censeo: cùm Fortunæ id fuerit munus, & multorum commune regum. Illam verò videre voluissem præclaram sacramque sponsalium procurationẽ, cùm Alexander vno tentorio, quod auro erat ornatum, complexus centum Persidas sponsas, totidémq; Macedones & Græcos sponsos, communibus penatibus mensæq; eidem adhibuit: primúsque ipse serto redimitus hymenæum orsus, tanquam cantilenam amoris mutui testem accinens, maximas & potentissimas gentes in communitatem conduxit centum copulatis coniugio paribus, vnius ipse sponsus, reliquis omnibus auspex simul, & pater, & moderator. Cum voluptate enim aliqua dixissem: O barbare & fatue Xerxa, & frustra tanto conatu pontem Hellespontium molite: sic prudentes reges Asiam Europæ coniungunt. non lignis, non ratibus, non animæ & consensionis expertibus vinculis: sed legitimo amore, castísque nuptiis, & prolis communione gentes vniendo. Ad hunc respiciens ornatum Alexander, non Medicum adsciuit vestitum, sed Persicum, multo quàm est Medicus viliorem. nam aliena ista & invsitata ac tragica barbarici ornatus recusans, vt tiaram & candyn & anaxyrides, vestem gestauit ex habitu Macedonico & Persico compositã, vt Eratosthenes narrat. vt philosophus, indifferentibus vtens: vt autem princeps communis, & rex humanus, vestis honore superatorum sibi parans benevolentiam, vt constantes permanerent, Macedonésque non vt hostes odio, sed vt principes amore prosequerentur. Contrà enim insipientis erat & inflati animi, chlamydem vnicolorem admirari, tunicam punica prætextam odisse. vel à diuersa parte ista contemnere, ad hæc obstupescere: ac in morem infantis eum conseruare vestitum, quem maiorum vsus tanquam nutrix circumdedisset. Qui feras uenantur homines, ij pellibus

Macedonũ & Persidũ coniugia.

Vestitus Alexandri.

ceruorum se amiciunt: & alatis tuniculis vtuntur, qui aucupantur volucres. cauéntque tauris se ostentare in punicea veste, aut in alba elephantis: quia his coloribus ista animalia efferantur & in rabiem aguntur. Si autem rex magnus gentes intractabiles & imperio reluctantes, tanquam bestias cicurans, vestitu iis consueto demitigauit, victúsque vsitata ratione compescuit, mœrorem animi eorum & tristiciam deliniens: id reprehendunt? ac non potiùs admirantur sapientiam eius? qui leui admodum habitus mutatione Asiam demulserit? vtq; corpora armis debellauit, ita veste animos sibi devinxerit? Enimverò Aristippum Socraticum admirantur, qui & vili pallio, & læna Milesia ita vsus est, vt vtrobique decorum seruauerit. Alexandro autem vitio dant, quòd patrio habitu exornato non contemsit vestem bello domitorum: cùm quidem ille magnarum iáceret rerum fundamenta. Non enim latrocinio Asiam incursare, aut insperatæ fortunæ dono prædas & spolia rapere meditatus: (quomodo post ea temporis Italiam Annibal, & priscis temporibus Treres Ioniam, ac Scythæ Mediam populati sunt) sed omnes terræ populos vni subiicere imperio ac reip. formæ omnes homines in vnum populum conducere cupiens, hoc modo sese composuit. ac nisi tam celeriter genius qui animum Alexãdri huc demiserat, eundem ad se revocasset: vna vtiq; lex omnibus hominibus proposita fuisset: mortalésq; vniuersi ad vnicum ius tanquam communem lucem respexissent. nunc ea pars terræ quasi Solis radiorum expers mansit, quæ Alexandrum non vidit. Ergo primùm ipse expeditionis scopus hominẽ à philosophia commendat: vt qui non sibi luxum & opes ac splendorem, sed omnibus hominibus concordiam, pacem, mutuamque communicationem parare instituerit. Secundo loco dicta eius considerabimus: quando aliorum etiã regum atque principum

mores

mores & ingenia vocibus potissimùm animi patefaciunt. Antigonus senex sophistæ cuidam, libros ei de iusticia scriptos occinenti: Stultus es, inquit, qui mihi, quem vides alienas vrbes vexare, de iusticia loquaris. Dionysius tyrannus dicebat pueros talis, viros iureiurando esse fallendos. Sardanapali monimento inscriptum fuit:

Dicta, ingenij argumenta.

Hæc habeo, quæ edi, quæq; exsaturata libido
Hausit.—

Quis ex his dictis non pronunciet primo iniusticiam & alienorum appetentiam, secundo impietatem, tertio luxuriam tribui. Alexandri autem dicta, si diadema iis, & Ammonem, & nobilitatem generis adimas, Socratis tibi, aut Platonis, vel Pythagoræ videbuntur. Non enim considéremus eas voces, quas poëtæ imaginibus & statuis eius magniloquentes subscripserunt, non ad moderationem animi, sed ad potentiam Alexandri respicientes.

Aereus inspiciens diuosq; homines q; regentem
Velle mihi est uisus talia uerba loqui:
Magne tene Iupiter, neq; enim prohibemus, Olympum,
Dum tellus toto pareat orbe mihi.

Et, Alexander ego Iouis quidem F. Hæc, vt dixi, poëtarum sunt fortunam eius adulantium. De genuinis autem Alexandri dictis primùm perpendamus puerilia. Adolescens cùm æquales velocitate pedum superaret, & socij ad Olympicum cursus certamen incitarent, quæsiuit, Regésne cursu essent certaturi. negantibus, Iniquè comparatum fore certamen dixit, vbi priuatos victurus esset, victus autem rex priuatis palmam cessurus. Patri Philippo hasta femur in Triballis transfixo, cùm is evitato mortis periculo claudicationem iniquiùs ferret, Bono animo es pater mi, inquit, ac palàm progredere, vt ad singulos gressus virtutis tuæ recorderis. Nónne hæc animi sunt philosophici, & qui ob diuinũ instin

ctum quo ad honesta fertur, adversus corporis vitia se erigat? Quomodo putas eum exsultasse propria vulnera commemorantem, ad singula gentem domitam aliquam, aut victoriam partam, vrbémve captam, aut regem se dedentem dum referret: neque tegeret cicatrices, sed velvt impressas virtutis & fortitudinis suæ notas circumferret? Porrò si quando in scholis Homeri versuum instituebatur comparatio, aut in conviuiis, alio alium præferente, ipse hunc omnibus aliis præstare dixit:

Iliad. γ. 179 *Rex idem bonus, & fortis bellator in armis.*

quam alius laudem tempore præceperat: eam sibi legẽ positam existimans. vt dicere liceat, Homerum vno versu & ornasse præstantiam Agamemnonis, & de Achillis virtute oraculum edidisse. Cùm in Hellespontum traiecisset, Troiam est contemplatus, & formam heroicarũ actionum cum animo suo cõmentatus. ibi cùm quidam se Paridis lyrã ei daturũ, si vellet, polliceretur. Nihil, inquit, ea mihi opus est: habeo enim Achillis, qua is animum solatus est,

Iliad. ι, 189. *Magnorum cantans illustria facta virorum.*

nam Paridis omnino mollem ac muliebrem cantum edidit amatoriis cantilenis. Animi est philosophici sapientiam amare, & sapientes apprimè admirari. qua in re Alexandrum nemo regum æquauit. Dictum est quo modo erga Aristotelem fuerit affecto animo. Idem Anaxarchum musicum inter amicos in summo habuit honore. Pyrrhoni Eleo ad primum congressum CCIↃↃ aureos dono dedit. Xenocrati Platonis familiari quinquaginta talenta dono misit. Onesicritum Diogenis Cynici discipulum ab eo fuisse magistrum gubernatorum factum multi memoriæ prodiderunt. Cum ipso Diogene apud Corinthum collocutus, ita obstupuit & attonitus est viri vita & grauitate, vt sæpenumerò eius mentionem faciens dixerit, Nisi essem Alexander, Diogenes vellem esse. hoc est, operam dedissem & ocium

ocium impendissem disputationibus, nisi rebus gerendis philosopharer. Nõ hoc dixit, Nisi rex essem, Diogenes esse vellem: neque si non diues, etiam Argeades. non enim fortunam sapientiæ præferebat, neque purpuram & diadema pallio ac peræ. sed hoc dicebat, Nisi Alexander essem, Diogenes esse vellem. hoc est, Nisi instituissem gentes barbaricas cum Græcis commiscere, omnésque terras obeundo cicurare, scrutatúsque continentis fines Macedoniam ad Oceanum propagare, Græciámque serere, & omnis generis iusticiam atque pacem disseminare: non equidem in ocio desidens potentiam meam ad luxuriandum contulissem, sed frugalitatẽ Diogenis æmulatus fuissem. Nunc ignosce nobis Diogenes, Herculem imitor, Perseũ æmulor, Bacchíq; qui deus autor mei est generis, inhærens vestigiis; rursus in India vincentium Græcorũ chorum volo ponere, & apud montanas agrestésque trans Caucasum gentes Bacchi comessationum memoriam renouare. sunt & ibi quidam duræ philosophiæ nudato corpore adsueti, viri sancti & suo iure viuentes, deo operam dantes, Diogenem vilitate rerum suarum superantes, nulla pera indigentes. non enim recondunt alimentum, quod iis terra subinde recens suggerit, potum fluuij, folia ab arboribus defluentia, & herba è terra enascens lectum. per me & hi Diogenem cognoscent & ipsos Diogenes. oportet etiam me nomisma cudere, & barbarica è materia factum Græcanicæ forma reip. signare. Agedum actiones Alexandrinũ fortuitum casum, & vim bellicã ac manuũ robur prę se ferunt? an verò multũ fortitudinis & iusticię, multũ temperãtiæ ac mansuetudinis, cum decoro & prudẽtia, sobria ac sapienti ratione omnia agẽtis? Non enim me hercle distinguere inter facta eius, & hoc fortitudini, illud humanitati, aliud cõtinentię adscribere possum. sed quodvis ex omnibus videtur contempera-

tum virtutibus: cõfirmante Alexandro Stoicorũ illud decretũ, Quicquid agit sapiens, omnibus eum virtutibus agere, Vnámq; virtutem aliquã primas obire partes, reliquas autem omnes socias sibi persiciendæ rei adsciscere. Ita in Alexandro videre licet bellicã virtutem humanitate temperatã, mansuetudinem fortem, liberalitatẽ in donando rei familiaris rationibus accommodatã, irã placatu facilem, amorem temperantẽ, remissionem nõ ociosam, tolerantiam laborũ nõ vacantem solatio. Quis miscuit bello festiuitates, quis comesationibus expeditiones, quis obsidionibus & rebus difficilibus gerẽdis bacchationes, nuptias, hymenæos? quis peccantibus se magis infensum, adversas res passis humaniorem prębuit? quis pugnantibus grauior, veniam petentibus benignior fuit? Subit mihi hîc Pori dictũ referre. Is enim vt captiuus est ad Alexandrũ perductus, interrogatúsq; ab eo quomodo se tractari vellet, Regio more ô Alexander, respondit. rursúmq; interrogatus, an aliquid prętera aliud vellet, respõdit, Nihil. nam in regio more insunt omnia. Et mihi lubet singulis Alexãdri actionibus acclamare, Philosophicè. nam in hoc quoq; omnia insunt. Captus amore Roxanes, Oxyathris filiæ, quæ in cœtu captiuarum erat, nõ libidinosẽ eã violauit, sed vxorem philosophicè duxit. Dariũ videns iaculis confixum, non sacrificauit, non pæanem cecinit, vt qui ad finẽ longi belli perveniſſet: sed chlamydem corpori suo detractam cadaueri iniecit, philosophicè hoc exemplum regiæ fortunæ tegẽs. Cùm aliquãdo epistolam à matre missam arcanam legeret, & Hephæstio, vt tũ fortè assidebat, simpliciter vnà eã percurreret, nõ prohibuit. sed annulum ori eius imposuit, silentiũ amica fide philosophicè obsignãs. Hæc enim si non sunt philosophica, qúęnã sunt alia? Apponamus eorũ exempla, quos philosophos fuisse est in cõfesso. Socrates secũ cubare Alcibiadem passus est. Alexãder Philoxenum

Ioxenũ oræ maritimæ præfectum, cùm is scripsisset Alexandro, esse in Ionia puerũ ætate florentem, pulcritudine summa, quæreretq; per epistolam an hũc emi & ad se mitti vellet: acerbè increpauit, in hanc sententiã rescribens: Pessime hominum, cuius mihi talis flagitij cõscius es, vt huiusmodi voluptates mihi obiiciendo blandiaris? Xenocratem laudamus, quòd dono missa ab Alexãdro sibi quinquaginta talenta non accepit: dantẽ non laudamus? an quia non tam à largiente quàm à non accipiente cõtemni pecuniã credimus? Philosophia fecit ne pecunia opus haberet Xenocrates. atqui eadẽ fecit vt ea opus haberet Alexander, vt largiri talibus posset. Hoc quoties dixit Alexander ictus, vi pulsus? Et sanè iudicia recta omnibus hominibus putamus ineſſe: quòd natura vltrò ad honestatem ducat. Philosophi autem in eo pręstant vulgo, quòd iudicia habent rebus adversis incidentibus firma & roborata. nõ enim tum his vtuntur anticipatis sententiis,

Est hoc augurium cunctis præstantius unum: *Ilia. μ, 243.*

&: Finis omnibus hominibus est mors. Sed rationes periculo imminente franguntur, ac imaginationibus iudicium expellitur, vbi propè adsunt res terribiles. Metus enim nõ solam memoriam consternat, vt ait Thucydes: sed & institutum animi omne, & laudabilem conatum atque incitationem. * Funiculos philosophia circumposuit. * *

PLVTARCHI

De Fortuna, vel virtute Alexandri, oratio posterior.

IN hesterna disputatione obliti sumus, vt apparet, dicere, bona quadam fortuna factum fuisse, vt ætas Alexandri multas etiam artes, multa præclara in-

genia produceret. quanquã id fortaſſe non tam Alexandri fortunæ imputandum, quàm iſtorum felicitati adſcribendum eſt, eum ſuæ præſtantiæ ſpectatorem teſtémq; nactis, qui & optimè iudicare egregia opera, & liberaliſsimè compenſare poſſet. Sanè poſterioribus temporibus perhibent Archeſtrato poëtæ eleganti. ſed qui in paupertate inglorius viueret, quendam dixiſſe: Si tu Alexandri ætate vixiſſes, is tibi pro quovis verſu Cyprum aut Phœnicen dediſſet. Exiſtimo autem eos quoque, qui tum fuerunt, artifices primos, non tã ætate Alexãdri, quàm propter Alexandrum extitiſſe. Vt enim frugum copiam bona temperies ac tenuitas aëris gignit: ita artium & bonorum ingeniorum incrementa benignitas, honor & humanitas regis efficit. & contrà principum invidia, ſordes, aut ſtudium contendendi omnia iſta exſtinguit atque perdit. Dionyſius tyrannus, vt fertur, citharœdum quendam egregium audiens, pollicitus eſt ſe talentum ei dono daturum. cúmque homo poſtridie promiſſum flagitaret, Heri, inquit, exhilaratus abs te eo quo ceciniſti tempore, te quoque ſpe iniecta exhilaraui: habes ergo mercedẽ, pro eo quòd me delectauiſti viciſsim delectatus. Alexander Pheræorũ tyrannus (tyrannum duntaxat appellari par erat, neque Alexãdri nomen ab eo pollui) is ergo tyrannus cùm ſpectaret tragœdiam, præ voluptate animi vehementiore motu eſt ad miſericordiam prolapſus. exſiliens itaque è theatro concitatiore greſſu diſceſsit, Rem indignam fore inquiens, ſi qui tot interficeret ciues, conſpiceretur Hecubæ & Polyxenæ calamitatibus illacrymans. parúmq; adeò abfuit, quin pœnas à tragœdo exigeret, quòd is ferreum ipſius animum emolliuiſſet. Archelaum, quòd in donando reſtrictior videbatur, Timotheus canens ſæpe hoc pupugit cauillo:

Tu terrigenæ argento faues.

& Archelaus non inconcinnè hoc ei repoſuit:

Tu terra genitum argentum aues.

Scytharum rex Ateas captiuum adeptus Iſmeniam tibicinem iuſsit inter pocula canere. cúmque cantum eius reliqui plauſu & admiratione proſequerentur, iurauit ſe ſuauiùs audire hinnitũ equi. adeò procul is aures ſuas à Muſis abduxerat, animúmque in præſepibus habebat, non equos, ſed aſinos qui audiret dignum. Quid putas apud tales reges incrementi aut honoris artibus & Muſicæ futurũ? Quinetiam non ferunt, ſi quis aliqua arte ſuperet, ideóq; veros artifices per invidentiam infenſo animo deiiciunt. qualis rurſum fuit Dionyſius, qui Philoxenũ poëtam in lapicidinas iniecit, quòd ſcriptam à tyranno tragœdiam corrigere iuſſus, ab initio totam vſque ad coronidẽ deleuerat. Sed & Philippus, quia ſeriùs ad diſcendum ſe contulerat, fuit in hoc genere ſeipſo inferior, & adoleſcentuli in morem arrogans. itaque pſalten quendam, cùm rex de ſonis quibuſdam diſputaret, ac coargui à ſe muſicum putaret, hunc leni voce ſubridentémque aiunt dixiſſe, Abſit verò, rex, iſtuc abs te miſeriæ, vt hæc tu quàm ego meliùs intelligas. Sed Alexander gnarus cùm quæ ſpectanda ipſi & audienda eſſent, tum in quibus ſibi eſſet elaborandum atque certandum, in armis ſeſe adſiduò exercebat, vt fieret ſecundum Aeſchylum

Terror caſtris boſtibus armipotens.

hanc enim artẽ à maiorib. ſuis Aeacidis & Hercule ad ſe tranſmiſſam colebat, reliquis autẽ artibus honorem abſq; æmulatione tribuebat, gloriámque & elegantiã: ſed delectatione ad imitandũ ſe duci non ſinebat. Fuerunt ætate Alexandri Theſſalus & Athenodorus tragœdi, quibus inter ſe certantibus ſumtus ſcenicos fecerunt Cypriorum reges, iudicium tulerunt ducum laudatiſsimi. cum autem victor eſſet renunciatus Athenodorus, dixit Ale-

xander, se maluisse partem regni amittere, quàm videre Thessalum vinci. neq; tamen vel interceſsit apud iudices, vel iudicium reprehendit: sentiens debere se omnibus aliis superiorē, iusticiæ tamen subditum esse. Comicus tum fuit Lyco Scarphensis. Huic, cùm in quandam comœdiam versum inseruisset quo donū petebat, ridens decem talenta dedit. Citharœdi cùm alii, tum Aristonicus, qui in pugna quadam cùm ad auxilium ferendum accurrisset, stre nuè prœliatus cécidit. Huic æream statuam fieri & Pythiis collocari iussit Alexander, cythara & hasta proiecta conspicuam. non virum modò honorans, sed musicam etiam, vt quę fortes faciat, ac rectè educatos apprimè impleat diuino quodam instinctu & impetu. Etenim ipse aliquando Antigenida modum qui Harmatios dicitur canente tibia, ita fuit cantu illo concitatus atque inflammatus animum, vt dato impetu arma, quæ propè iacebant, corriperet. testimoniúmq; ferret Spartanis cantantibus

Ferrum capessere instigat citharæ melos.

Vixêre tunc etiam Apelles pictor, & Lysippus fictor. horum Apelles fulminigerum Alexandrum pinxit ita perspicuè & attemperatè, vt diceret duos esse Alexandros, vnum Philippi F. insuperabilem, alterum Apellis inimitabilem. Lysippus autem cùm finxisset primum Alexandrum facie sursum conversa in cœlum intuentem, sicvt solebat suspicere Alexander leniter inflexo collo : subscripsit quidam non absurdè:

Aereus inspiciens diuosq; homines q; regentem,
Velle mihi est usus talia uerba loqui:
Magne tene Iupiter, neq; enim prohibemus Olympum,
Dum toto tellus pareat orbe mihi.

Itaq; etiā solum Lysippum Alexander fabricari suas iussit imagines. quod nimirum is solus ære ingenium

nium ipsius exprimeret, simúlque cum forma etiam virtutem proponeret. reliqui inclinationem cerui-cis, oculorúmque renidentem volubilitatem imitari volentes, masculum eius leoninúmque vultum non seruabant. Inter alios artifices fuit tunc etiam Staticrates architectus, nullum opus moliens quod varium iucundúmque adspectu esset, sed & manu magnifica, & dispositione operum vtens quæ sumtus à rege suppeditari opus haberet. Is cùm adscendisset ad Alexandrum, pictas eius, & sculptas atq; fictas imagines culpauit, vt timidorum & humilium opera artificum. Ego, aiebat, statui corporis ô rex tui similitudinem in viuam & interitus expertem æterníque firmatam radicibus materiam, & immota præditam grauitate introducere. Thraciæ enim mons Athos, vbi maximus & planè conspicuus assurgit, latitudines & altitudines habens proportione toti congruentes, tum membra & artus atque interstitia quæ conformari queant, potest artificio ita tractari, vt imago Alexandri & sit & dicatur: fundamentis suis mare attingens, manuum autem altera gestans vrbem CCIↃↃ ciuium capacem, dextra perennem fluuium è patera in mare libans. proinde aurum, æs, ebur, ligna, tincturas, simulacra exigua, vænalia, & furtis exposita abiiciamus. Hoc vt audiuit Alexander, audaciam sanè artificis & fiduciam admiratus laudauit. Tu tamen, dixit, Atho montem intactum relinque. satis est eum esse monimentum petulantiæ quam vnus in eum rex exercuerit. me Caucasus monstrabit, & Emodi montes, & Tanais, & Caspium mare. hæ sunt meorum factorum imagines. Enimverò ponamus obsecro, fuisse confectum istud opus : eratne futurus aliquis qui illud videns, fortuitò hanc formam, figuram, dispositionémque obtigisse putaret? non equidem arbitror. Idem de fulminigero, de hastato eius simulacro sentiendum. Iam statuæ magnitudo absque arte à for-

Alexandrū non fuisse Fortunæ opus.

tuna effici non potest: vtcunq; multum auri, æris, eboris, aliúsq; precioſæ materiæ ſuggerente. vir autem magnus, immò omnium qui vnquã exſtiterunt maximus abſolui potuit abſq; virtute opera Fortunæ, arma, opes, vrbes, equos ei largientis? quæ ipſa vti his neſcienti, nõ potentia ſunt, non ornatus, ſed periculum, imbecillitatíſq; & impotentiæ ſuæ argumentum. Rectè enim Antiſthenes dixit, hoſtibus omnia bona nos optare debere excepta fortitudine. ea enim ſic fiunt non poſſidentium, ſed vincentium. Atque hanc ob cauſam creditur naturam ceruo ignauiſsimo animali cornua mirandæ magnitudinis atq; aſperitatis ad ſui defenſionem dediſſe: docentẽ nihil vires & arma prodeſſe iis, qui ſubſiſtere non audent. Sic etiam Fortuna ſæpenumerò timidis & ſtultis potentiam & imperia tribuens, in quibus turpiter ſe gerant, ornat atq; commendat virtutem, vt quæ ſola virum magnum præclarumq; reddat. Probè dictum eſt ab Epicharmo, Mentem videre, mentem audire, reliqua cæca & ſurda, rationis indigere. nam ſenſus ſuas habent proprias opportunitates. Mentem autem prodeſſe, mentem ornare, hanc eſſe quæ vincat, ſuperet, regnet, reliqua omnia cæca, ſurda, exanima poſſeſſores deiicere, grauare, & dedecorare vbi virtus abeſt, licet ex ipſis rebus diſcere. Nam eadem potentia, eodem regno propoſito, Semiramis cùm eſſet mulier, claſſes inſtruebat, legiones armabat, Babylonas condebat, rubrum mare circumvecta Aethiopes & Arabes ſubigebat. Sardanapalus virili natus ſexu, domi purpuram carpebat, inter pellices deſidens ſurſum erectis pedibus. cui mortuo lapideum poſuerunt ſimulacrum, barbarico more ſibi ſaltantis, digitíſque ſupra caput complosis crepitum edentis: inſcripſerúntque Ede, bibe, Veneri da operam, reliqua nihil ſunt. Equidem Crates cum videret auream imaginem Phrynes meretricis apud Delphos ſtantem, exclamauit Eſſe eam tro-

trophæũ de Græcorum intemperantia erectũ. at Sardanapali ſiue vitam, ſiue ſepulcrum (nihil enim puto intereſſe) inſpiciens, diceres trophæum eſſe de Fortunæ bonis poſitum. Ergóne patiemur eam poſt Sardanapalum etiam Alexandrum attingere, eiúsq; magnitudinem & potentiam ſibi vindicare? Quid verò huic amplius dedit, quàm aliis etiam regibus? arma, equos, iacula, pecuniam, ſatellites? His Fortuna magnum, ſi poteſt, faciat Arridæum, Amaſin, Ochum, Oarſen, Tigranem Armenium, aut Nicomedem Bithynum. quorũ ille diademate pedibus Põpeij ſubiecto turpiter regnum amiſit, prædæ id cedens: hic raſo capite & ſumto pileo, libertum ſe populi Romani eſt profeſſus. Dicamus potiùs, Fortunam paruos, timidos, abiectos facere. iniuſtum verò eſſe, qui vel vitium infortunio, vel fortitudinem & prudentiam proſperæ fortunæ accepta ferat. Multum verò Fortuna debet imperio Alexandri. in eo enim conſpecta eſt illuſtris, invicta, magnanima, modeſta, humana. Statim autem mortuo Alexandro exercitum eius vagantem, & in ſeipſum impingentem Leoſthenes ſimilem dixit Cyclopi eſſe qui amiſſo oculo vſquequaque manus intendebat nullum ad certum ſcopum directas. ita ſublato duce magnitudo exercitus incertis motibus agitabatur. Atque adeò ſicvt anima deſerente cadauera non conſiſtunt, non cohærent, ſed diſsipantur & diſſoluuntur: ita exercitus Alexandro amoto palpitabat, concutiebatur, atque æſtuabat, Perdiccis, Meleagris, Seleucis & Antigonis tanquam ſpiritibus etiamnum calidis ac pulſibus in corpore diſcurrentibus: tandem planè flacceſcens & putreſcens, vermium inſtar ex ſeſe pullulauit degeneres reges atq; principes ſemianimes. Hócque ipſe etiam Alexander indicauit, cùm Hephæſtionem, qui cum Cratero in rixam inciderat, obiurgans dixit: Quæ verò tua res geſta eſt, ſi quis tibi Alexandrum auferat?

Quod ego intrepidè ad eius temporis Fortunam dixero: Quæ tua magnitudo, quæ gloria, quæ potentia, vbi vis illa est insuperabilis, si quis Alexandrum tibi detrahat? id est, si quis tibi adimat armorum peritiam, diuitiarum magnificum vsum, continentiam in tanta luxus materia, audaciam in certaminibus, mansuetudinem erga subditos. Alium fac, si potes, magnum, qui pecuniam nō elargiatur, non ante exercitum periculis se offerat, non honoret amicos, non miseretur captiuos, voluptates non sobriè percipiat, non in tempore excubias agat, victor non placabilis & humanus sit. Quis magnus est in potentia constitutus, prauitate & stulticia eum tenentibus? auser virtutem à fortunato, prorsum humilem cernes: in gratia paranda ob illiberalitatem, in laboribus ob molliciem, erga deos ob superstitionē, erga bonos ob invidiam, inter viros ob timiditatē, inter mulieres ob libidinem. Sicvt enim inepti opifices dum magnas bases paruis donariis supponunt, eorū prauitatem hoc ipso arguunt: sic Fortuna cùm ingenium vile magnis ac splendidis rebus extollit, ideò magis demonstrat atq; infamiæ exponit, cùm præ leuitate labascit atque impingit. Non ergo in possessione, sed in vsu bonorum id invenies, quod laudem meretur. quando etiam infantes regna & imperia paterna hæreditatis iure consequuntur: vt Charilaus, quem Lycurgus cum ipsis incunabulis in phiditium attulit, ac suo loco regem Spartanorum renunciauit. & sanè nihil laudis infans merebatur, Lycurgus plurimum, qui infanti paternam dignitatem redderet, nō ad se eam traheret. Quis verò magni fecit Arridæum? quem nihil infanti præstantem, tantùm purpura velvti cunabulis involuens Meleager in Alexandri solio collocauit. rectè is, vt conspicuum fieret intra paucos dies, quomodo virtute homines, quomodo fortuna regerentur. Nā post imperij verum administratorem, histrionem introduxit: aut potiùs tanquam in scena diadema orbis terrarum imperij tacitum traduxit.

Imponente uiro molem mulier quoq; perfert,

inquit ille. Contrà verò hoc rectius est dicere: potentiam, diuitias, imperium vel muliur, vel puer potest alicui imponere. Oarsæ & Dario Bagoas diadema arreptum, cúmque eo regnum Persicum imposuit. Vt autem is, qui magnam est adeptus potentiam, tolerare eam, & administrare possit, neque mole rerum conteratur aut subvertatur, viri est virtute, mente, altóque animo præditi. qualis fuit Alexander, cui à nonnullis ebrietas & temulentia obiiciuntur. Ille verò magnus fuit vir, sobriúsque in tanta rerum mole, neque passus à potentia & imperio se inebriari aut ad bacchandum incitari. cuius gustum alij exiguum cùm percepissent, sui compotes esse nequiuerunt.

Etenim mali, saturati uel pecunia,
In ciuitate uel potiti honoribus,
Luxuriant insperatam ob fortunam domus.

Clitus, cùm apud Amorgum tres vel quatuor Græcas triremes subvertisset, Neptuni cognomen accepit, & tridentem gestauit. Demetrius, cui Alexandreæ potentiæ paruam Fortuna portiunculam contulerat, passus est se Catæbatem (tanquam deum qui in terras descendisset) appellari, & ab vrbibus ad eū non legati, sed consultores numinis mittebantur, responsaque ipsius oracula dicebantur. Lysimachus Thraciam, quasi extremos regni Alexandrei fines, adeptus, eò superbiæ & ferociæ processit, vt diceret: Nunc ad me veniunt Byzantij, cùm hasta cœlum tango. cùm quidem Pasiades Byzantius, tunc præsens, Abeamus hinc, inquit, ne cuspide cœlum perforet. Et quid de iis dicam, quibus licuit propter Alexandrum altos ducere spiritus? quando Clearchus etiam occupata Heracleæ tyrannide sceptrū

Superbè dicta et facta à quorūdam.

geſsit, & filiorum vnum Cerauni (quæ vox fulmen ſignificat) nomine affecit. Dionyſius verò iunior Apollinis ſe filium prædicauit hac inſcriptione:

Dorica quem genuit Phœbeo ſemine mater.

Pater huius, cum ciuium CCIↃↃ aut amplius interfeciſſet, fratrem ob inuidiam hoſtibus prodidiſſet, matrem vetulam, paucis pòſt diebus morituræ exitum præſtolari non ſuſtinens, ſuffocaſſet, atq; in tragœdia ipſe ſcripſiſſet,

Tyrannis iniuſticiæ mater eſt enim:

tamè filiabus Virtutis, Pudicicię, Iuſticię nomina impoſuit. Alij Euergetas, id eſt benefactores, alij Callinicos, id eſt pulcras victorias conſecutos, alij Soteres, hoc eſt ſeruatores, alij Magnos ſe denominauerunt. Alias autē ſupra alias eorum nuptias equorum inſtar in armentis mulierum promiſcuè verſantium, filiorum cædes, exoletorum excarnificationes, ludos teſſerarum quotidianos, tibiæ cantus in theatris, noctes in cœnis, dies in prandiis conſumtos, enarrare nemo queat. At enim Alexāder prima luce ſedens prandebat, tenebris noctis iam ingruentibus cœnabat, bibebat diis ſacrificans, cum Medio teſſeris certabat febricitans, ludebat iter faciens interimq; arcu iaculari diſcens, & de curru deſcendere. Roxanem ſibi ſoli duxit, amore eius captus. Darij autem Statiram regno & rebus: proderat enim gentium commixtio. Reliquis Perſidibus tantum ſuperior fuit pudicicia, quantum fortitudine Perſis. nullam enim inuitam vidit, & quas vidit, magis præteriit quàm non viſas. vt cùm aliàs fuerit humaniſsimus, adverſus pulcritudinem formæ duntaxat ſuperbè ſe geſſerit. De vxore Darij longè formoſiſſima, ne vocem quidem audire voluit formę eius cōmendatricem. mortuam verò ita regiè ornauit, itáq; miſericorditer defleuit, vt pudicicia eius in tāta humanitate fidem non inuenerit, iniuriæq; crimen ei bonitas

bonitas conflauerit. Siniſtram enim de eo ſuſpicionem Darius concepit, ad potentiam & ætatem reſpiciens: quòd ipſe quoque erat eorum è numero, qui putabant à Fortuna Alexandri eſſe victoriam. Poſtquam autem veritatem diligentiſsima inquiſitione comperit, Proinde, dixit, non planè res Perſica periit: neq; nos quiſquam prorſum ignauos molléſq; dixerit, à tali victos hoſte. Equidem deos bonū ſucceſſum, victoriámq; belli huius flagito, vt beneficiis Alexandrum poſsim ſuperare: ac me ſtudium quoddam æmulatióq; tenet benignitate eum vincendi. Sin actum eſt de rebus meis, patrie Perſarum Iupiter, diíq; regij, nemo precor alius quàm Alexander in Cyri ſolio ſedeat. Ita diis teſtibus vocatis ille Alexandrum adoptauit. ſic vincitur virtute. Si lubet, Fortunæ accepta fer Arbela, & Ciliciam, & alia vi geſta ac peracta. Fortunæ beneficio bellicæ quaſſata fuerit Tyrus, & aperta Aegyptus. huius opera ceciderit Halicarnaſſus, & capta ſit Miletus, & Euphratem vacuum reliquerit Mazæus, ac Babylonius campus cadaueribus fuerit oppletus. Non quidem temperantem eum Fortuna reddidit, neq; continentem, neque invictum à uoluptate, & nulla cupiditate violabilem animum conſeruauit. Atqui ea ſunt quibus Darium vicit Alexander: reliqua, armorum erant & equorum clades, pugnæ, cædes, fugæq; virorum. illa priora ſunt quibus magnam & in confeſſo poſitam victoriam ille de Dario reportauit, concedente, virtuti, magnanimitati iuſticiæq; eius, mirantíque eius in voluptate, laboribus, & officiis invictum animum. Quippe inter ſcuta, ſariſſas, conclamationem acierum, & armorum conflictus Tarrias quoque Dinomenis F. & Antigenes Pellenæus, & Philotas Parmenionis F. invicti erant. iidem verò ad voluptates, mulieres, aurúmque & argentum nihilo meliùs affecti quàm quiuis captiuorum. Nam Tarrias, cùm Alexander Macedonas

ære alieno exsolueret, creditoribúsq; pro omnibus satisfaceret, mentitus se debere quendam, qui se ei credidisse simularet, ad mensam adduxit. deinde facinoris compertus, erat seipsum interfecturus, nisi Alexander eum absoluisset crimine & argentum habere siuisset: recordatus eum Philippo Perinthum oppugnante iaculo oculum ictum, non passum antè sibi fuisse telum extrahi, quàm hostes fudisset. Antigenes iis qui ob morbum aut mutilationem in Macedoniam remittebantur se immiscuit. inque eorum numerum adscriptus, cùm deprehenderetur nihil habere mali, sed finxisse morbũ vir bellicosus & cicatricũ corpus plenũ habens, molestiâ Alexandro exhibuit. interrogatúsq; ab eo causam, confessus est Telesippæ amore se teneri, & quòd ab ea divelli non pateretur, ideò comitem ad mare ei se præbuisse. quę-siuit Alexãder, cuius ea mulier esset, & quis eius gratia compellandus: liberámque esse Antigeni respõdenti, Muneribus ergo, inquit, & pollicitis ei persuadeamus vt nobiscum maneat. Adeò cuivis amanti Alexander faciliùs quàm sibi ignouit. Philotas Parmenionis F. vitio incontinentiæ laborauit. Antigona fuit Pellęa muliercula inter eas quæ apud Damascum captæ erant, quondam capta ab Autophradate, cùm ipsa in Samothraciam traiiceret, forma satis egregia. Hæc Philotam, cùm amare eam cepisset, planè tenebat sibi devinctum. Et verò ferreus ille emollitus, in voluptate cogitationes suas non continuit, sed aperuit, & multa arcana mulierculæ enunciauit. Quid enim, dicebat, erat Philippus iste sine Parmenione? quid esset, si Philotam non haberet, Alexander? vbi Ammon, vbi angues, si nos nolimus? Ea verba ad quandam familiarium mulierum extulit Antigona, hæc Cratero indicauit: Craterus Antigonam occultè ad Alexandrum adduxit. Is corpore quidem mulieris abstinuit, sed opera eius Craterum totum excusit, tacitéque omnia

omnia consilia eius expiscatus est. Et quidem annis ampliùs septem exinde elapsis, neque in vino vnquam simultatem Alexander ebrius vllam indicauit, neque per iram iracundus, neque amico vlli aperuit rem, omnia solitus Hephæstioni credere atque communicare. Ferunt enim Alexandro epistolam matris arcanam tacitè secum legente, Hephæstionem leniter admoto capite vnà eam pellegisse: neque Alexandrum prohibere sustinuisse, sed detracto annulo sigillum ori eius admouisse. Enimverò defatigari dicendo oporteret, qui omnia ea vellet commemorare, quibus demonstratur pulcerrimè et vt regem maximè decebat sua vsum fuisse Alexandrum potentia. vt si Fortuna magnum eum fecerit, maius hoc sit quòd ea rectè vsus est: & quanto magis fortunam eius laudes, tanto magis virtutem ipsius extollas, quæ dignũ fortuna sua eum fecit. Sed iam nunc ad principia incrementorum, ac initia potentiæ Alexandri venio, consideraturus quódnam Fortunæ opus in iis sit, propter quod Alexander à Fortuna evectus & auctus dicatur. Quid ni enim, dij boni? Scilicet illæsum, incruentatum, nulla obita expeditione, equi hinnitu eum in solium Cyri extulit, vt antè Darium Hystaspis F.? aut muliebri adulatione inductus vir hoc ei contulit? quomodo Darius Atossa impellente Xerxi ad fores diadema regni attulit? aut sicvt Parysatis filio per Bagoam? vt stolam exuẽs astandæ, regiam erectámq; tiaram sibi circumposuit? aut subitò & præter exspectationem sorte electus imperium orbis terrarum suscepit? sicvt Athenis thesmothetæ & archontes sorte leguntur. Discere vis, quomodo homines Fortunæ fauorẽ reges creentur. Apud Argiuos aliquãdo defecit Heraclidarum genus, è quo regem eos deligere patria consuetudo iubebat. quærentibus ac sciscitantibus oraculum datum est, regem ab aquila demonstratũ iri. ac post paucos dies aquila in domum Aegonis

devolare cõſpecta fecit, vt Aegon rex deſignaretur. Rurſum in Papho cùm rex improbè iniuſtéq; ſe gereret, Alexander eo iecto alium quærebat è ſtirpe natum Cinyræ: cùm ea gens iam deficere & perire putaretur. vnum ergo dicebant inde ſupereſſe hominem pauperem & obſcurum, qui in horto quodam neglectus ab aliis aleretur. ad hunc miſsi à rege venerunt. éſtq; inventus aquam areolis olerum in horto infundens, ac perturbatus eſt, cùm milites eum arriperent, & ire iuberent. cæterùm adductus ad Alexandrum in vili ſindone, rex eſt factus, purpuráq; ornatus, & in numerum eorum receptus qui Socij appellabantur. nomen ei fuit Alynomus. Hoc modo fortuita eventa reges faciunt, veſtitum mutantes, ac celeri mutatione alia nomina imponentes nihil tale exſpectantibus aut ſperantibus. Alexandro autem quid præclari obtigit præter meritum, quid ſine ſudore, ſine ſanguine, quid gratis, quid abſq; labore? Sanguine mixtos fluuios bibit, per cadauera velvti pontem amnes tranſiit, herbam edit fame vrgente quam primam conſpexit, gentes altis niuibus obrutas, & vrbes infra terram deſidentes penetrauit, mare hoſtile nauigauit, tumulóſq; arenarum in Gedroſiis & Arachoſiis pervadens, antè in mari quàm in terra vidit ſtirpem. Quòd ſi libero ore adverſus Fortunam tanquam contra hominem loqui liceret pro Alexandro, equidem eam ſic compellarem. Quando tandem, ô Fortuna, Alexandri actionibus tu, & vbi viam aperuiſti? quódnam ſaxum tua ope adiutus cepit ſine ſanguine? quam vrbem ei præſidio nudatam tradidiſti? quem exercitum inermem? in quem regẽ incidit ſocordem? in quem ducem negligentem? in quem ianitorem dormientem? quem fluuium traiectu facilem, quam hyemem temperatam, quam æſtatem moleſtiæ expertem præbuiſti? Ad Antiochum Seleuci F. ad Artaxerxem Cyri fratrem, ad Ptolemæum Philadelphum abi. eos viui etiamnum patres regio

Fortunam Alexandro fuiſſe aduerſam.

regio titulo dignati ſunt: ij prœlia nullis lacrymis conſtantia vicerunt, ij inter feſtos dies ac pompas & ſpectacula vitam exegerunt, ij ob felicitatem in regia dignitate conſenuerunt. Alexandri ſi nihil aliud, ſaltem totum corpus conſidera à ſummo capite vſque ad imos pedes hoſtilibus vulneribus contuſum atque diſſecatum,

Haſtis, & gladiis, ſaxiſq; ingentibus ictum. Iliad. λ, 265.

Ad Granicum galea eius gladio fuit diſſecata, ictu vſque ad capillos penetrante. Gazæ iaculo humerum eſt vulneratus. in Maragandis ſagitta crus, ita vt os radij fractum eo ictu eminuerit. apud Hyrcaniam lapide ceruicem ictus eſt. qua ex plaga viſus ita fuit hebetatus, vt per non paucos dies in periculo amittendi vſus oculorum fuerit. Ad Aſſacana Indico telo ſauciatus talum eſt. quo quidem tempore adulatoribus ſubridens dixit: Hic quidem ſanguis eſt,

Non ichor, qualis ſtillat de ſanguine diuûm, Iliad. ε, 340.

Apud Iſſum gladio femur ei vulneratum eſt à Dario manum cum ipſo conſerente, vt Chares ſcribit. ipſe ſimpliciter & veriſimè ſcribens ad Antipatrum, Mihi quoque, inquit, vſu venit vt pugione femur ſauciarer: ſed neque tum, neque poſtmodo quicquam mali ex eo vulnere evenit. In Mallis ſagitta bicubitalis per thoracem in pectus & ſurſum vſq; ad ceruicem fuit adacta. autor Ariſtobulus. Tanaim tranſgreſſus Scythas fudit, & equo ad CL ſtadia inſecutus eſt, cùm quidem alui profluuio vexaretur. Euge Fortuna, Alexandrum auges ſcilicet atq; magnũ facis, vndique perfodiens, vndiq; lędens, omnia corporis membra vulneribus aperiens: non quo modo Minerua ſagittam in Menelaum coniectam in validiſsima armorum avertit, ac thorace, mitra, & cingulo ictus vim ita retudit, vt leuiter perſtricto corpore duntaxat ſanguis flueret: ſed nuda membra vulneribus exponens periculoſis, ictúſque per oſſa Iliad. δ, 128.

dirigens,corpúsq; in orbem ambiens, oculósque & pedes oppugnans,impediens persequentem hostes, victorias subtrahens,spes subruens. Mihi profectò nullus rex videtur Fortunam expertus iniquiorem. In multos quidem ea incidit grauis atq; invida. sed alios fulminis in morem succidit atque perdidit: ira eius & odium in Alexandrum pertinax fuit, & cum invicto contendendi studio coniunctum, quale adversus Herculem. Quos enim Typhones aut vastissimos Gigantes non in eum excitauit? quos hostes non muniuit armorum multitudine, aut fluminum profunditate,aut rupium asperitate, aut peregrinarum belluarum robore? Quòd nisi magna fuisset Alexandri altitudo animi,& à magna virtute suscepti conatus contra virtutem eniti pertendissent: quomodo non despondisset animum, toties signa conferens,exercitum armans,oppugnans,persequens?innumeras defectiones, aversiones, insultus gentium perferens?quid reges iugum abiicientes,Bactra,Maracanda,Sogdiani?deniq; inter gentes infidas & insidiosas hydram secans semper nouis bellis pullulantem?Absurdum videbitur quod dicam: sed dicã tamen quia verum est. Parum abfuit quin Fortunæ culpa Alexander desineret Ammonis filius haberi. Quis enim diuina stirpe natus tot laboriosas exantlauit ærumnas, Hercule demto? Verùm huic vnus vir improbus iniunxit vt leones caperet,apros insequeretur,aues abigeret,ne maiores res obeũdi,Antæúmq; puniendi,& Busiridis homicidiis finem imponendi otium haberet. Alexandro autem virtus imposuit regium ac diuinum certamen, cuius finis esset non aurum ab innumeris circumferendum camelis,non luxus Medicus, mensæ & mulieres, neq; vinum Calydonium aut Hyrcanici pisces: sed vt omnes homines in vnam reipublicæ constitutionem redigens,omnes vni principatui subditos, vni vitæ rationi adsuefaceret. Hunc amorem à puero gerens insitum,

insitum,vnáq; cum corpore auctum & adultum, vt legati venerunt à rege Persarum ad Philippum, qui tum peregrè aberat,ipse eos comiter hospitio exceptos,nihil puerile(vt alij)interrogauit, de aurea illa arbori maritata vite,aut hortis pensilibus,aut ornatu regis. sed totus in iis erat, quæ imperij summam & vim continebant:sciscitans quantus esset Persarũ exercitus,quo loco rex in prœliis pugnaret. exemplo nimirum Vlissis,rogantis:

Arma ubi sunt illi.stabulum quod quadrupedantum? Ilia.κ,407.

quæ itinera breuissima sursum à mari tendentibus? ita vt attoniti hospites dixerint: Iste puer magnus est rex,noster autem diues. Posteaquàm verò mortuo Philippo ad traiiciendum in Asiam appulit animum,iámq; & spe & apparatu totus ea fuit in expeditione: iniecit manum Fortuna,avertítq; eum & retrò abstraxit,innumeráq; occupationes ei & moras circumdedit.Initiò vicinis barbaris conturbatis,Illyricum & Triballicũ bellum ei immisit. quibus ab Asiatica re vsq; ad Scythiam Istro adiacentem avulso,& circumcursitando magnísq; periculis ac certaminibus obeundis defuncto,cùm debellatis hostib. rursum expeditioni incumberet, eadem denuò Thebas incusit,Græcúmq; bellum, & atrocem adversus cognatos & populares per cædes,ferrum,ignémque vindictam,cuius fuit tristissimus finis. His peractis rebus traiecit in Asiã,viatico instructus,vt Phylarchus prodidit,xxx dierum.Aristobulus scripsit, LXX eum habuisse talenta. Interim rem familiarẽ & reditus regios maxima ex parte inter amicos diuisit.Solus Perdiccas nihil accepit,quanquam offerente rege.sed interrogauit,Tibi verò, Alexãder, quid facis reliquum?isq; vbi respondit,Spes. nos ergo etiam,inquit, in earum parte acquiescemus. rectum quippe est nos Darij potiùs exspectare opes, quàm tuas accipere. Et qúænam tandem erant illæ spes, quibus fretus Alexander in Asiam transmisit?nõ co-

piæ ex vrbibus,quarum quanvis multa ciuium millia inhabitarent,certo numero conductæ:non classis quæ per montes nauigaret:non flagella,nõ compedes,barbaricæ insaniæ supplicia mari imponenda. Verùm extra ipsum in exiguo exercitu vigebat magnum laudis studium,& æmulatio ætate æqualium, certaménq; de gloria & virtute cum sociis susceptũ. Ipse autem magnas in se spes continebat. pietatem adversum deos,fidem erga amicos,frugalitatem, cõtinentiam,peritiam, mortis contemtum, magnanimitatem,humanitatem,comitatem,candorem,constantiam in consiliis,celeritatem in actionibus,principatum in gloria,institutum animi in rebus gerendis efficax.Nam Homerus quidem neq; conuenienter neq; probabiliter Agamemnonis pulcritudinẽ è tribus compegit similitudinibus:

Alexandri cũ aliis imperatoribus comparatio.

Ilia.ɣ. 478. *Ille caput magno similis,oculosq; Tonanti,*
Neptuno pectusq;,truci zonamq; Gradiuo.

Alexandri autem naturam si genitor deus ex multis concinnauit composuitq; virtutibus, quid obstat quo minus dicamus fuisse in eo magnanimitatẽ Cyri,modestiam Agesilai,prudẽtiam Themistoclis,peritiam Philippi,audaciam Brasidæ, vim & reipublicæ gerendę calliditatem Periclis? Quinimmò si eum velis cum vetustioribus componere, temperantior fuit Agamemnone.hic enim captiuam prætulit vxori quam primam virginem duxerat:Alexander etiãnum coniugij exsors captiuis abstinuit. Maiore etiã fuit quàm Achilles animo. hic enim Hectoris cadauer exiguo precio redemtum reddidit:noster grandi sumtu funus Dario fecit.atque ille cum amicis in gratiam rediens,veniam donis ac præmio vendidit: Alexander victor hostes ditauit.Pietate porrò Diomedem superauit.is enim paratus fuit adversum deos pugnare:noster omnem successum prosperũ diis acceptum tulit. Acceptior quoque necessariis fuit quàm

Iliad.κ.

Iliad.ω.

Iliad.τ.

Iliad.ε.

quàm Vlisses.huius enim mater ob luctum & desiderium vita excesit:mortem Alexandri mater hostis ob benevolentiam est comitata.Deniq;,vt verbo dicam,si Solon rempublicã fortuitò constituit, si Miltiades fortunæ munere exercitum duxit,si Aristides casu fuit iustus:nullum iam virtutis erit opus.sed nomen hoc & oratio esto,quæ aliqua cum gloria homines pervagetur,ficta à sophistis & legum latoribus. Sin autem eorum,quos recensui,virorum,vnusquisque pauper quidem aut diues, imbecillis vel robustus,deformis siue pulcer fuit,ac vel in senectute felici mortem obiit, vel præproperè vitam reliquit, Fortunæ nutu : magnum verò imperatorem,magnũ legum conditorem, magnum reipublicæ & magistratus administratorem virtute seipsum quivis & doctrina adiutus præstirit:agedum cum singulis Alexandrum comparemus. Solon Athenis nouas tabulas cõfecit,eámq; rem blando nomine Seisachtheã, id est oneris excussionem,appellauit. Alexander nominum loco pecuniam debitam creditoribus de suo dissoluit.Pericles tributo à Græcis exacto, templis ea è pecunia exstructis arcem ornauit : Alexander barbarica potitus pecunia,in Græciam CCIↃↃ talẽta misit, mandans vt ædes diis inde ædificarentur. Magnam nominis celebritatem per Græciam Brasidæ peperit,quòd hostium ad Methonam castra percurrit ad mare posita. Alexandri autem in Oxydracis saltum illum atrocem, incredibilem audiẽtibus, & spectantibus terribilem, cùm de muro seipsum in hostes demisit hastis,& iaculis, & strictis ensibus eũ excipientes, cuinam alij rei similem dicas, quàm fulminis igni cum impetu proripientis se & vento? tale tum spectrum in terras se deiecit ille, ardentib. circùm fulgens armis. Et barbari initiò perterriti, non sine horrore dissipati recesserunt. deinde cùm viderent vnum hominem in multos irruere, restite-

Odyss.λ.201.

runt. Enimuerò ibi loci Fortuna ſuæ erga Alexandrum benevolentiæ præclara & evidentia opera edidit, quando ipſo in locum obſcurum & barbarũ abiecto, muríſq; incluſo, eos qui auxilium ferre ſummo ſtudio contendebant, muróſq; foris invadebant, cõ fractis ſcalis proſtrauit atq; præcipitauit. de tribus verò, qui ſoli in muros evaſerant ac ſeipſos demiſerant vt iuxta regem conſiſterẽt, vnum ſtatim rapuit atq; interfecit, alter multis confixus iaculis tantum abfuit à morte, quòd ſentire adhuc & quid ageretur cernere potuit. interim foris inanes incurſiones atq; conclamationes erant Macedonũ, cùm machina ad oppugnandum nulla, nullum in promtu eſſet inſtrumentum: ſed muros præ opitulandi ſtudio gladiis percuterent, nudíſq; manibus rumpere ac tantùm non mordicus comminuere niterẽtur. At enim fortunatus ille rex, vtpote quem perpetuò ſtiparet cuſtodirétq; Fortuna, feræ in modum caſsibus implicatæ, deſertus & auxilij inops agebat: non eò redactus, vt Suſis, Babylone, vel Bactris potiretur, aut præclaram de Poro illam victoriam reportaret. nam qui arduas ac glorioſas res gerendas ſuſcipiunt, ab illorum infortunio, ſi quod habent, ſaltem dedecus abeſt. Sed ita pertinax & invidioſa fuit Fortuna, ita barbaris fauit, Alexandro malè voluit: vt (quantum in ipſa quidem fuit) non corpus modò tunc eius atque vitam, ſed & gloriam decúſq; aboleuerit. Neq; enim adeò indignum erat vel turpe Alexandrum ad Euphraten vel Hydaſpen occumbere, aut manu cũ Dario conſerta equis, gladiis, & ſecuribus Perſarum pro rege ſuo propugnantium interfici, aut conſcenſis Babylonis mœnibus, ruere & à magna ſpe decidere. Sic Pelopidas & Epaminondas exſtincti ſunt: quorum in tantis conatibus mors virtuti, non calamitati eſt imputanda. Sed quódnam fuit facinus Fortunæ, in quam nunc inquirimus? Vt in extremo angulo barbaricæ fluuij ripæ, intra muros ignobilis oppiduli incluſus atque occultatus orbis terrarum rex atque dominus periret, armis inhoneſtis & inſtrumentis temerè oblatis percuſſus atque contuſus. Nam ſecuri per galeam caput vulneratum eius eſt, & ſagitta aliquis arcu emiſſa thoracem perrupit, cuius ad mammam infixæ oſsibus & inhærentis, colis eminuit aggrauans, cuſpis autem ferrea IV digitos fuit lata, longitudo quinque. Extremum mali hoc fuit. dum ipſe adverſos hoſtes defendit, & eum qui coniecerat telum, ac gladio armatus accedere audebat, pugione præventum deiicit atq; necat: interea quidam è piſtrino accurrens à tergo ictum ceruicibus Alexandri ingerit, quo in vertiginem acti ſenſus ſunt hebetati. Veruntamen præſtò adfuit virtus, fiduciam ipſi, ſociis robur feſtinationémq; inſerens. Limnæus enim, Ptolemæus, Leonnatus, atq; alij, qui vel ſuperato vel perrupto muro ante regem conſtiterãt, murus erant virtutis, ob benevolentiam & amicitiam, qua Alexandro erãt iuncti, corpora, facies, animaſq; ſuas pro eo opponentes. Non enim Fortunæ caſu fit, quòd alij vltrò pericula pro regibus adeunt, & mortem oppetunt: ſed ob virtutis amorem, ſicvt ob illex aliquod medicamentum apes ſolent principi ſe adiungunt & adhærent. Quis autem qui tunc extra periculum conſtitutus ſpectator adfuiſſet, nõ hoc erat dicturus? Conſpicere ſe magnum Fortunæ adverſus virtutem certamen: & barbaros indignè ſuperiore eſſe loco, Fortuna fauente. Græcos autem reſiſtere vltra vires, virtutis præſidio. ac ſi barbari vincant, Fortunæ hoc & invidi genij ac Nemeſis fore opus: ſi Græci, victoriam virtuti, audaciæ, amicitiæ, ac fidelitati deberi. Etenim hæc ſola aderant tum Alexandro: reliquis copiis, apparatui, claſsibus, exercitibus, equitatui murum obiecerat. Tamen barbaros fuderunt Macedones, eóſque ſtratos ruinis oppidi texerunt. Verùm hoc Alexãdro nihil tulit opis. Raptus enim in-

de est vt erat telo onustus, & bellum in visceribus continebat, tanquam vinculo aut clauo thoracem sagitta corpori adstringẽte. Quam cum vi evellere è vulnere tanquã è radice essent aggressi, ferramentum manus non est secutum, pectoris ossa quæ cor muniunt pro firmamento nactum. Neq; calami prominentem partem serra abscindere sunt ausi: metuentes ne vehementiore agitatione fissum os, nimios excitaret dolores, & sanguinis è profundo proruptioni causam præberet. Ipse Alexander cùm magnam videret perplexitatem difficultatémq; & moram rei, sagittam conatus est ad ipsam thoracis superficiem pugione abscindere: sed manus torpẽs præ inflammatione vulneris, conatum non pertulit. Iussit ergo eos rem tentare, ac nihil metuere, vltrò animos addens non vulneratis. aliisque exprobrauit lacrymas & nimium mœrorem, alios desertores appellauit, qui opem ipsi ferre non auderent. altáque voce testatus est ad socios, Neminem pro ipso debere timidũ esse. nã si vos, aiebat, pro me trepidatis, non credetur me nullo mortis metu teneri.

PLVTARCHI

De esu carnium, oratio prior.

TV verò quæris, qua ratione inductus Pythagoras esu carnium abstinuerit. At ego miror quomodo affectus, quo animo, qua ratione impulsus homo ille fuerit, qui primus ore suo tangere cadauer, & mortui animalis carnes gustare aggressus, mortuorum corporum ac simulacrorum mensas proposuit, ac pro obsonio & alimento habuit membra, quę modò mugiebant,

giebant, vocem edebant, mouebantur, & videbant. Quomodo oculi sustinuere conspectum cędis, cùm animal iugularetur, pelle spoliaretur, in frusta secaretur? quomodo odorem nares tulerunt? quî gustum non avertit inquinatio, aliena tangentem vlcera, lethaliúmque vulnerum succos & saniem haurientem? Figmentum est hoc & fabula.

Vellera repebant: carnes uerubus quoq; in ipsis Odyss. μ. 395
Mugitum edebant assæ, crudæq; boabant.

Atqui cœna hæc verè est mõstrosa. esurire aliquem adhuc mugientia animalia, & docere iis vesci, quæ viuunt adhuc, & vocem edunt, ac disponere condiendi, assandi, apponendíq; modos. Is quærendus fuit, qui primus ista cepisset, non qui serò tãdem ab iis destitisset. Enimverò primi isti, qui carnibus vesci sunt aggressi, omnem fortasse culpã in inopiam reiecerint. non enim cupiditatibus iniustis capti, & inter copiam omnium rerum libidine elati ad voluptates quæ à natura & societate animantium essent alienę provecti eo se contulerunt. Quibus si in prę- *Primorum hominum victus.* sentia sensus & sermo daretur, haud dubiè sic nos compellarent: O beati, qui hodie viuitis, & diis cari, quale vobis contigit æuum, qui omnium rerum abvndantia sorte oblata perfruimini? quàm multa vobis nascuntur, quàm locuples rerum vobis vindemia? quantum è campis diuitiarum, quantas è stirpibus voluptates percipitis? ita quidem vt potiri illis & luxuriare vobis absque vlla pollutione detur? Nos autem tristissima excepit & apprimè terribilis ætas, cùm in immensam atque difficilimam primi ortus incidissemus inopiam. Adhuc cœlum occultabat aër ac stellas, turbido & penetratu difficili humore confusas, igníque, & ventorum æstibus. nondum suo loco Sol fixus hæserat, nondum certũ conficiebat cursum, nondum ortus eius occasúsq; definitis distinguebãtur limitibus: neq; suis statis con-

versionibus frugifera tempestatum anni intervalla discernebantur. Tum terra fluminum in compositis eluuiis vastata erat: multa ob paludes informia, cœno alto, saltubus infrugiferis & syluis erant inculta. Immò ad producendos mites fructus, ad artem culturæ nullum suppetebat instrumentũ, nulla sapientię machina. neque fames moram patiebatur, neque anniversarium tempus semens facta exspectabat. Quid ergo mirum, si animalium carnibus vsi sumus prȩter naturam eo tempore, quo cœnum edebatur, & cortex vorabatur ligni, & gramen invenire virens, aut radicem alicuius herbæ fortunatum putabatur? qui verò glandem gustassent atque comedissent, præ voluptate choros circa quercum aliquam aut fagum duxerunt, vitæ datricem eam, matrẽ, nutricémq; appellantes? hanc enim eius sæculi festiuitatem vnicã nouerant homines, reliqua omnia perturbationis ac tristitiæ plena erant. Vos autẽ quomodo nunc rabies quædam & œstrus agit ad cędes sceleratas, in tanta rerum necessariarum abvndãtia? Cur terram mendacio grauatis, tanquam alere vos quę nequeat? cur legiferam Cererem impiè offenditis, cut Mansuetum & Comem hac contumelia afficitis, vt non satis vos ab illis accipere prę vobis geratis? Non pudet mites fructus cum sanguine & cæde miscere? Dracònes, pantheras, leones, dum sæuiciæ accusatis, ipsi interim improbis cædibus eorum feritati nihil ceditis. quippe iis ea animalia alimentum, vos obsoniũ vobis paratis. Non enim leones & lupos, eorum vlti iniurias, voramus: sed his omissis, innocua, mansueta, & stimulis dentibúsque ad lædendum carentia interficimus. quæ me Hercle pulcritudinis, venustatísq; gratia videtur natura produxisse. Ac perinde facimus, ac si quis exvndantem cernens Nilum, à quo terra impleatur genitabili ac frugifero fluore, nõ admiretur eius vim, fecundam mitissimarum ac vitæ vtilissimarum frugum.

gum. sed sicvbi crocodilum innatare, aut aspidẽ devolui, muscarúmq; videat feram & impuram nationem: has vituperationis causas proferat. Aut si quis solum hoc tellurémq; cernens mansuetis frugibus refertam, ferámq; spicis, dispiciens deinde in segete ista lolij aristam aut orobanches, frugum omissa lectione, isthæc incuset. Quid, si quis orationẽ rhetoris in iudicio ac patrocinio sentiat ferri ad depulsionem periculi, aut demonstrationem & coargutionem facinorum, quæ non simpliciter, neque tenuiter incitata fluat, multis simul motibus variorũ animorũ instructa, & ingeniorum, quæ diuersis sunt auditoribus, aut iudicibus, aut excitandis aut mutandis, aut etiam placandis atque sedandis: omissis istis, neq; reputans aut metiens operam impensam, atq; contentionis magnitudinem, aliqua vocabula non rectè prolata excerpat, quæ inter orationis impetum elapsa sunt: eóq; nomine oratorem ipsum vituperet? * Sed nihil nobis verecundiam incutit, * non color floribus certans, nõ vocis concinna suauitas, non solertia, non puritas in victu, non summa prudentia miserorum animalium: exiguæ caruncułæ gratia spoliamus ea Sole, luce, & vitæ tempore iis dum nascerentur destinato. Deinde quas emittunt ea voces, putamus indistinctas esse, non deprecationes singulorum, non obtestationes, quovis eorum dicente: Non deprecor si necessitas te cogit, iniuriam deprecor: interfice vt cibum habeas, noli interficere vt suauiùs edas. Proh crudelitatem. Atrox quidem est res, videre appositam homini diuiti mensam, qui coquis vtatur sua obsonia de cadaueribus qui conficiant. Atrocior, videre sublatam. plura enim reliqua sunt quàm quæ sint vorata. ergo reliqua frustra sunt interfecta. & cùm appositis absti nuerint, non sinunt alios carnes recusatas scindere, cùm non pepercerint viuis. Verùm enim verò accepimus istos homines hoc dicere, esum carnium ha-

Contra naturam esse carnium esum.

bere à natura initium. At non à natura hominẽ hoc habere vt carnes edat, primùm ipsa corporis humani demonstrat constitutio. Non oris vncus, non vnguis acumen adest, non dentium asperitas, non ventris robur, non calor spiritus, quo subigere & mutare possit carneam molem. Sed iã tũ ipsa dentiũ læuitate, oris exiguitate, linguæ mollicie, & spiritus ad concoctionem imbecillitate, esum carnium eiurat. Quòd si contendis te natum esse ad hoc cibi genus sumendum, primùm id quod vis edere, ipse interfice, idque tua solius opera, non secespita vtens, non malleo, non securi. sed sicvt lupi, vrsi, & leones ipsi necant quæ vorare volunt, ita tu morsu bouem, aut ore suem neca, ouémq; aut leporem irruens in viuum etiamnum diripe, sicvt istæ feræ. Sin exspectas dum moriatur, vereríque præsentem animam è carne expellere: cur contra naturam edis id quod anima est præditũ? Immò nemo anima cassum & mortuum animal ita edit sicvt est. elixant, assant, ignis & condimentorum ope mutant, cædémque medicamentis innumeris amoliuntur, vt gustatus deceptus alienum alimentum admittat. Et verò scitum est illud Laconis, qui cùm in caupona emisset piscículum, idque cauponi coquendum tradidisset, atq; caseum, & acetum, oleúmq; ab eo postularetur: Quid, inquit? an si isthæc haberem, piscem emissem? Nos autem ita flagitiosas inter cędes istas luxuriamus, vt carnem obsonij nomine dignemur. deinde obsoniis indigemus ad ipsam condiendam carnem, admiscentes oleum, mel, vinum, garum, acetum, aromata Syriaca & Arabica, haud aliter, ac si re vera cadauer humi cõdendum condiremus. Etenim carnes, quas edimus, hoc modo diffluentes, emollitas, ac quodam modo putrefactas difficile est à concoctione subigi. Quinetiam superatæ vi concoctionis carnes, cruditates tamẽ molestas gignũt. Diogenes verò crudum polypum vorare sustinuit, vt amoliretur confectionem, qua ignis obsonia conficit. & sacerdotibus multísque aliis circumstantibus, caput pallio velans, polypúmq; ori admouens, Pro vobis, inquit, ego me periculo obiicio. præclarum me hercle periculum, scilicet vt Pelopidas pro Thebanorum, Aristogiton pro Athenienſium libertate, ita philosophus adversus crudũ polypum decertauit, vt vitam humanam efferaret. Porrò carnis esus non modò præter naturam corporibus nostris accidunt, sed satietatem etiam crassiciémque ingenerant. Vinum enim & carnium esus, corpus quidem robustum validúmq; faciunt, animos autem hebetant. Ac ne athletas adducendo offendam, vtar cognatis exemplis. Bœotos nos Attici crassos, stupidos, stolidos maximè ob voracitatem appellauerunt, atque adeò sues, & Menander

Damna ex esu carniũ.

—mandibulas habent.

& Pindarus. Notum verò est, secũdum Heracleti animam siccam esse optimam atq; sapientissimam. Id quoq; cõstat, vasa vacua cùm pulsantur sonitum reddere, impleta obmutescere. ærea vasa icta vocem in orbem diduntur, nisi quis iniecta manu obthuret atque inhibeat. Oculus etiam humore occupatus abvndante hebescit, & officium suũ facere nequit. Solem per aërem humidum, vaporúmq; multitudinem crudorum intuentes, non purum aut splendidum, sed obscurum & caliginosum dubióque lumine conspicimus. Ita profectò etiam in corpore repleto & turbido, alienísque cibis grauato, omnino necesse est splendorem animi lucémq; retundi, atq; conturbari, vagariq; & ad viles res cernẽdas se conferre, cùm ad considerandas ea quæ aliquid habent difficultatis, nihil ei sit acuminis atq; virium. Iam absq; hæc essent, quis non maximi faciat adsuefactionem ad humanitatẽ? quis enim lædere vellet hominem, ita benignè & humaniter affectum animo ad aliena & non cognatorũ sibi mala? Nudiustertius

differens, mentionē feci Xenocratis: & quòd Athēnienſes pœnam ab eo exegerunt, qui viuo arieti pellem detraxerunt. non eſt autem, puto, viuum torquens deterior eo qui interficit. Sed nimirum magis ea ſentimus quæ conſuetudini, quàm quæ naturæ repugnant. Initium autem noſtræ opinionis, magnum illud & ſacri myſterij germanum, ignauiſque (vt ait Plato) & mortalia ſapientibus incredibile, equidem vix audeo verbis attingere: tanquam cum nauim in tēpeſtate gubernator torquet, aut in theatro ſcena labante, machinam tollit poēta. Tamen nihil obſtat quo minus Empedocleā ſententiā proœmij loco præcinam. Quòd enim noſtræ animæ mortalibus corporibus ſunt illigatæ, id ita interpretatur, quòd pœnas eæ cædium & eſus carnium pendant. Quanquā hæc quidem oratio videtur eſſe antiquior. Quæ enim fabulę feruntur de Baccho membratim diſcerpto, & quæ adverſus eum conati ſint Titanes, vtq; guſtauerint cæſi cadauer, punitiq; & fulminibus icti perierint: ſermo eſt qui ad nouos refertur natales, ſecundúmq; ortum. Brutam enim in nobis animæ facultatem, incompoſitam eam & violentam, nō diuinam, ſed à genio profectam, veteres Titanas appellauerunt: eáq; eſt quæ dat pœnas.

PLVTARCHI
De carnium eſu, oratio poſterior.

RATIO nos hortatur, vt recentibus alacribúſq; cogitationibus ad diſputationem de carnium eſu pridianā revertamur. Eſt verò, vt aiebat Cato, difficile verba facere ad ventres auribus carētes: hauſtúſq; eſt à

eſt à pleriſque conſuetudinis ille è variis mixtus ac confuſus potus, Circæi cyceonis inſtar pariens

Fraudes, & gemitus, cruciatus, atq; dolores. *Iliad. κ, 235*

neq; facilè hamus eximi poteſt eſus carnium, voluptatis cupiditate occupatis ac tanquam tranſixis. Equidem conueniebat, vt quo more hominis mortui ventrem exſecant, atq; adverſo Sole conſciſſum abiiciunt, eum innuentes fuiſſe cauſam omniū quæ in vita peccauit homo: ita nos gulæ cædíſq; ſtudio evulſo, reliquum vitę tempus caſtè exigere. quando ipſe venter non ad cædes impellit, ſed intemperantiæ noſtræ culpa iis polluitur. Veruntamen ſi fieri nequit vt plane vitemus eſum carnium, & conſuetudo facit vt nos pudeat iſto peccato abſtinere: ſaltem cum ratione peccemus. Edamus, inquā, carnes, ſed fame, non luxuria impulſi: interficiamus animal, ſed miſerantes & dolentes, nō inſultantes & excruciantes. qualia nunc multi multa perpetrant. alij verubus iguitis porcos iugulant, vt ferri tinctura ſanguis exſtinctus atque diffuſus carnem molliat delicatámque reddat. alij vberibus ſuum fetarum inſtante iam partu inſiliunt eáque calcant, vt ſanguinem & lac & tabum fetus ſimul interfecti inter matris dolores eximētes, (proh piacularis Iupiter) maximè inflammatā animalis partem vorent. alij grues & olores oculis conſutis incluſos in tenebris ſaginant, alienis temperamentis atque condimentis guſtum nouum obſonio ſuo conciliantes. Vnde appriмè manifeſtum fit, non alimenti aut vſus neceſſitatiſve gratia, ſed ob ſatietatem, luxum & prodigalitatem nefas hoc ad voluptatem parandā fuiſſe conuerſum. Proinde ſicvt libidinem in mulieribus ſuis non explentes, omnia tentando ac inceſtis cupiditatibus vagando tandem ad infanda prolabuntur: ſic circa nutrimentum intemperantia naturalem & neceſſarium tranſgreſſa finem crudelitate ac flagitio cupiditatem variauit. Etenim ſenſus contagio

Variæ delitiæ.

quodam vitiantur, vnúsque alterius vitio & libidini socium se præbet, vbi modum à natura præscriptum excedunt. Sic auditus vitio laborans, Musicam corrupit, vt molles quidam effeminatíque modi turpes palpationes, muliebréſq; titillationes ederent. Ita visus didicit non pyrrichio saltu gaudere, non gesticulationibus manuum, non saltationibus elegantibus videndis: sed cædes & mortes hominũ, vulneráq; & pugnas spectaculum sumtuosissimum sibi parare. Ita iniustæ mensæ comitatur coitus intemperans: coitui turpi auditiones à musica alienę, cantibus & auditionibus impudentibus theatra absurda, spectaculis inhumanis immanitas & aduersum homines crudelitas. Itaque diuinus ille Lycurgus in tribus suis legum tabulis, quas retras appellant, serra & securi solis ianuas domorum ac fastigia fabricari iussit, nullo alio instrumẽto adhibito. non profectò quòd asciis, terebris, aliisq; ad subtile opus faciendum vtilibus bellum indixisset: sed sciens, te talibus ædificiis non illaturum lecticã auro ornatam, mensas argenteas, purpureos tapetes, lapides preciosos: ac domum talem, culcitram, mensam, calicémq; trahere secum cœnam tenuem, prandiúmque vulgare. Initio verò prauæ viuendi rationis succedit

(*Lactens equam propter ceu pullus cursitat*)

omnis luxuria & profusio. Quæ enim non est sumtuosa cœna, ad quam aliquod necatur animal? An paruum impendium videtur nobis anima? nondum dicam, fortasse patris, matris, filij aut amici anima, vt Empedocles: sed tamen sensu, visu, auditu, vi imaginandi, intelligendíque prædita? quam ad sui appetitum & consecutionem, alieníq; fugam vnũquodque animal à natura accepit. Iam hoc considera, vtrinos meliùs cicures humanósq; faciant philosophorum: iiine qui liberos, amicos, parentes, vxores à nobis manducari volunt, vt morte verè exstinctos: an Pytha-

Pythagoras & Empedocles, qui nos condocefaciũt etiam erga alius generis animalia iusticiam exercere? Tu quidem rides eum, qui ab ouis esu abstinet. Is tamen dicet: cùm vos videmus mortui patris aut matris portiones abscindere, amicísque eas absentibus mittere, præsentes verò inuitare, carnésque illis larga manu apponere, non rideam? Quanquam nos fortasse peccamus, qui libros istos attingimus, manibus, oculis, pedibus, & auribus non priùs lustratis. nisi profectò hæc ipsa lustratio est, cùm de hisce differentes oratione liquida (vt ait Plato) falsum auditum proluimus. Tamen si quis librorum disputationúmq; instituat comparationem: deprehendet istorum philosophiam ad Scythas pertinere, Sogdianos & Melanchlænos, de quibus scribenti Herodoto non habetur fides: Pythagoræ autem & Empedoclis decreta, leges fuisse priscorum Græcorum, hósq; eorum institutis in vita degenda stetisse, neque eos vllam in bruta vim fecisse. Qui ergo * sunt, qui postea temporis decreuerunt cædes animalium?

Qui primùm gladios duxere ex ære malignos,
Primi & aratoris gustarunt uiscera tauri.

Hoc sanè modo etiam tyranni homicidiorum initia iaciunt. vt Athenis principiò interfecerunt pessimum sycophantã, qui Epitedæus appellabatur: itéq; secundum & tertium. deinde cædibus adsueti Niceratum Nicię F. interfici viderunt, & imperatorem Theramenem, atq; Polemarchum philosophũ. Sic ab initio ferum aliquod & noxium animal deuoratũ fuit: deinde auis aliqua aut piscis. donec his condocefacta & gustui adsueta libido ad bouem operarium progressa est, & ouem quæ nos ornat custodémq; domus gallum. itáq; paulatim inexpletã roborantes auiditatem, in cædes hominũ & bella sunt delapsi. Verùm nisi quis præterea demonstret, animas dum renascũtur, promiscuè vti corporibus ho-

minum & brutorum, & quod nunc est brutum, pòst fieri hominem, ac per vices ferum, ac mansuetũ, naturãmq; omnia mutare & transferre alieno carnis velantem amictu: hæc non avertunt eum qui gulæ se dedidit: quòd gulæ studium & corpori morbos grauedinémq; ingenerat, & animam ad bellum traductã iniustius vitiat: vbi nos adsuefecimus, vt absque cæde & sanguine neq; hospitem excipere, neque nuptias celebrare, neq; cum amicis viuere velimus. Quòd si illa quæ de animarum per vicissitudinem quãdam in corpora illapsu disputantur, non faciunt fidem: attamen dubitatio ipsa magnam nos cautionem, magnum iubet adhibere metum. Verbi gratia: si in nocturno aliquis prœlio in virum, qui collapsus armis corpus cooperiat, irruat stricto gladio, audiãtque interim quendam dicere, Non certò sibi constare, putare tamen eum qui iacet imminentis esse filium, fratrem, patrem, aut contubernalem: præstátne opinioni ei falsæ subscribentem dimittere hostem amici loco: aut contemta ea, quòd ad fidem faciendam firma satis non sit, domesticum pro hoste interficere? hoc sanè omnes dicetis indignum fore facinus. Considera mihi etiam Meropen illam, quæ sublata securi filium, quem percussorem filij putat esse, ferire iam volens dicit,

Penetrabili te mactabo ictu nunc ego hoc:

quantum in theatro excitat motum intentorũ cædi, ac metuentium ne senem antevertat inhibentẽ, adolescẽtémq; feriat. At enim si tũ alius aliquis senex adstitisset, dixissétq;, Feri, hostis est: alius, Ne ferias, filius est. quæro vtrum sit flagitium maius, Filij gratia hostem impunitum dimittere, an ob iram adversus inimicũ, incidere in cædẽ filij? Quapropter, quandoquidem non odium nos, non ira, non vlciscendi cupiditas in brutorum cædem agit, sed ad partem aliquam voluptatis parandam adstat reducta ceruice victima, neci destinata. si iam philosophorum

phorum alius dicat, Perime, brutũ est animal: alius, Inhibe necem. quid enim, si in hoc corpus cognati alicuius aut dei anima concesserit? proh deũm fidem, in eo démne versor periculo, siue hoc crẽdens abstineo carnis esu: siue fidem derogans interficio filium aut aliquem alium necessariorum? Impar verò huic disputationi est Stoicorum pro esu carnium decertatio? Quis enim est iste, cui tam multa in ventrem & culinam ora patẽt? Cur voluptatem effeminatam dicentes, & neque inter bona, neq; inter ea, quæ præcipua vocant, neq; inter naturæ conuenientia numerantes, tanto studio pro iis laborant, quæ ad voluptatem conducunt? Certè consequens hoc erat, vt cùm è conviuiis vnguentum & placentas exegissent, multo magis carnem & sanguinem aversarentur. Nũc velvti si suam philosophãdi rationem ad diarias redituũ instituissent annotationes, sumtum in res invtiles atque ociosas faciendum amputant: inhumanitatem luxus atq; crudelitatem non aversantur. Quid tũ postea? dicent. nulla nobis cum brutis est familiaritas. Ne cum vnguentis quidem, inquam, & exoticis condimentis. & tamen hęc, tanquam invtilia & supervacanea, soliq; voluptati inseruientia, vndiq; expellitis. Verùm enimverò hoc ipsum iam nunc dispiciamus, an nullo nobis iure natura brutum animantium genus devinxerit: non artificiosè hoc aut sophistarum more disputantes: sed in ipsas nostrorum animorum affectiones intuiti, humanitérque nobiscum ista meditantes atque perpendentes.

* * *

PLVTARCHI
LIBELLVS,

Maximè cum principibus viris philosopho esse disputandum.

QVOD instituisti te in amicitiã Sorani insinuare, eámq; amplecti & colere, quæ multis priuatim, multis etiam publicè sit vtilis, atque frugifera futura: rem facis honestatis, reip. humanitatisq; studioso homini conuenientem: non, vt nonnulli opinantur, ambitioso. Etenim hoc potiùs verum est, ambitiosum esse, & meticulosum eum, qui fugit veretúrque dici adhærere iis qui in aliqua potestate sunt constituti, & eos demereri. Nónne enim homo ingenij culturæ patiens, & philosophiæ indigens diceret: vtinã Simo fierem cerdo, aut Dionysius litterator de Pericle vel Catone, vt mihi sicvt illis adsideret ac colloqueretur Socrates? Aristo sanè Chius à sophistis impetitus maledictis, quòd cũ omnibus qui hoc vellent dissereret: Optare se dixit, vt etiã bruta animalia intelligere possent verba ad virtutem inci tantia. Nos verò potentum & principũ virorũ consuetudinem, tanquã agrestium & ferorũ animalium, vitabimus? Nõ statuarij morem seruat philosophiæ oratio, vt simulacra (quod est apud Pindarũ) faciat in sua perpetuò hærẽtia basi. sed quicquid attingit, id industriũ vult reddere, efficax atq; animatũ, impetúsq; ingenerat, & iudicia quibus id ad vtilia inci tetur, consilia honestatem respicientia, altitudinẽq; animi cum mansuetudine & cautione coniunctam. Atq; hæc causa est, cur libentiùs cũ eminentibus ac potentia præstantibus consuescãt viri ciuiles. Quippe &

pe & medicus honestatis studiosus malit oculum sanare qui pro multis videat, multósq; custodiat: & philosophus promtior erit ad curãdum animũ quẽ pro multis procurare videt, & qui debeat multis sapere, philosophari, ac iusticiã colere. Nam qui peritus esset aquæ inveniendæ & cõducendæ, (quod de Hercule & multis veterib. narratur) is profectò non oblectaret se in aliqua agri extremitate aperiendo fonte, qualis illa subulci est ad Corui saxũ Arethusa: sed fluminis alicuius perennes fontes propagando ad vrbes, castra, agros regum cultos atq; lucos. Homerum audimus, qui Minoëm Iouis oaristam appellat: hoc est, Platone interprete, familiarem atque discipulum. non enim priuatos homines, aut domi desidentes, ociosósve deorum esse voluerunt discipulos: sed reges, qui prudentiam, iusticiam, bonitatem ac magnanimitatem consecuti, ea ad omnium essent vtilitatem conversuri. Eryngium herbam aiunt si vna capella in os sumat, ipsam primùm, mox totum gregem subsistere, donec accedens pastor ori eam eximat. tantam vim celeritatis odor eius habet, qui ignis in morem in proxima quæq; dissipetur atque ea occupet. At enim philosophica doctrina, si in priuatũ aliquem incidat, qui ocio gaudens, & corporis sui vsibus se tanquam circulo ducto circumscribat, non propagatur ad alios, sed in eo solo tranquillitate ac quiete facta evanescit. Si verò in principem virum ac in rep. versantem rebúsque gerendis deditum illabatur, eúmq; studio virtutis impleat: multis per vnum prodest. Tales fuerunt Pericles Anaxagora, & Platone Dio præceptore vsus, ac Pythagora principes Italorum. Cato quidem ipse ab expeditione ad Athenodorum nauigauit. & Scipio Panætium accersiuit, cùm esset legatus à Senatu, vt quemadmodum Posidonius ait,

Inspiceret mores hominum prauosq;, bonosq;.

Quid, putas, fuit dicendum Panætio? si esses Cato,

Odyss. v, 408

Odyss. τ, 179

aut Pollux, aut alius quidam idiota, qui è medio vrbis te subducens per ocium in aliquo angulo syllogismos resolueret, ac de elẽchis philosopharetur, libenter me tibi darẽ, tecúmq; essem: nunc quia Aemilij Pauli filius es, eius qui duos gessit cõsulatus, nepos Scipionis Africani à quo Annibal Carthaginiensis victus est, nolo tecũ philosophari. Quod autem dicitur, orationem esse duplicem, vnam intus contentam, Mercurij munus principis, alterã quæ enunciatur, Diactoro, hoc est administram & instrumenti vices gerentem: friuolum est, ac subiiciatur huic dicto, Noueram hoc antequàm Theognis exsisteret. Id autem nihil molestiæ adferat, quòd & intus insitæ orationis, & enunciatæ finem esse amiciciam, illius cum seipso, huius cum alio. Quem enim philosophia ad virtutem perducit, is homo redditur sibi ipsi concinens, nunquam seipsum culpans, pacéq; secum & amore perpetuo fruens,

Non est seditio in membris, contentio nulla est:

non rationi refragans animi motus, nõ cupiditatum inter se concertatio, non cogitationi contraria cogitatio, non tanquam in confinio concupiscentiæ & pœnitentiæ asperum ac tumultuosum gaudium. Sed pacata omnia & amica, ac plurimorum bonorũ fertilia, efficientiáq; vt seipso quis gaudeat. Musam verò enunciatiuæ orationis præsidem neq; antè Pindarus dixit lucri cupidam esse atq; operariam, neq; (puto) nunc diceret: sed ob insciti am atque imperitiam honesti communem Mercurium factum fuisse mercenarium atque vænalem. Non enim Venus quidem administri sui filiabus succensuit,

Quòd primæ iuuenes in fraudem inducere turpi
Instituere dolo:— Vrania autẽ, Calliope, & Cleo gaudeant iis, qui pecuniæ gratia doctrinam profiterentur. Sed mihi videntur Musarũ opera & dona magis etiã quã Veneris philotesia, id est amiciciæ ergò data

data ac gratuita, esse. Etenim gloria quem nonnulli finem orationis faciunt, tanquam semen & initium amiciciæ in precio fuit. immò autem omnino plerique gloriam pro benevolentia tribuunt: putantes eos duntaxat à nobis laudari, quos diligimus. Verùm hi quidem, quo modo Ixion Iunonẽ persequẽs in nubem delapsus est, ita loco amiciciæ simulacrũ fallax, & ad pompam compositum, atque instabile amplectuntur. Sana mente præditus autem, si in rep. ac rebus gerendis versetur, tantam captabit existimationem, quanta ob fidem quæ ei habetur, potentiam ipsius actionibus conciliet. Nam neque iucundum est neque facile nolentibus prodesse: vt velint, fides faciet. Sicvt enim lumen melius est videntibus, quàm non videntibus: ita gloria magis conducit sentientibus quàm neglectis. Qui verò omissa reipub. tractatione secum viuit, felicitatẽ in ocio & quiete ponens, is eam quidem gloriam, quæ in hominum turba, theatrísq; publica prostat, ita vt Hippolytus Venerem eminus, ipse castus, salutabit: bonorum tamen ac celebrium virorum de se opinionẽ nequaquam negliget. diuitias autem, & principe dignam gloriam ac potentiam in amiciciis neq; sectabitur neque si modicè affluant, aversabitur. Nam neque formosos adolescentes sectatur, sed modestos, compositos, & discendi cupidos: neque quibus forma, flos ætatísq; & venustas adest, reformidat: neque culturæ dignos ob pulcritudinem reiicit. Ita dignitate & potentia principe digna præditus homo ciuilis ac moderatus, non abstinebit amando & diligendo: nec verebitur aulicus appellari & qui principem colat.

Nam qui Venerem fugiunt nimis mortalium,
Aegrotant.—

& qui bona sectantur, itidem errant gloriam & gratiam apud principes fugiendo. Philosophus ergo re

bus gerendis abstinens tales non fugiet. Ciuilis etiam amplectetur eos, auidéque audiet, nihil obturbans, neque aures intempestiuis atque sophisticis collocutionibus interpellans: sed volentibus illis disserere gaudens, colloquens, vacans, & conversans.

Bis sex dierum confero uiam, solum
Berecynthiam regionem.——

Is si non tantùm agriculturę studiosus, sed etiam humanitatis fuisset, maluisset profectò conferere agrũ tot alendis sufficientem, quàm Antisthenis illum agellum, quem ægrè ipsi rursus exemisti. quòd si te interrogarem, orbem terrarum obire totum recuso. At verò Epicurus bonum in altissima quiete, tanquam in portu ab vndis tuto ac silente collocans, beneficium dare non modò pulcrius, sed etiam iucũdius esse ait quàm accipere. Nil enim tã est ferax gaudij, atque gratia. & sapuit, qui Gratiis nomina imposuit, Aglaiæ, Euphrosynes, & Thaliæ. Maior enim & purior est lætitia dantis. Itaque sæpe pudet accipere beneficium: semper cum gaudio gratificamur aliis. Bene autem multis faciunt, qui eos bonos reddunt, quorum opera multi indigent. sicvt contrà qui principes, reges, tyrannósque solent corrumpere sycophantæ, calumniatores, atque adulatores, ab omnibus profligantur atque puniuntur: vt qui lethale venenum non in vnum aliquem iniecerint calicem, sed in fontem publicum, & quo vniuersos vti norint. Sicvt igitur Calliæ illos in comœdia traductos adulatores Eupolis ait, nõ igni, nõ ere, nõ ferro arceri posse ne ad cœnã cõmeent: Apollodori autem tyranni, & Phalaridis, & Dionysij amicos atque familiares exquisitis suppliciis peremerunt, diríque devouerunt: quòd illis vnum injuria afficientibus, hi per vnum principem multos læderent. ita qui cum priuato consuescit philosophus, efficit vt is seipsum nulla molestia, nullo damno afficiat,

ciat, placidéque viuat: qui verò principis alicuius malos mores corrigit, animúmque ad officium dirigit, is quodammodo publicè philosophatur, optimúmque publicum emendat quo omnes gubernantur. Sacerdotibus ciuitates honorem habent, eósque venerantur, quòd bona ij à diis nõ sibi tantùm, suísque amicis & familiaribus, sed in commune omnibus ciuibus precantur. & verò ij deos non faciunt bonorum largitores: sed cùm tales suapte sint natura, eos obsecrant. Principes philosophi cum iis versantes iustiores faciunt, moderatiores, & ad beneficentiam propensiores: vt par sit eos etiam magis gaudere. Mihi quidem faber lyram quoq; eo libentiùs videtur alacriúsque fabricaturus, si sciret eum, qui habiturus eam esset, canendo Thebas muris circundaturum, vt fecit Amphion: aut Lacedæmoniorum seditionem pacaturum, vt fecit Thales. itémq; gubernaculum conficiens, si gubernatorem eo intelligeret vsurum ad regendam Themistoclis prætoriam nauim propugnantẽ pro Græcia, Pompeiíve prædones maritimos exscindentis. Nónne hoc etiam de sua doctrina statuet philosophus: ea imbutum ciuilem atque principem virum, in publicum vtilem futurum, ius dicendo, leges condendo, malos puniendo, bonos augendo? Equidem nauium opificem bonum aliqua cum voluptate arbitror cluuum fabricaturum, si audiat eo gubernandam Argo nauim illam ab omnibus celebratam: neq; tam alacriter carpentarius aratrum currúmve construet, vt axones in quos Solon suas sit leges inscripturus. Et quidem doctrina philosophica vbi in animum principis ac ciuilis viri inscripta hæsit, vim legis adipiscitur. atq; eo nomine in Siciliam nauigauit Plato, sperans se id consecuturum, vt Dionysius in agendo decretis philosophiæ tanquam legibus vteretur, eáque factis repræsentaret, sed Dionysium invenit instar libri, in quo quæ scripta sunt, rursum expungi so

Odyss. μ. 70

lent, iam sordibus & maculis refertum, neque tyran nidis tynćturam dimittentem, quam temporis longinquitas penetrabilem iam & indelebilem reddiderat. Oportet autem tales, dum in cursu adhuc & motu sunt vitia, bonas amplecti disputationes.

PLVTARCHI,

Ad principem ineruditum.

PLATO à Cyrenæis rogatus, vt leges ipsis scriptas relinqueret, rem publicámque constitueret, recusauit: quòd diceret difficulter Cyrenæis leges posse poni, rebus eorum ita lætis: ac nihil ita esse petulans, ferox, atque imperio reluctans, atque est homo rebus, vt videtur, secundis fruens. Itaque difficile est imperantibus consilium de imperio dare. verentur enim doctrinam, vtpote imperaturam ipsis, admittere, ne potentiæ ipsorum præstantiam ea rationibus officij subiugãs minuat. Quippe ignorant isti Theopompi Spartanorum regis cõsilium, qui cùm primus Spartæ regibus ephoros adiunxisset, exprobranti vxori quòd filiis regnũ minus quàm accepisset ipse relicturus esset: respondit, Tanto id maius esse relicturum, quanto firmius. nimia enim vehementia ac immoderata regni potẽtia remissa, simul cum invidia periculum declinauit. Et tamen Theopompus imperio tanquam magno fluuio ad alios deriuato, quantum iis dedit, tantum sibi ipse ademit. Doctrina autem philosophica in principe habitans, eiúsque custos & tanquam consiliarius, potentiæ velvti nimis habiti corporis maiorem iusto vim detrahens, id relinquit quod est sanum. Sed plerique principum atque regum ob amentiam

mentiam imitantur imperitos statuarios, qui putant magnos ac validos visum iri colossos, si eos admodum divaricatis cruribus, distentósq; & hiantes fingant. Sic enim & ipsi vocis grauitate, & vultus toruitate, morúmq; importunitate, & aversatione convictus videntur maiestatem imperij præ se ferre: nihil omnino differentes à colosicis istis statuis, quæ foris heroica aut diuina ornatæ forma, intus terra, lapidibus, & plumbo sunt repleti. Hoc interest, quòd statuarum istarum moles rectitudinem seruat perpetuam absq; inclinatione. ineruditi autem principes ab interna sua insscitia sæpenumerò labefactãtur atq; subvertuntur. basi enim non sitæ ad lineam & angulos rectos potestatem superstruentes excelsam, vnà vergunt. Enimverò sicvt necesse est primò omnium ipsam regulam rectam & firmam esse, atq; ita deinde ea quibus applicatur, ipsa quoq; sui similia facere atq; ad rectitudinem perducere: ita oportet principem priùs in se ipso imperium morésque recte constituere atque dirigere, postea ei subditos accommodare. nam neque cadentis est erigere, neq; componere incomposiți, neq; ordinare inordinati, neq; imperare nulli imperio subditi. Sed plerique inepta decepti sententia, primum hoc putant esse in imperio bonum, nulli subesse imperio. atq; adeò rex Persarum omnes pro seruis habuit, excepta sua vxore: cuius maximè debuit esse dominus. Quis ergo imperabit principi? Lex, omnium rex mortalium atque immortalium, vt ait Pindarus. non ea foris scripta in libris, aut lignis insculpta? sed viua in ipsius corde ratio, semper vnà habitans atque excubans, & animum nunquam sinens esse principatus vacuum. Sanè Persarum rex vnum de cubicularijs ad hoc habebat constitutum, vt manè ad regem ingrediens diceret: Surge ô rex, & curam rerum gere, quas te curare Oromasdes voluit. eruditus & cordatus princeps intus habet qui hoc identidem

occinat & admoneat. Etenim Polemo deorum administrum esse dicebat Amorem, ad adolescentium procurationem destinatum. Veriùs autem hoc dixeris, principes dei esse administros ad tutandâ hominum salutem: vt quæ dij bona hominibus largiuntur, ea partim distribuant, partim conseruent.

Vides sublime fusum immoderatum ætherem,
Qui tenero terram circumuectu amplectitur?

Is quidem principia demittit seminum conuenientium, terra autem ea vegetat: augentur alia imbribus, alia ventis, alia calore siderum lunæq; fouente. omnia autem ea Sol ornat, & illum quem ferunt amoris illicem indit. & tamen istis tot tantisq; donis quæ dij largiuntur, absque lege, iusticia, & principe frui non est permissum. Etenim iusticia legis est finis, lex principis opûs: princeps dei imago omnia digerentis. neque is opus habet Phædia qui fingat, aut Polycleto, vel Myrone: sed virtutis opera seipsum deo quàm similimum facit, iucundissimúmq; spectatu opus, & diis charissimum. Quale verò elegantissimum in cœlo simulacrum sui deus Solē atq; Lunam infixit: tale in ciuitatibus eius exemplum est atq; lumen princeps,

Odyss.τ, 111 *Iura Dei similis qui dat mortalibus æquâ.*

scilicet recta præditus ratione, idq; habens diuinũ, non sceptrum, non fulmen, non tridentem. quomodo nonnulli se pingi ac fingi iubentes, stulticiam suam inuidiæ exposuerunt, dum affectant ea quæ consequi nequeũt. Succenset enim deus tonitrua & fulmina radiorúmque proiectus imitantibus. qui verò virtutem ipsius æmulantur, & honestate humanitatéq; ipsum referre conantur, hos studio eorum delectatus auget, suáque eos æquitate, iusticia, veritate, ac mãsuetudine impertit. quibus nihil est diuinius: non ignis, non lumen, non Solis cursus, non siderũ ortus atq; obitus, non ipsa perpetuitas atq; æternitas.

tas. non enim ob tempus vitæ beatus est deus, sed virtutis principatu. id enim diuinum est: & pulcrum idipsum, quod ab ea regitur. Sanè Anaxarchus Alexandrum consolans ob Cliti cædem animi se angentem, An ignoras, aiebat, Ius & Fas Ioui assidere, vt quidquid rex agat, id fas iustúmq; putetur? non rectè ille pœnitentiam delicti animo ad alia audẽdum similia exhortando eius amoliens. Quod si coniectu ris hæc sunt examinanda, non profectò Ioui Iusticia adsidet, sed ipse ius & fas est ac omnium legum antiquissima & perfectissima. atq; propterea veteres isthæc finxerunt docuerúntq;, vt ostenderent sine iusticia ne Iouem quidem rectè potuisse imperare. Illa autem virgo est, vt ait Hesiodus, incorrupta, verecũ diæ, pudiciciæ, & veritatis contubernalis. Atq; hinc reges venerandi vocantur. maximè enim veneratione merentur, qui minimè metuunt. Debet autem princeps magis metuere ne quid faciat mali quàm ne quid patiatur: illud enim huius est causa. Atq; hic metus humanus est principis, & non degener, timere subditis, ne quod imprudentibus áccidat malũ.

Oper. 245.

Qualis propter oues canibus metus acris in aula
Incidit, audita est vbi fors fera:— *Iliad. π, 183.*

non pro se, sed pro custodiæ suæ commissis. Epaminondas quidem, cùm festo quodam die Thebani effusiùs se compotationi dedissent, solus circumiens arma & muros lustrabat, sobrium se esse ac vigilare dicens, vt aliis ebriis esse ac dormire liceret. Et Cato Vticæ cum reliquos à clade vniuersos per præconem ad mare convocasset, inq; naues imposuisset, se licem iis precatus nauigationem, seipsum interfecit. docens, pro quibus princeps metum gerere, quę debeat contemnere. At Clearchus Ponticus tyrannus, in cistam irrepens anguis in morem dormiebat. Et Aristodemus Argiuorum tyrannus sponda in sublimi conclaui posita, supra ianuã pensilẽ, cum ami-

ca dormiebat: & amicæ mater vbi adscendissent, scalas remouebat, rursúmq; luce facta apponebat. Quo modo, putas, hic archiuum, theatrum, curiam, conuiuium metuebat, qui de cubili suo carcerem redegerat? Re enim vera principes subditis, tyranni subditos metuunt. itaq; horum cum potentia crescit metus, & quo pluribus imperant, eo plures timent. Nõ enim probabile est, neq; conuenit, (quod nonnulli philosophorum putant) deum permixtum esse materię omnia sustinenti, & infinitas rerum necessitates, casus, mutationésq; perpetienti. sed nobis suprà alicvbi apud naturam sempiternam, eodémq; semper modo affectã collocatus supra sacra (vt ait Plato) fũda menta, rectà secũdum naturã proficiscens ad finẽ pergit. Sicvt autem in cœlo pulcerrimum sui documentum posuit, in quo tanquam speculo gnaris secernendum præbet: ita in ciuitatibus iusticiæ splendor quandam diuinæ sapientiæ imaginẽ reddit, quã beati & prudentes è philosophia describunt, ad rem pulcerrimam studium suum adiungentes. Cæterùm hanc animi affectionem nihil aliud efficit quàm doctrina philosophica: ne idem nobis vsu veniat, quod Alexandro. qui cùm esset Diogenem Corinthi contemplatus, miratus amplexúsq; hominis ingenium magnanimitatémque dixit, Nisi Alexander essem, Diogenes esse vellem. tantum non oneratus felicitate, splendore ac potentia sua tanquam impedimentis virtutis atque ocij, æmulánsque pallium & peram: quibus invictum se præstabat Diogenes, vt armis Alexander, & equis ac fariisis. Atqui licebat ei philosophanti & animo fieri Diogenem, & fortuna manere Alexandrum, eóque magis fieri poterat Diogenes, quia erat Alexander, cui ad magnam fortunam multísq; ventis & fluctibus agitatam opus erat validum firmamentum atque gubernator. Apud humiles enim & plebeios imbecillitati admixta stultitia peccandi occasione destituitur: & stulticia tanquam

quam somniis vitiosis animus exagitatur, cùm nõ habeat tãtum virium vt cupiditatibus obsequatur. At potentiæ vbi prauitas accessit, dementia motibus animi additur. & verum est illud Dionysij, qui tum maximè se frui imperio aiebat, cùm celeriter faceret quæ vellet. Valdè autẽ magnũ periculum est, ne cui licet facere quod vult, is velit, quod non debet.

Nam simul ac dictum uerbum est, factum ilicet exstat. Ilia. 7, 242.

Prauitas à potentia celerem nacta cursum, omnes animi motus in facta expellit. de ira cædem, de amore adulterium, de auaricia publicationem alienorũ bonorum facit.

Nam simul ac dictum est,——

periit qui offenderat: simul ac suspicio incidit, interficitur qui delatus fuit. Ac sicvt physici dicunt fulgur tonitru posterius erumpere, vt sanguis vulnus sequitur, prius tamen videri, auditu sonum expectante, visu lumini occurrente: sic in imperiis supplicia accusationibus antevertunt, & damnatio criminis demonstrationem

Impellit: ira namq; statim resistere
Vt curuus fluctibus uncus anchoræ haud ualet:

nisi grauitate præpedita ratio conpescat reprimátq; potentiam. vt scilicet Solem imitetur princeps, qui ad summam evectus altitudinem in partibus septentrionalibus, lentissimè mouetur, tarditate cursum tutum reddens. Nam ne latére quidem vitia potentum possunt. Sed sicvt morbo comitiali laborantes si in frigore versentur, vertigine corripiuntur & agitatione morbum eorum arguente: ita Fortuna vbi ineruditos ac ineptos homines aliquantulum opibus, gloria aut principatu extulit, statim eorum ruinam demonstrat. Atque adeò sicvt inter vacua vasa nõ facilè discernere possis, quod eorum integrum, quod sit vitiosum: vbi aliquid infuderis, statim apparet quod perfluat. ita animæ rimis fathiscẽtes in-

fusam potentiam non continent,sed foràs diffluunt cupiditatibus, iris, arrogantiis, ineptiis. Et quid attinet isthæc dicere? quando etiam minima vitia illustrium ac celebrium virorum calumniis impetuntur. Cimoni vinum vitio dabatur.Scipioni somnus. Lucullus malè audiebat quòd cœnaret sumtuosiùs.

PLVTARCHI

De virtute morali,commentarius.

DE virtute, quæ cùm appellatur tum videtur ad mores pertinere,eóque præcipuè à contemplatiua differt, quia pro materia animi motus, pro forma rationem rectam habet,propositum nobis est differere: quænam sit eius natura,quomodo subsistat, an quæ eius capax est animi pars peculiari sit ratione ornata, an alienæ particeps: mixtáne ea pars cum meliore sit, aut potiùs ea tanquam magistra & principe vtens, particeps dicatur imperantis facultatis. Quod enim possit virtus etiam existere atque permanere omnis materiæ expers, omnisque mixtionis, existimo manifestum esse. Expedit autem breuiter aliorum sententias percurrere, non tam recensionis gratia, quàm vt iis positis nostra & evidentiæ plus habeant & firmitatis. Menedemus,cui patria fuit Eretria, virtutum & multitudinem sustulit,& differentias:quòd vnam esse arbitraretur,quæ diuersis vteretur nominibus. idem enim dici temperantiam,fortitudinem, iustitiam,quomodo idem sunt gladius & ensis. Aristo autem Chius, vnicam & ipse quod ad substãtiam attinet

Variæ de virtute sententiæ.

tinet virtutem fecit,ac sanitatem appellauit: certarum autem respectu rerum, plures. vt si quis vellet visum nostrũ,quando res albas intuetur,leucotheã, id est alborum,quando nigra,melantheam,id est nigrorum spectatorem,aut alia simili ratione appellare. Etenim virtus dum considerat quid agendum sit aut non agendum, prudentiæ nomen gerit: dum moderatur cupiditatibus,modúmque & legitimum voluptatibus tempus definit,temperantiæ: dum cõmercia contractúsque hominum invicem temperat, iusticiæ. sicvt culter vnus quidem est,aliàs autem aliud scindit.& ignis vnica sua natura vtens in varias agit materias. Sublabi in hanc sententiam Zeno etiam quodammodo videtur Citieus, qui prudentiã definiens in tribuendis rebus iusticiam, in sequendis aut fugiendis temperantiam, in sustinendis fortitudinem nuncupat. Tamen qui id negant, volunt prudentiæ vocem à Zenone pro scientia fuisse vsurpatam.Chrysippus autem dum secundum qualitatem,quamuis peculiarem aliquam virtutem putat debere constitui, imprudens totum (vt est apud Platonem) examen virtutum excitauit incognitum atque insolens.nam sicvt à forti fortitudinem,à mã sueto mansuetudinem, à iusto iusticiam: sic à gratioso gratiositatem, à bono bonitudinem,à magno magnitatem, ab honesto honestitudinem, aliásquo id genus dexteritates,compellabilitates, versabilitates virtutum in numero censens, multis & absurdis nominibus nihil tale desiderantem impleuit philosophiam. In eo omnes conveniunt, quòd virtutem partis animæ principis affectionem quandam & facultatem ratione partam, aut ipsam potiùs esse rationem sibi consentientem,firmam,atque inexpugnabilem ponunt.sentiúntque partem animi motibus obnoxiam subitis atque brutam, non differentia naturæ quadam à ratione discretam esse: sed ipsam illam animi partem,quam rationem & principẽ

Universidad de Deusto Biblioteca

vocant, totam prorsus conuersam ac mutatam sub motus animi subitos, mutationésq; habitum aut affectionem efficientes aliquam, fieri vitium vel virtutem, nihilque habere in se brutum. sed brutum dici, quando vi incitatæ appetitionis prævalente & obtinente, ad absurdum aliquid contra rationis consilium effertur. motum enim illum rationem esse pravam & intemperantem, à vitioso & falso iudicio vehementiam viresq; consecutam. Cæterùm omnes hos videtur latuisse quo modo vnusquisque nostrú revera duplex sit atq; compositus. Non enim perspexerunt vtranq; duplicitatem nostri: sed eam duntaxat, quæ evidentior est, ex anima & corpore compositionem. Atqui ipsam animam è duabus ac dissimilibus iis naturis esse conflatam, bruta parte instar alterius corporis cum ratione naturæ quadam necessitate commixta atque coucinnata, ne Pythagoram quidem (puto) fefellit. idq; coniicio ex eius studio musicæ, quam ille animæ demulcendæ atq; pacandæ causa induxit, vt quæ non omnia haberet doctrinæ ac disciplinis obedientia, aut quæ de vitio ad virtutem oratione traduci possent: sed quippiam alius generis suadelam, formationem, atq; cicurationem præterea desiderans, ne planè philosophiæ intractabile se atq; refractarium præbeat. Plato quidem apertè, firmiter, atq; citra vllam controversiam sensit huius mundi animam non esse simplicem, non compositionis expertem, non vniformem: sed quæ ex Eiusdem & Diuersi vi contemperata, aliàs vno ordinè vi prædito vtens eodem modo semper regatur atq; obversetur: aliàs in motus scissa, orbésq; vagos & invicem contrarios, rerum differentiis atq; ortibus principium exhibeat. Tum hominis animam, quæ animæ Vniuersi portio rationibus ac numeris huic congruentibus sit concinnata, non simplicem esse aut eodem per omnia modo affectam: sed aliam eius partem intelligentem esse ac ratiocinatricem,

Hominis quomodo duplex anima.

qua

qua hominẽ regi naturæ sit conueniens: aliam quæ variis motibus obnoxia, bruta, vaga & incomposita suapte natura, gubernante opus habeat. atque hanc rursum in duas scindi partes: quarum altera semper appelletur & sit corporea: altera nonnunquam huic se accommodet, aliquando rationi obtemperare. quam vim atque facultatem Thymoides appellat ipse, quòd in ea irarum exsistat ardor. discrimen autem maximè demonstrat mentis ac rationis adversus concupiscentiam & iracundiam pugna, quæ ostendit multa alia esse, quæ optimæ adsentiuntur parti. His principiis plurimum vsus est Aristoteles, quod ex eius scriptis est manifestum. Posteà tamen irascentem partem concupiscenti adiunxit, quòd excandescentia animi appetitus quidam sit vicissim lædendi. tamen partem brutam & subitis affectionibus obnoxiam semper & ad extremum vsque ita vt diuersam à ratiocinatrice vsurpauit. non quòd ea prorsum bruta sit sicvt ea animæ vis qua sentimus, alimur, vegetamur: sed cùm hæc rationi nihil quicquam omnino obedientia, ac surda quodammodo è carne edita sit, omninóque corpori inhæresecat: illa altera motuum subitorum capax propriæ expers rationis, ea tamen est natura, vt mentem ac rationem audire, ad eam se conuertere, parére, & confirmari ab ea possit, nisi insita voluptate & intemperante vitæ ratione planè sit pessundata. Qui verò non assequuntur, quomodo brutum quod est, rationi obtemperare possit: ij mihi non videntur vim rationis perspicere, quanta sit ea, quò penetret imperando ac ducendo: non duris hoc & refractariis ductibus, sed conformantibus & obedientia ac concedendo plus quavis necessitate ac vi conficientibus. Etenim spiritus, nerui & ossa, reliquæque corporis partes vtiq; rationis vacua sunt. tamen dato impetu, vbi ratio quasi concussit habenas, omnia suum ordinem seruant, cougruunt, & pa

rent. ac pedes, vbi visum fuerit animo vt curratur, intendunt se cursui, manus operi, si quid iacere aut apprehendere voluit. Optimè autem poëta his verbis expressit, quomodo cum ratione consentiant, ad eamq; se accommodent brutæ partes.

Huius per teneras lacrymarum flumina malas
Manabant, socium thalami deflentis. Vlisses
Vxoris fletum miseratus mente pudicæ,
Intra palpebras eeu cornu immota tenebat
Lumina, uel ferrum: lacrymas astuq; premebat.

Odyss. τ, 208

ita spiritum, sanguinem, & lacrymas habuit rationis dicto audientes. Hoc etiam demonstrant apud formosas aut formosas, vbi tangere ratio & lex vetat, pudendorum recessio, se demittentium ac quiescentium: quod maximè vsu venit amore correptis, qui simul atque audiuerunt se per errorem sororis aut filiæ amore captos fuisse, statim concupiscentia ratione eam tangente subsidet, & corpus membra iudicio honestè conformata præbet. Sæpe etiam cibos & obsonia cum magna voluptate edentes, vbi sentiunt aut discunt se aliquid impurum aut illicitum sumsisse, non tantùm iudicio assentientes animi morsus & molestiam percipiunt, sed & ipsum corpus opinione ista exagitatum vomitus & alterationes cũ nausea coniunctæ invadunt. Ac vereor ne planè ad alliciendum in hanc sententiam composita, audaciúsque adscita orationi videar inferere, si barbita commemorem, lyras, fistulas, tibias, & quæ alia canendi ars ad animorum humanorum motus accommodata excogitauit instrumenta: quæ animæ exsortia, tamen se animorum nostrorum iudiciis, vtentiúmq; voluntatibus applicant, vnà lugentia, cantantia, lasciuientia. Et tamen ipsum Zenonem ferũt, cùm cithara caneret alternis cãtare solitus musicus adscendisse ad theatrũ, ac dixisse discipulis: Eamus, vt discamus qualem viscera, nerui, ligna, & ossa numero

mero atq; ordine instituta vocem ac subtilitatẽ habeant. Verùm istis omissis, audire ex ipsis velim, An cùm videant canes & equos atq; aues domi educata animalia, adsuefactione, alimento, & doctrina eò regi, vt voces edant sensum aliquẽ habentes, motibúsq;, gestibus, & actionibus se rationis iussui parentes exhibeant, nostrísq; vsibus applicent: cúmq; Homeri Achillem audiant ad pugnã equos virósq; instruere: adhuc mirentur, & dubitent, si facultas animi nostri qua irascimur, appetimus, gaudemus, dolemus, ea sit natura, vt obedire mẽti, affici ab ea, eiq; consentire possit. cùm quidem ista facultas non alibi habitet, non extra limites circunscripta sit, nõ foris vagetur, neq; necessitate aut verberibus subigatur: sed ab eadẽ dependeat natura, vnà versetur, vnà educetur, impleatúrq; mentis cõsuetudine. Itaque moribus Græci nomen ethos fecerunt percommodè. sunt enim, vt descriptionem informem, mores (de quibus nobis sermo est) qualitas quædã in bruta animi parte, ac nomen inde habent, quòd hanc siue differẽtiam siue qualitatem effícta à ratione pars bruta in se recipit cõsuetudinis (quæ illis est ethos) interuentu. Non enim ratio omnem prorsus evellere perturbationem animi conatur: cùm neq; fieri id possit, neque expediat: sed finem ei, quendámque imponit ordinem, ingenerátque virtutes morales, quæ non sint vacuitates motuum seu affectuum animi, sed eorum mediocritates & concinnitates. ingenerat autem, prudentiæ opera facultatem istam mobilem in habitu probo cõstituens. Tria enim hæc aiunt esse in animo hominis, facultatẽ, perturbationem seu mobilem affectionem, habitum. Est autem facultas principium & materies talis qualem dixi perturbationis. vt sunt iracundia, ad pudorem, ad confidentiam propensio. Ipsa perturbatio isthæc, motus iã est facultatis, vt ira, vt cõfidentia, vt pudor. Habitus robur iã est & cõformatio brutæ facultati

Iliad. τ, 399.

consuetudine parta: isque aut vitium, vbi malè, aut virtus est, siquidem probè condocefacti fuerint motus. Porrò autem, quando non omnem virtutem mediocratem faciunt, moralémve appellant: altiùs rerepetita re differendum hoc de discrimine videtur. Rerũ aliæ pro se ipsæ sunt, aliæ certa ratione ad nos referuntur. Pro se ipsæ sunt, terra, cœlum, sidera, mare. Ad nos certo modo respiciunt siue referuntur, Bonum, malum, expetendum, fugiendum, iucundũ, molestum. Horum vtrunq; cum consideret doctrina, ea quæ rebus duntaxat suo modo habentib. intenta est, cõtemplatiua dicitur ac scientiis compræhenditur: quæ in certa conditione ad nos affectis, consultatrix est & actionibus destinata. huius virtus prudentia, illius sapientia dicitur. Inter prudentiam ac sapientiam hoc interest, quòd vbi contemplatrix philosophia ad actiuam & motus animi temperantẽ comparatur, rationi consentaneum est ei prudentiã cedere. Nam prudentiæ Fortuna opus est: quam, vt & consultationẽ, ad suum finem sapientia non desiderat. versatur enim in iis cõsiderandis, quæ semper eodem sunt modo. Atq; vt geometra non deliberat de triangulo, an tres eius anguli duos rectos æquẽt nécne, quippe qui certus sit rem ita habere: (consilia enim ineuntur de rebus aliàs aliter habentibus, non de perpetuis & immutabilibus) ita contemplatrix veri mens, prima, stabilia, vnámque semper naturam seruantia, nullam admittentia mutationem tractans, vacationem habet deliberandi. Prudentiam autem quæ se in res demittit plenas erroris atque tumultus, necesse est sæpenumerò cum fortuitis casibus rem habere, & deliberatione vti de rebus incertioribus atque obscurioribus: ac deinde consilium agendo exequi, bruta etiam parte præsente & vnà ad iudicandum tracta. Impetu enim appetitionis actiones indigent, quem mores motu aliquo & affectione animi non perpetua incitant, ratio-

Ethicæ & comtẽplatricis philosophiæ discrimen.

rationis opus habentem opera, modum describentis, ne vel nimius sit, vel occasionem & officiũ prodat. nam subitis affectionibus obnoxia & bruta isthæc animi facultas motibus cietur, nonnullis vehementioribus ac celerioribus, quibusdam etiam remissioribus & quàm conveniat segnioribus. Itaque ergo eorum quæ agimus vnumquodq; vnico tantùm modo rectè consit: multipliciter errari in eo potest. sicvt scopum attingere, vnicum est & simplex: ab eo autem variè excedendo deficiendoq; aberratur. Proinde hoc rationis actiones ad præscriptũ naturæ dirigentis opus est, affectus animi vbi vltra citráve modum se incitando ij peccant, ad mediocritatem revocare. Vbi enim ob imbecillitatem, mollitiem, metum, aut trepidationẽ appetitionis impetus remittit, ac antequã perveniatur ad bonũ propositum desinit: ibi ratio adest excitans atq; resuscitans. Idem si quando nimius fertur atq; incompositus, vehementiã eius ratio reprimit & cohibet. Ad hunc modum itaq; ratio motus appetitionis desiniens, morales in homine virtutes gignit, quæ sunt mediocritates inter nimium & parum à bruta animi parte proficiscens. Neq; enim dicendum est quamvis virtutẽ in mediocritate consistere: cùm sapientia, nihil indigens brutæ partis, inq; sincera mẽte & perturbationũ vacua locũ habens, rationis quædã sit excellentia in se ipsa perfectionẽ habens: qua vi scientiam consequimur, rem diuinissimã atq; beatissimam. Ea autem virtus, quæ propter corpus necessaria nobis est, eiúsq; gratia appetitus tanquam instrumenti ministerio opus habet, non internecio brutæ partis animi, sed ordinatio ac moderatio facultate quidem qualitatis suæ ratione excellentia ipsa quoq; est: quantitate autẽ mediocritas fit, quod nimiũ est auferens, & quod deest implens. Iam cùm multis modis medium intelligatur: nam & contemperatum inter sincera est mediũ, vt pullus color in-

Mediũ multiplex.

ter album & nigrum: & inter continens ac contentum, id quod & continet & continetur, vt I I X inter X I I & I V: & quod neutrius extremorũ est particeps, vt inter bonum & malum ea quæ vocantur indifferentia: nullo horum modo virtus est mediũ. Nam neq; mixtum aliquid è vitiis est: neq; id quod non satis est continens, ab eo quod nimium est continetur: neq; omnino vacat perturbationibus & impetibus cõcupiscẽtię, in quibus plus minúsve ęquo locum habet. sed est dicitúrq; mediocritas, maximè quomodo in sonis harmonica spectatur. Sicvt enim ibi cõcinna est vox, quæ mese (id est media) dicitur, netes & hypates, hoc est imæ & summæ, illius acumini nimio, huius grauitati interiecta: ita virtus cũ sit motus & facultas circa brutã versans animæ partẽ, remissiones & intentiones, atq; adeò id quod vltra vel citra modũ est appetitionis auferens, vnumquemque animi motum ad mediocritatem rectitudinémq; perducit. Iam primùm fortitudinem medium faciunt inter timiditatem & audaciã: quarum in hac exsuperat, in illa deficit ea animi vis, ob quã animosi dicimur. ita liberalitatem inter sordidam parcitatem ac prodigalitatem: mansuetudinem inter indolentiam & sæuiciam. ipsamq; adeò temperantiam & iusticiam, hanc quidem quæ in contractibus neque plus iusto tribuat, neque minus: illam quæ appetitus subinde in medium inter stuporem animi nullo sensu voluptatum affecti, & luxuriam profusam dirigit. Atque hac quidem in re, quam vltimo loco dixi, maximè se præbet sentiendam differentia quæ inter brutam animi facultatem est & rationem, evidénsque fit planè diversam à ratione esse rem perturbationes istas affectionésque animi vagas. Non enim à temperantia discerneremus continentiam, & ab intemperantia incontinentiam circa voluptates & cupiditates, si eadem esset animi vis qua appetimus, & qua iudicamus. Nunc, ea dicitur tempe-

Continẽtiæ & tẽperantiæ discrimẽ

temperantia, vbi concupiscentem partem velvti placidum & obsequens pecus ratio gubernat atq; tractat, sibi in appetendo parentem. continentia autem ea est, vbi obtinet quidem & imperat ratio concupiscentiæ, non tamen sine molestia, aut vltrò obtemperanti: sed reluctãtem & obliquè incedentem verbere quasi & fræno cogit atque compescit, animo certaminum ac turbarum pleno. quod similitudine explicans Plato, iumenta animi ait inter se contendere, cùm deterius meliori renitatur simul & arigam perturbet, coactum summa ope habenas premere & ea inhibere, ne (quod est apud Simonidem) punicea de manibus ei excidant lora. Itaq; etiã continentiam non dignantur perfectæ virtutis nomine, sed minus aliquid virtute statuunt esse. nõ enim facta est mediocritas consensu inferioris partis cum præstantiore, neque amputatum est quod erat nimium affectionis, neque paret consentítve rationi appetitus: sed molestiam afferens vicissímque molestiam percipiens, ac necessitate cohibitus velvti in seditione, infensus atque hostis intus habitat. denique continentis animus ob inæqualitatem & dissidium est velvt vrbs illa,

Simul frequens referta quæ suffitibus,
Pæanibus simulq; gemitibusq; sit. *Sophoc. tyr.*

Eandem secuti rationem incontinentiam quoque minus aliquid vitio esse censent. perfectum autem vitium intemperantiam, in qua & affectus animi pravus est, & vitiata ratio: quorum ille appetitum ad turpia ducit, hæc malè iudicando turpibus cupiditatibus adsentitur, sensúmque peccati perdit. At verò incontinentia rectum rationis iudicium seruat: sed perturbationibus contra iudicium mouetur, maiore quàm sit ratio vi præditis. itaque eo differt ab intemperantia, quòd incontinentis vinçitur ratio à perturbatione, intemperantis ne pu-

gnat quidem: ille cupiditates sequitur, interim iis contradicens, hic eas ducit consentiens: hic gaudet suis peccatis, ille ægrè fert: hic volens ac sponte ad turpia fertur, ille inuitus honestatem prodit. vt & in verbis, & in factis manifesta eorum appareant discrimina. Intemperantium enim hæ sunt voces:

Gratia quænam sit sine Cypride, quæue uoluptas?
Hæc mihi cùm curæ non erit, emoriar.
Item:
Vesci cibis, potare q;, & Venere frui:
Namq; additamenta omnia sunt mihi cætera.

quippe hominis toto animo ad voluptates vergentis atque prolabentis. neque minus ille etiam, qui dicit

Sine me perire, namq; id est in rem meam:

tam iudicio malè affecto, quàm vitiosa perturbatione. Alia sunt incontinentium dicta:

At enim mihi natura, sentienti rectè, uim facit.
& alius:
Eheu, diuinitus hoc malum mortalibus
Accidit, bonum ut uidens, non utaris tamen.
& alius:
Impellit ira: nec porrò resistere
Litoreus ut uncus anchoræ quéo fluctibus:

hamum anchoræ litoreum non ineptè appellans rationem non peruicacem, neq; constantem, sed quæ ob vanitatem animi ac molliciem iudicium deserit. neque ab hac similitudine abludit isthuc:

Nam nostra nauis à terra rudentibus
Suspensa perstat: spirat aura, sed tamen
Hæremus nostris firmiter retinaculis.

retinacula vocat iudicium turpitudini repugnans: quæ aliquando à perturbatione, tanquam valido vento, rumpuntur. Revera enim plenis cupiditatum velis ad voluptates incitatur intemperans, deditq;

deditque seipsum eò & dirigit. incontinens oblique, dum eniti conatur aduersus motum vitiosum, sublabitur & in turpitudinem decidit. quo modo Anaxarchum in Sillis traducit Timo:

Hîc & Anaxarchi uis illa canina uidetur,
Se quocunq; dedisset, eò pertendere sueta.
Is tamen, ut perhibent, miserè prudens q; scienq;
Vixit: namq; uoluptates amplexa stupens q;
Natura (haud paucis ea formidata sophistis)
Retrorsum ad uitium recto de tramite agebat.

Nam neque sapiens qui sit, continens est: sed temperans. neque stultus incontinens est, sed intemperans. & alter honestis delectatur, alteri turpia non sunt molesta. Est itaque incontinentia animæ sophisticæ, tali ratione præditæ quæ in rectè decretis perstare non possit. Exposuimus incontinentiæ & intemperantiæ discrimen. At continentia à temperantia differt rationibus proportione iam dictis & ab altera parte respondentibus. Morsus enim animi, & molestia, & indignatio nondum deserit continentiam. At si in temperamentis animo vndiquaque æquabili quietem & sanitatem, qua bruta pars devincitur rationi ac contemperatur, mirabili exornata obedientia ac tranquillitate, intueri posses: vtique diceres,

Tum uenti posuere, quies tranquilla per alta
Incubuit latè, sopiuit cærula numen: Odyss. 5, 391

ita vehementes, furiosos, rabidósque motus ratio exstinxit. quæ verò à natura necessariò requiruntur, hæc consentientia, parentia, amica, & operam nauantia redegit consiliis propositísque ad agendum susceptis: ita vt nunquam rationem præcurrant, nunquam eam deserant, nunquam inordinatè se gerant, nunquam imperium detrectent: ita vt omnis appetitio dicto rationis audiens, eam subsequatur:

Universidad de Deusto Biblioteca

Lactens equum propter ceu pullus cursitat.

Atque hoc pacto Xenocratis illud confirmatur dictum, qui pronunciauit de verè philosophantibus, Solos eos vltrò facere ea, quæ legibus coacti alij faciunt, tanquam canis morsu aut telis metu à voluptatibus deterriti, & ad periculum respicientes. Obscurum verò non est, in animo huiusmodi roboris & adversus cupiditates quasi concertationis atque contradictionis sensum percipi. Non desunt tamen qui rationem, & eam quę perturbationibus cietur partē negēt esse res diuersas: neq; in animo duarum facultatum exsistere seditionem aut discordiā. sed vnius eiusdémque rationis conversionem in vtranque partem, quæ nos mutationis celeritate fallat, non animadvertentes quòd eadem animi facultas à natura facta est ad concupiscendum, irascendum & metuendum, voluptatis causa ad turpitudinem inclinandum, & rursus istam incitationem inhibendum. nam & cupiditatē, & metum, & quę id genus reliqua sunt omnia, opiniones esse & sententias prauas, non in vna aliqua animæ parte obortas: sed motus ac momenta totius principis animæ partis, assensiones, atque impetus, denique actus quosdam qui facillimè aliò recidant: sicvt puerorum impetus vehementiam imbecillitatis causa lubricam habent & inconstantem. Horum sententia primùm evidentiæ sensuique non congruit. Nemo enim vnquam sensit cupiditatem suam in iudicium, aut iudicium in cupiditatem commutari. neque desinit amare is, qui iudicat reprimendum esse amorem, éque reluctandum: aut à ratiocinando & iudicando tūc desistit, cùm victus mollicie cupiditati herbam porrigit. Sed & tūc, cùm ratione affectui it obviam, perturbatio ipsum tentat: & rursum ab hac superatus, ratione peccatum dispicit. & neque perturbationibus obnoxiam partem abolet, neque ratiocinando ab ea liberatur: sed in vtranque partem agitatus,

In Stoicos. an affectus sint opiniones.

tatus, medius communisq; amborū est. Qui autē modò principem partē in cupiditatem, modò cupiditatem in rationē converti opinantur: perinde faciunt, ac si venatorē & ferā non duo, sed vnū putarent esse corpus, quod sui mutatione iam venator, mox fera fieret. nam & sic in re manifesta cæcutirent: & isthic contra sensum ferunt testimonium, cùm non vnius alicuius mutationem, sed dissidium ac pugnam in seipsis sentiant. Obiiciunt, Ipsam etiam nostri animi eam vim quæ consultat, sæpenumerò in diuersas trahi sententias de eo quod expediat, & momenta opinandi in vtramque facere partem: cum quidem & ipsa sit vnica. Fatemur sanè. sed similitudo non congruit. Non enim ratio sibi ipsi repugnat: sed vna eadémq; vtens facultate, diuersas tractat cogitationes. immò, vna est ratio, diuersis in rebus tanquam materiis occupata. Itaq; neque dolor ratiocinationibus quę sine affectu instituuntur vllus comitatur, neq; tanquā vi compulsi contra animi sententiam, deflectimus in alteram partem. nisi sicvbi, tanquam in trutina, in altera lance affectio aliqua adversus rationem appensa examinetur. Hoc enim sæpenumero contingit, vt rationi non ratio, sed ambitio, vel contendendi, gratiæ, obtrectationisve studium aut metus aliquis adversetur: ac tum duæ sibi invicē repugnare videantur rationes. cuius generis ista sunt:

Consultatio.

Turpe recusatu hæc fuit illis: & metuebant
Accipere oblatam interea quoq; conditionem. Item: *Iliad. ι, 93.*
Miserum trucidari est, sed iunctum gloriæ:
Subterfugere mortem timidi est, suaue est tamen.

Sed & in disceptandis contractibus animo motum adferentes affectus, plurimū iniiciunt moræ. Et qui regibus consulentes gratiam captant, non de duabus sententiis alteri patrocinantur: sed affectui alicui se accommodant contra vtilitatis rationē. itaq; optimatibus remp. administrantibus, non permitti-

tur oratoribus vt in animis motus excitent. Quippe recto momento vacua perturbationis ratio ad iustum inclinat: perturbatione oborta, pugna ac dissidium inter partem voluptatis aut doloris capacem, & inter consultantem iudicantémq; exsistit. Nam aliâs quî fit, vt in philosophicis commentationibus absque vllo dolore nos ab aliis patiamur duci, & à sententia discedamus nostra? sicvt cùm ipse Aristoteles, tum Democritus & Chrysippus nonnulla priùs sibi probata decreta, absque tumultu, doloréque, & quidem libenter dimiserunt? nimirũ quia parti animi quæ in contemplando ac scientiis tractandis versatur, nullus obnititur affectus: atque in hoc genere sese continet, neque curiosiùs se effert bruta facultas. quò fit, vt ratio verum conspiciens, ad id omisso falso perquàm libenter se conferat: eò quòd in se ipsa vim eam habet, quæ & assentiri, & sententiam mutare facit. At quæ actionum gratia suscipiuntur consultationes, & iudicia, & arbitria, quia perturbationes his admiscentur, rationi quandam adferunt discrepantiam atque difficultatem: cui rationi nimirum in tali re obstat atque obturbat bruta pars, voluptatem ei aliquã obiiciens, aut metum, aut dolorem, aut cupiditatẽ. Iudicium hac in disputatione est penes sensum, qui vtranque attingit partem: altera enim vincens, alteram non perimit: sed assectatur vim moliens & renitens. Scilicet qui seipsum amore captũ castigat, is ita ratione adversus affectum vtitur, vt vtrunq; in animo habens insitum: duo inter se pugnare sentiens, & eorum alterum tanquam inflammatione exagitatum iniecta manu comprimẽs. Contrà in illis deliberationibus, ad quas motus brutæ partis isti non pertingunt, & quales omnino sunt contemplatricis philosophiæ: vbi æqualia in vtranque partem sentiendi sunt momenta, ibi non iudicium interponitur, sed dubitatio relinquitur: quasi institio quædam cogitationis adversus vtranque partem affectæ. quòd si in alteram partẽ aliquid decernatur, superior inferiorem iam sustulerit, ita vt sententiæ conceptæ nihil adversetur: neque molesta porrò sit. Vt autem vniuersẽ dicã, quoties ratio rationi videtur opponi, sensus non duarũ diuersarũ rerũ repugnantiã arguit, sed vnius cuiusdam in diuersis visis quod versetur examinandis. Quando autẽ bruta pars contra rationẽ contendit, vbi ita natura comparatum est, vt neq; vincere, neq; vinci citra molestiã possit: statim animus quasi in duas partes dirimitur, & manifesta fit discordia.

De affectibus.

Cæterùm nõ tantùm è pugna, sed & ab iis quæ subsequuntur non minùs expeditũ est videre principiũ affectuũ aliud esse à ratione. Cùm enim fieri possit, vt amet aliquis ingeniosum & bona ad virtutem indole puerũ, possit etiã malum & impudicũ: itémq; vti ira improbè in liberos & parentes suos, iustè proiisdem adversus tyrannos & hostes: sicvt ibi sentitur pugna perturbationis contra rationẽ & discordia: ita hæc obsequij & tanquam affluentis atq; adiuuantis motus accursus. Equidẽ vir probus, vbi legibus conuenienter vxorem duxit, in eã cogitationem incũbit, quomodo possit cũ ea rectè & pudicè viuere. temporis autẽ successu vbi cõsuetudo amorem ingenerauit, sentit ratione dilectionẽ augescere. Et adolescentes vbi scitis præceptoribus se dederunt, principiò eos vsus gratia sectantur atq; æmulantur, postmodò autem eos diligunt, ac de familiaribus discipulisq; amatores & fiunt & dicũtur. Idẽq; in ciuitatibus vsu venit hominibus erga magistratum, vicinos, necessarios. postquam enim ceperunt necessitatis causa invicem pro officij ratione cõsuescere, paulatim deinde in amorẽ delabuntur, rationẽ secum trahente & parére sibi docente eam partem, quæ affectuum est sedes. Qui verò dixit:

Et uerecundia duplex est ista. quædam non mala est:
Altera autem familiarum onus est, labesq; —

nónne præ se fert, quòd sentiat sibi affectum istum
sæpe contra rationem cunctando tergiversandóq;
occasionem rerum gerendarum perdidisse? Deniq;
ipsi nobis evidentia cõvicti hoc largimur, vt pudo-
rem verecundiæ nomine afficiamus, voluptatẽ gau
dij, metum cautionis: nemine profectò hanc hone-
storum pro odiosis vocabulorum vsurpationẽ cul-
paturo, siquidem easdem affectiones rationi se de-
dentes honestis, ei repugnantes & vim facientes o-
diosis appellemus nominibus. Quãdo autem lacry-
mis cõvicti, & tremoribus, coloríſq; mutationibus,
loco doloris aut metus morsus quosdam & contur
bationes nominãt, cupiditatéſq; studij voce velant:
videntur non philosophicis, sed sophisticis effugiis
vti, dũ moliuntur nominum ope res ipsas evitare.
Et sanè rursum ipsi dum gaudia ista, & voluntates,
& cautiones, non vacationes affectionum, sed bo-
nas affectiones appellant: vocabulis rectè vtuntur.
Bona enim affectio fit, cùm ratio non abolet affe-
ctum, sed componit atque constituit in animo tem-
perantis. Quid vitiosi & incontinentes? Vbi decre-
uerunt se patrem ac matrem loco amasij aut amasiæ
diligere velle, nequeunt hoc præstare: si amicam aut
adulatorem statuerunt amare, illicò etiam amãt. At
si idem essent iudicium & affectus, oportuit decre-
to amandi aut odiendi statim amorẽ aut odium co-
mitari. nunc contrarium evenit, affectu quibusdam
iudiciis obsequente, quibusdam refragante. Hinc
est quòd ipsi rebus cogentibus pronunciant, non
omne iudicium esse perturbationẽ, sed id demum,
quod excitet appetitum violentum atq; nimium: sa
tẽtes scilicet aliud esse in nobis quod iudicat, aliud
quod afficitur: sicvt aliud est quod mouet, aliud
quod mouetur. Ac ipse Chrysippus multis locis de-
finiens tolerantiam & continentiã habitus qui ob-
sequantur rationi deligenti: prodit se rebus ipsis eò
adactum fuisse, vt fateretur aliud in nobis esse id
quod

quòd obsequitur, ab eo cui vel obsequitur dicto
audiens, vel repugnat nõ parens. Porrò cum omnia
peccata paria, omnia delicta æqualia faciunt, an etiã
aliâs à veritate discrepent, arguere in præsentia non
est tempestiuum. certè in plerisque videntur admo-
dum contra evidentiam ratiocinari. Sunt enim ex
ipsorum sententia omnes perturbationes siue affe-
ctus, peccata: & quicunq; dolet, metuit, cõcupiscit,
is peccat. At verò magna sunt affectuum, pro eo at-
que magis minúsue afficimur, discrimina. Quis e-
nim dixerit metui Dolonis parem fuisse Aiacis me-
tum, retrò pedem referentis, & pedetentim ex ho-
stibus recedentis, sensimq; genu genui præponen-
tis? Aut dolorem quem morte Socratis cepit Plato,
ei quem Alexãder, vbi propter Cliti necem manus
sibi ipsi inferre est aggressus? Intenduntur enim do-
lores nõ mediocriter eo quòd nec opinãtibus con-
tingit: insperatiq; casus acerbiores iis sunt, quos su
spicari aliquis eventuros potuit. verbi gratia, si quis
eum, quem lætis rebus florentem ac in admiratione
hominum viuentem sperabat se visurum, excarnifi-
catũ esse audiat, vt Philotã Parmenio. Quis autem
affirmet eadem ira in Philemonem à Maga, qua in
Anaxarchum à Nicocreonte desæuitum fuisse, ea-
dem quidem in causa, quòd essent ab iis convicio
prosciſsi? nam Anaxarchum pistillis ferreis contu-
dit Nicocreon: Magas Philemonis ceruicibus nu-
dum imponi à lictore gladium iussit, deinde eum di
mitti. Itaque iram Plato neruos animi cognomina-
uit: qui & intenderentur acerbitate, & laxarentur
manſuetudine. Hæc & alia id genus illi vt amolian-
tur, contentiones & vehementiam affectuũ negant
fieri secundum iudicium, quod errori sit obnoxiũ:
exitus, & contractiones, & diffusiones aiunt esse,
quæ ratione maiores minoréſve fiant. Enimverò
differentiæ iudiciorum satis apparent. Paupertatem
enim alij malum non esse censent, alij magnũ: sunt

Affectuũ inæqualitas. Ilia. κ, 375. Ilia. λ, 543.

Theog. 175.

qui maximum, vt eius evitandæ gratia de saxis & in mare se præcipitare homo debeat. Et mortem alij bonorum duntaxat amissione, quidam æternis porrò infra terram pœnis, horrendisque suppliciis malum esse arguunt. Bonam valetudinẽ corporis sunt qui vt naturę conveniẽtẽ vtilémq; rem amplectuntur: aliis omnium rerum optima videtur, vtpote sine qua nihil iuuent diuitię, nihil liberi, nihil regia, quæ diis (vt ille ait) æquat potestas. ad extremum ipsam quoque virtutem ea absente invtilem esse pronunciant. vt appareat in iudicando alios magis, alios minus peccare. Sed de hoc nunc non est locus disserendi. Hoc autem sumendum est, ipsos etiam concedere aliud quàm iudicium esse brutum illud, quo affectus fiat vehementior ac maior: ac dum de vocabulo litigant, rem ipsam dare iis qui affectibus obnoxiam ac rationis expertem partem differre affirmant à ratiocinante & iudicante. Iam Chrysippus in iis quæ de * Anomologia scripsit, postquam iram esse cæcam pronunciauit, quæ sępenumerò res conspicuas videre non sinat, sæpe ea quæ iam apprę hendimus obscuret: paulo pòst: Oborti enim, inquit, affectus rationes explodunt, & ea quæ iudicium ab iis diuersa statuit, víque ad contrarias his actiones propellunt. Deinde Menandri vtitur testimonio, sic loquentis:

* dissẽsione partium animi, puto.

Me miserum. ubi mea mens in nostro corpore
Fuit isto tempore? non equidem hoc decreueram,
Sed ab hoc aliud longè diuersum. ——

Progressũsq; longiùs, Ea, inquit, natura est animalis ratione præditi, vt in singulis rebus ratione vti, ab eâq; gubernari possit: sæpe tamen eam aspernatur, aliò motione violenta impellente. nimirũ fatens id, quod fit ex dissensione affectus cũ ratione. Etenim ridiculum fuerit quod Plato ait, vnumquenque sęipso aliàs meliorem, aliàs deteriorem esse, & modò vincere

vincere seipsum, modò à seipso vinci. quomodo enim fieri hoc potest, nisi vnusquisque duplex quodammodo sit, & in sese aliquid præstantius, aliquid deterius habeat? ita enim sui potens ac præstantior seipso erit, si deteriorem partem meliori habeat obedientem. qui verò intemperanti ac brutæ parti patitur obsequi & inseruire principem facultatem, is seipso inferior, incontinens, & secus quàm natura postulat affectus dicitur. Natura enim vult, vt ratio, quæ diuina est, imperet brutæ parti quæ ex ipso corpore ortum habet, ideóque in illud demersa & contemperata similis eius fit, corporeísque referta affectibus. Demonstrant hoc impetus concupiscentiæ, qui pro modo corporis incitantur, ac secundũ eius mutationes vel concitatiores vel languidiores fiũt. & hæc est causa quòd adolescentum cupiditates ob copiam & calorem sanguinis celeres, feroces, ardentes, atque rabidæ sunt. senibus quia principium concupiscentiæ circa iecur restinctum est ac debilitatum, magis viget ratio, elangueścente vnà cum corpore affectuum capace parte. Hoc ipsum scilicet est, quod brutorum animalium mores & affectus format. Non enim opinionum alia bonitate, alia prauitate robur & audaciam, vel contrà metum trepidationémque ingentem sortiuntur: sed facultates sanguinis, spiritus, & corporis, discrimina faciunt affectuum: quia pars eorum capax è carne tanquam radice enascens, qualitatem propensionémque talem secum effert. Hominis autem impetibus ab affectu ortis etiam corpus vnà affici atque cieri, convincunt pallores, rubores, tremores, saltatio cordis, rursúmq; diffusio in expectatione voluptatum. At verò cùm ipsa per se mens absque vllo affectu mouetur, tum corpus quiescit ac consistit placidè: nihil commune nimirum cũ ea mentis actione habens. quæ si mathematicam considerationem suscipit, non adsciscit brutam partem sibi. Quo ipso

I. de legibus.

ostenditur duas animi partes esse facultatibus differentes. In vniuersum autem quidquid est, id constat, ac ne ipsi quidem negant, vel habitu aliquo gubernari, vel natura, vel bruta anima, vel rationem habente. quorum simul omnium particeps est homo, omnibúsque istis subiectus est differentiis. nam & habitu continetur, & natura nutritur, & ratione vtitur. itaque etiam brutum aliquid in se, & principium innatum habet perturbationum, non extrinsecus subiens, sed necessariũ: & quod nõ exscindendum omnino sit, sed cultura atque disciplina indigeat. Itaq; nõ Thracico aut Lycurgeo modo agit ratio, vt affectuum vtilia simul cum damnosis exscindat: sed vt Pythalmius & Hemerides, id est prosper frugũ atq; de syluestribus satiua redigens deus, tantùm immoderatam auferat feritatẽ: ac deinde quod reliquum est cicurare & ad vitæ commoda convertere. Quo enim pacto ij qui ab ebrietate sibi metuunt, non effundunt vinum, sed diluunt: ita affectus non abolent qui perturbationes timent, sed iis moderantur. Ita boum etiã, equorúmq; nõ motus, non opera, sed petulantiores saltus fræniq; reiectionem auferunt. & affectibus subactis ac cicuribus vtitur ratio, nõ planè eneruans aut euellens ex animo partem ministeriis eius destinatã. Pindari est, sub curru equum, ad aratrum bouem prodesse: aprum autem qui velit venari, ei laboris tolerantẽ canem esse inuiendum. Multo autem his vtiliores sunt affectuum fetus, rationi præstò vbi sunt, eíq; ad virtutem enitenti opem ferunt. Sic moderata ira fortitudini adiumento est, odiũ in malos iusticiæ, ac iusta indignatio aduersus nullo suo merito rebus secũdis elatos, quando hi dementia simul atq; petulantia inflammatis animis coercitione opus habẽt. iam ab amicicia naturalem ad diligendum propensionem, ab humanitate misericordiam, à vera benevolentia gaudere vnà atque dolere, ne si velis quidem, avellere vllo

Iliad. ζ, 130.

posis modo. Præterea si peccant qui vnà cum insano amore omnem tollunt amorem: equidem non rectè agunt, qui propter auariciam omnes etiam alias damnant appetitiones. sed perinde agunt ac si quis currendum, quòd aliquando impingatur, aut iaciendum neget, quia nonnunquam à scopo aberretur, aut canendum, quòd interdum inscitè canatur. Enimverò sicvt musica in sonis concentum non acutorum ac grauium vocum exstirpatione, in corporibus medicina sanitatem non internecione caloris aut frigoris, sed proportione contemperationis quærunt atque conficiunt. ita in animo etiam rationi victoria paratur, cùm ea perturbationibus modum mediocritatémq; imposuit. Animus enim nimio dolore aut gaudio correptus, similis est corpori affluxu humoris alicuius supervacanei tumenti atque inflammato: non ipsum gaudium aut dolor. Et præclarè Homerus his verbis,

Semper at est forti color idem: nec grauis illum *Ilia. ν, 284.*
Pertentat metus: —

non metum ademit, sed nimium metũ: vt fortitudo non in væcordiã, aut fiducia in temeritatẽ abeat. Sic etiam circa voluptatem nimiæ cupiditates, & in vindicandis flagitiis nimiũ in malos odium tollantur: & habebis temperantem, qui tamen non omnis sensus voluptatum sit expers, iustúmque citra sæuiciam & acerbitatem. Adde, quòd si omnino evelli ex animis affectus possint multorum: eorum ratio hebetior fieret atque ociosior. sicvt gubernator vento cessante non admodum habet quod agat. Atque hæc, vt apparet, obseruãtes legum conditores, in ciuitate ambitionem æmulationémque excitant: aduersus hostes autem tubis etiam ac tibiis instigant augéntque irarum ardores & pugnandi cupiditatem. Non enim in poësi duntaxat, sicvt est apud Platonem, artifex & accuratissimè formatus,

ridiculus esse ostenditur ab eo qui fuit diuino Musarum instinctu impulsus: sed in prœliis etiam animo concitati ac furore correpti subsisti superariq; nequeunt. qualem instinctum Homerus ait à diis homini inseri.

Sic ait, atq; duci permagnas flamine uires
Inseruit.— & rursum:
Non absq; instinctu furit hic ita numinis.—

himirum quòd dij quasi incitamentum & vehiculum quoddam rationi affectum apponãt. Ipsos adeò illos, cõtra quos nobis est sermo, videmus in eo esse, vt sæpenumerò & laudando adolescentes excitent atque propellant, & castigando coërceãt: quorum alterum delectatio, alterum dolor subsequitur. correctio enim & reprehensio pœnitentiam pudorémq; incutit: quorum prius dolorẽ, posterius metum genus habet: iisq; maximè ad castigandũ vtuntur. Vnde etiam Diogenes Platonem laudantibus quibusdam dixit: Et quídnam ille habet tantopere prædicandum, qui tanto philosophatus tempore, neminem dolore affecit? Non enim tam rectè cum Xenocrate dixeris, mathematicas disciplinas esse ansas philosophiæ: quàm hoc, affectus istos verecundiam, cupiditatem, pœnitentiam, voluptatem, dolorem, ansas esse adolescentium: quas salutari atq; concinna opportunitate ratio & lex apprehendentes, eos cum profectu in rectam perducant viam, vt non malè professus fuerit Laco ille pædagogus, effecturum se, vt puer gaudeat honestis, ac molestè ferat turpia. quo liberalis institutionis fine neque maior potest vllus, neque pulcrior nuncupari.

PLV-

PLVTARCHI
Commentarius, An seni gerenda sit respublica.

NOVIMVS te, mi Euphanes, Pindari, cuius laudator es, dictum illud tanquam probabiliter ac rectè enunciatum in ore frequenter habere:

Instituto certamine
Prætextus aliquis uirtutem
In altas tenebras deiecerit.

Quãdo autem cũctatio & mollicies à certaminibus nos avocãs ciuilib. cùm plurimas alias præscriptiones vsurpant, tum vltimam hanc quasi à sacra (quod dicitur) linea adducũt senectutis excusationẽ, eáq; cumprimis honestos nostros conatus retundere atque deterrêre nituntur, dum persuadere volũt quẽdam esse cõvenientem non athletici tantùm, sed etiam ciuilis decursus terminum atq; conclusionem: quæ mecũ identidem de senili reipub. administratione ratiocinor, ea tecum quoq; mihi communicãda sum arbitratus. vt neuter nostrûm quẽ hactenus vnà longum tenuimus cursum deserat: néve ciuilem vitam, quasi æqualem & consuetudine nobis devinctum amicum, omittat, ad aliámq; transeat invsitatam, & cuius consuetudini ac familiaritati parandæ tempus non suppetat: sed in eo persistamus quod à principio institueramus, eundémq; viuendi & honestè viuendi finem faciamus: nisi velimus in exiguo quod supereſt vitæ spacio ostendere, longam, quam exegimus, ætatem à nobis fuisse nulla præclara in re consumtam. Non rectè is, qui Dionysio dixit tyrannidem pulcrum esse sepulcrũ. sed hæc illi tanto perfectiorem parauit miseriã. & Diogenes meliùs, qui

cùm postea temporis filium eius Corinthi videret priuatum de tyranno factũ: Quàm indignã, aiebat, teipso vitã agis. nõ enim hîc te liberè ac tutò viuere conueniebat, sed in patria arci tyrannicæ inclusum exemplo patris tui consenescere. At respublica popularis ac legitima viro, qui ita eam gerit, vt non minus pareat vtiliter quàm imperet, pulcrum re vera ornamentum gloriam viuendo partam morti ac funeri parit. Ea enim, vt Simonides ait, vltima subit terræ. nisi si qui sunt quorum ante corpus emoritur humanitatis honestatisq; studium, priúsq; elanguescit pulcri æmulatio, quàm necessariarum rerum appetitio. quorum animi facultatem ad agendum destinatam ac diuinam corporea & affectib. obnoxia habent imbecilliorem. Neq; verò nobis audiẽdi sunt, qui omnibus aliis rebus, solo lucro faciundo nos nõ defatigari aiunt. sed & Thucydidis sententia in meliorem partem accipienda est: itaq; statuendum, nõ modò honoris studium non consenescere, sed multo minus communitatis atq; reipublicæ: quod apes etiam & formicæ conseruant vsq; ad finem. Nemo enim vnquam vidit apem senectute in fucum degenerasse: quod à ciuilibus quidam viris exigunt, vt vigore ætatis præterlapso domi desideant, cibúmque conquirant & reponant, ocioq; patiantur virtutem agendi, tanquam rubigine ferrum absumi. Cato qui dem dicebat senectuti, quę ex sese multa haberet incommoda, non debere turpitudinem vitiis superaddi. Atqui cùm multa sint vitia, nullo minus est ociũ, ignauia, & mollicies, quæ viro seni dedecus adferunt, è curia se in muliebrem domus curationem includenti, aut in agro messores & lectrices stipularũ inspicienti:

Aſt Oedipus ubi, nobiliaq; ænigmata?

Etenim qui in senectute ad rempublicam se cõferat, nunquam antè in ea versatus, (sicvt Epimenidem dicunt, cùm adolescens obdormiuisset, post L annos evigilasse iam senem) & tam longinquo secúmque aucto ocio relicto, in certamina se ac occupationes coniiciat insuetum atque inexercitatum, & neque in rebus ciuilibus neque inter homines versatum, reprehensurus aliquis Pythię illud obiicere possit: Serò ad me venisti, magistratum & populi gubernationem quærens: intempestiuè pulsas prætorij ianuam (velvt insscitior aliquis noctu per comesationem accedens aut hospes) non locum aut regionem mutare, sed vitam cuius es imperitus, inire cupiens. Quod enim Simonides dixit, Ciuitas virum docet, verum est de his, quibus adhuc tempus est dediscendi sua, & addiscendi scientiam, quæ multis certaminibus atque rebus ægrè elaboratur, vbi tempestiuè ingenium apprehendit, quod labores difficultatésque facilè ferre possit. Hæc videntur non malè in eũ dici, qui in senectute incipiat remp. gerere. Atqui contrà videmus à prudentibus adolescentes & iuuenes à tractãdis publicis negociis arceri: testantúrq; hoc leges, vbi præco in concione nõ Alcibiadas aut Pytheas ad suggestum progredi iubet, sed qui annũ ætatis quinquagesimum excesserint, ad dicẽdum & consulendum exhortatur. Non enim insolentia audaciæ & imperitia & impulsio vnicuique militum * * At Cato octogenario maior cùm diceret causam, Difficile, inquit, est eum qui cum aliis vixisset, aliorum subire iudicia. Cæsaris verò Augusti actiones sub finem vitæ, nihilo reliquis minùs imperatore dignas, aut in publicum vtiles fuisse in confesso est. & ipse cùm iuuenes moribus legibúsque austeris corrigeret, iíque tumultuarentur: Audite, aiebat, iuuenes senem, quem senes iuuenem audiuerunt. Periclis quoq; administratio reipublicæ plurimum in senectute virium habuit, cùm & bellum vt susciperent persuasit Athenienſibus: & cùm alieno tempore confligere cum LX millibus armaturæ grauis militum vellent, obstitit ac prohibuit, tan-

Exempla senilium actionum.

tùm non arma populi & claues portarum sigillo suo muniens. Quæ autem Xenophõ de Agesilao scripsit, par est ipsius verbis referri. Qua, inquit, iuuentute non fuit præstantior eius senectus? Quis enim ætate vigens tanto terrori hostibus fuit, quando Agesilaus prope finem vitæ? Quo sublato magis gauisi sunt hostes, quàm Agesilao, quanquam grauis annis decessit? Quis sociis animos addidit, nisi Agesilaus, quanquam ei iam mors immineret? Quem iuuenem amici maiore sunt prosecuti desiderio, quàm Agesilaum senem mortuum? Ergo illos à tantis rebus gerendis ætas non abstinuit: nos in republica luxuriantes, nullam tyrannidem, nullum bellum, nullam obsidionem sustinentes, certamina duntaxat & contentiones quæ legibus plerunq; , orationibus , ac iudicio finiantur, ob ignauiam actiones subterfugimus? scilicet non prætoribus modò & oratoribus priscis, sed & poëtis, & sophistis, & histrionibus fatẽtes nos esse deteriores. Siquidem senex Simonides choris victoriam reportauit: idq; inscriptio testatur his extremis versibus:

In fine lib. de Agesilao.

Octoginta annos Simonida iam tibi nato
Gloria doctrina est parta Leopredidæ.

Sophocles fertur, cùm vt desipiens esset à filiis in iudicium vocatus, recitasse de Oedipo Colonco chori in scenam progredientis carmen, quod incipit:

Equorum feracis huius hospes regionis
Veniſti ad optimum agrum
Albicantem Colonum.
Vbi frequens philomela suaue cantillat uirentibus in uallibus.

quod cùm perplacuisset, è foro tanquam è theatro cum plausu & clamore eorum qui aderant deductus est. Hanc quidẽ constat Sophoclis esse inscriptionẽ.

Carmen hoc Herodoto composuit Sophocles, annos natus LV.

Phile-

Philemonem quoq; comicum, & Alexidem in scena certantes mors occupauit. Paulum tragœdum Eratosthenes & Philochorus scripserunt annos XXC natum, octo tragœdias quatriduo decertasse paucis ante obitum diebus. Nónne autem turpe est senibus scenicis concionales senes videri turpiores, & desertores sacrorum re vera certaminum, deposita ciuili persona, nescio quam eius loco induere. nam de rege agricolam fieri, nimis est humile. Quando enim Demosthenes ait iniuriã Paralo naui fieri (quę sacra erat triremis) quòd ligna, vallos, & pecudes cogeretur Mædiæ vehere: nónne vir ciuilis post præmiorum in certaminibus tribuendorum, & Bœotarchiæ, ac inter Amphictyones primi in consessu loci obitam functionem, si his relictis videatur occupatus farinarum aut fracium dimensione, vel lanæ ouillæ negociatione, videbitur planè id quod proverbio iactatur equi senium sibi nulla coactus necessitate inducere? Equidem illiberale opificium & forum sectari ab administratione reipublicæ, non est aliud, quàm si matronæ liberali & pudicę vestibus suis detractis cincturam illiberalem circundes, eámque in caupona colloces. eodem quippe modo ciuilis virtutis maiestas atq; dignitas pessundatur, vbi ad rei familiaris procurationem, & quæstum faciendum pertrahitur. Quod si (id quod restat) oblectationes & saginationes istas, nomine quietis atq; fruitionis commodorum velantes, in his paulatim tabescentẽ cõsenescere iubẽt ciuilem virum: nescio de duabus turpibus imaginibus vtri similior sit futura eius vita. Voluntne eum Veneris sacra per omnem vitã colere, & nauim nondum portui subeuntem, sed adhuc in alto vehentem deserere? Aut quemadmodũ nonnulli ioci causa Herculem ineptè pingunt apud Omphalem in veste crocota sedentem, seque verberandum & comendum ancillis præbentem: ita ciuilem virum posito leonis exuuio ad mensam reclinabi-

Voluptatũ studium decet senes

mus,vt ſemper epuletur, ac tibias barbitáq; audiat? Nec pudorem nobis vox iſta Pompeij Magni incutiet? qui à Lucullo ob intempeſtiuam tanto natũ ambitionem honorum ac magiſtratus gerendi reprehenſus,poſt rem domi militiæq; geſtam balneis, cœnis, ac quotidianis conuiuiis, ocio diſſoluto, ac ſplendidiſsimis ædificiis dedito,reſpõdit:Magis eſſe intempeſtiuum luxuriare ſenem,quàm rempublicam gubernare. Idem Pompeius, cùm ægrotanti ſibi medicus turdi eſum mãdaſſet, & tunc is per anni tempus haberi vix poſſet, ac quidam multos turdos apud Lucullum ali ſignificaret: non miſit petitum, Quid,inquiens? niſi Lucullus luxuriaret,non viueret Pompeius? Nam vt maximè natura voluptatem & delectationem deſideret: tamen ſenum corpora fèrè ad omnes voluptates,paucis iiſque neceſſariis exceptis,facta iam ſunt inepta. Non modò enim

Aetate prouectos auerſatur Venus,

vt ait Euripides: ſed etiam ciborum ac potus ſuauitas iis hebes & quaſi edentula eſt, exiguúmq; ſui guſtum exhibet. In animo itaque parare ſibi voluptates debent,non indignas eas ipſis aut illiberales, vt Simonides,qui eum ob auariciam culpantibus reſpondit, ſe per ſenectutem reliquis ſpoliatum voluptatibus, vnica lucrandi oblectatione grauem recreare ætatem.Sed reipublicæ adminiſtratio pulcerrimas habet maximáſq; voluptates,quibus aut ſolis aut præcipuis frui deos probabile eſt.eæ autem ſunt quæ à bonis actionibus,honeſtiſq; factis proficiſcũtur. Si enim Nicias pictor ita artis ſuæ operibus gauiſus eſt, vt ſæpenumero è ſeruis quæſiuerit, Lauine,pranſúſne ſum? & Archimedem vi à tabula cui inhærebat avellentes atque veſtibus exuentes vnxerunt famuli, ille autem in vncto corpore figuras geometricas pinxit: Canus quoque tibicem quem tu etiam noſti, dicebat, Neſcire quanto ſeipſum magis

magis quàm alios delectaret canens,alioquin audire volentes mercedem non daturos ipſi,ſed exacturos: non intelligimus quantas virtus honeſtis,& ad ſocietatem humanitatémque facientibus actionib. voluptates ea vtentibus conciliet? non titillantes illas aut emollientes, ſicvt in carne faciunt lenes ac ſuaues motiones,quæ pruritum habent furioſum & inſtabilem ac magna cum exagitatione cõiunctum: ſed præclara facta,quorum quaſi opifex eſt qui rectè rempublicam tractat, nõ aureis Euripidis,ſed Platonicis ac diuinis alis animum elatione & gaudio præditum euehunt. In memoriam tibi redige, quæ ſæpe audiuiſti. Epaminondas interrogatus quid ipſi iucundiſsimum accidiſſet, reſpondit: Quod patre ac matre viuentibus Leuctricam victoriam reportaſſet. Sylla cùm liberata ciuilibus bellis Italia Romam pervenit,prima nocte ne tantillum quidẽ dormiuit,præ lætitia ingentíque gaudio,tanquam vento animum incitante. atque hoc ipſe de ſe in commentariis ſcripſit. Eſto enim, vt Xenophon ait, nulla ſuauior auditio laude.ſpectaculum quidem & recordatio atq; conſideratio nullius rei tam eſt grata,quàm propriarum actionum in magiſtratu & republica tanquam illuſtribus & publicis locis contemplatio. Enimverò gratia benigna, factis teſtimonium perhibens,ac laus cum virtute certãs, dux & autor iuſtæ benevolentiæ, tanquam lumen & nitorem aliquem gaudio de virtute concepto adiiciunt. Neque eſt gloria,velvti corona athletica, negligenda, committendúmue vt in ſenectute exareſcat: ſed ſemper noui aliquid ac recens proferendũ, quo veterum gratia excitetur,augeatur,ſtabiliatur: quomodo Deliacam nauim,lignis q̃ vitiũ concepiſſent identidẽ ſubmotis aliiſq; eorũ loco inſertis,crõditi ſũt homines ab antiquiſsimo tẽpore in hãc vſq; ætatẽ pertuliſſe,& quaſi æternitati aſſeruiſſe. Cæterũ vt flamma,ita etiã gloria nõ difficulter cõſeruaẽ,

Voluptates animi ob Virtutem.

sed alimentum seu fomitem haud magnum requirit. exstinctam neutram facilè & sine labore rursum incenderis atq; excitaueris. Lampis nauicularius interrogatus, quo modo diuitias consecutus esset, respondit: Magnas non difficulter, paruas cum ærumna & tardè. Sic ab initio gloriam in republica & potentiam sibi parare, non est facile: augere partam & conseruare quibusvis crescentem actionibus in promtu est. Nam neque qui amicus factus est, multa aut magna desiderat ministeria, vt retineatur: sed assiduitas etiam exiguorum signorum benevolentiam conseruat. & populi amicicia ac fides non semper requirit sumtus publice facientem: * sed ipsius magistratum gerentis alacritate retinetur, dum is reipublicæ curam non deserit neq; defatigatur. quando ne bellum quidem semper conflictus, prœlia, & obsidiones habet: sed sacrificia nonnunquam intercedunt, & induciæ, & ioci ac ludi. Vnde autem fit, quòd reip. administratio pro tristi & tetrica, laboriosa, ac difficili debeat haberi? cùm & theatra, & pompæ, & diribitiones, & chori, & musica, & læticia, semper honor aliquis alicui deo habitus frontem exporrigant in archiuis & confessibus, multóq; amplioré molestis delectationem & gratiam adferant. Iam inuidia, quod maximum habet reipublicæ administratio malum, minimè in senes incumbit. Canes quidèm, vt aiebat Heracletus, quem non agnoscunt, latratu excipiunt obscuro. & subditi etiam quodammodo tanquam præ foribus accessuro ad suggestum repugnant, aditúmq; negant. cõsuetam autem & familiarem gloriam non ægrè ferunt, sed placidè tolerant. Ideò inuidiam nonnulli fumo comparauerunt. qui cùm initio adeuntibus ad rempublicam quasi incensis largus efferatur, postquam hi effulsere, euanescit. Ac reliquis quidem excellentiis, vt virtutis, nobilitatis, ambitionis, solent repugnare ac de iis litem mouere: quòd quantum in his cõcedimus aliis,

Inuidia in repub.

tantum

tantum nobis videmur detrahere. Sed honor senectutis, quod presbeon Græci ab ea ætate deflexo verbo dicunt, obtrectationis securus est & conceditur vltrò. nullus enim alius honor ita eum qui habet magis quàm cui habetur cohonestatus, vt qui se nibus defertur. Ad hæc, honorem diuitiis, eloquentia, aut sapientia partum non quivis se quoque sperat consecuturum. ad quam autem senectus producit reverentiam & gloriam, eam quilibet in republica agentium exspectat. Planè igitur similis est nautæ, qui vbi aduerso fluctu & vento periculosè nauigauit, tranquillitate & bona aëris constitutione oborta nauim in stationē velit subducere: qui cùm diu aduersus invidiam depugnauerit, ea desinente & pacata se è republica recipiat, simúlque cum actionibus communitates societatésque deserat. Quanto enim diutius in republica aliquis fuit versatus, tanto plures etiam amicos ac conatuum & certaminum socios sibi parauerit: quos neq; educere secum omnes vt chorum magister potest, & relinquere iniustum est. Sed sicvt vetustæ arbores, ita antiqua rei publicæ tractatio difficulter evelli potest, cùm multas egerit radices, sitq; negociis implicata, quæ abeuntibus quàm manentibus plus exhibeant turbarū ac occupationum. Tum si quæ omnino reliquiæ supersunt invidiæ in senes ob ciuilia certamina susceptæ: magis eæ opprimendæ potentia parta sunt quàm dandum tergum, si nudi inermésque discedamus. non enim tam certantibus invidi instant, quàm ob contemtum insultant animum despondentibus. Testatur hoc illud magni Epaminondæ ad Thebanos dictum, cùm hyeme Arcades ab ipsis peterent, vt vrbem ipsorum ingressi in ædibus vnà habitarēt. prohibuit enim ac dixit: Nūc Arcadibus nos sumus admirationi, cùm nos spectant in armis corpora exercentes atque luctantes: si autem videant nos ad ignem desidere & fabas tundere, nihilo ipsis præstare

tiores nos putabunt. Ita præclarum sanè est spectaculum senex orans, agens aliquid rei, & honore affectus. qui verò dies ad mensam exigit, aut in angulo porticus desidens nugatur, is facilè contemnitur. Nimirum autem Homerus hoc quoque docet eos, qui ipsum rectè intelligunt. Etenim Nestor in bello versans Troiano, suscipiebatur, inque summo erat honore. Peleus autem & Laertes domi desidentes, abiecti erant ac spreti. Neque enim habitus prudentiæ qualis fuerat manet in iis, qui sese ocio dederunt: sed ignauia eum paulatim dissipat. cùm ad hoc requiratur subinde cura aliqua & meditatio, quæ ratiocinatricem & actiones gubernantem animi facultatem excitet atq; repurget. etenim vsu ratio splendescit, quo pacto

Aes usibus nitescit. —

Cæterùm imbecillitas corporis non tantum adfert incommodi iis qui confecta iam propre ætate ad tribunal & prætorium se conferunt, quantum vtilitatis eorum ipsorum cautio atque prudentia secũ trahit. Vsu enim rerum instructi, non vana ambitione impulsi rempublicam capessunt. neque populum vi secum rapiunt tanquam mare ventis exagitatum: sed placidè ac moderatè cum iis agunt, cum quibus res est. Itaq; ciuitates vbi aliqua aduersitas aut metus incidit, gubernari à senibus cupiunt: & sæpe ex agro senem aliquem nihil tale desiderantem inuitúmq; ad clauum reipub. pertrahunt, eíq; reipublicæ constituendæ munus dant: repudiatis prætoribus & oratoribus qui magnum clamare, & vno spiritu perorare, immò etiam per medios hostes penetrare pulcrè pugnando calleant. In locum Timothei & Iphicratis oratores Athenienses Charetem Theocharis F. subornantes, valido & vigenti viribus corpore virum, talem autumabant debere esse ducem Athenienſium. Ibi Timotheus, Non me hercle, inquit, ducem talem oportet esse: sed eum, qui ducis stragula

stragula sit portaturus. imperatorem autem eum esse necesse est, qui rem antegressa & consecutura animo videns, nulla perturbatione sibi rationes eorum quæ sint in rem futura excuti sinat. Sophocles quidem dixit, lubenter se à re Venerea profugisse tanquam à fero & rabioso domino. At in republica non vnus tantùm dominus fugiendus est amor mulierũ aut puerorum, sed hoc multo insaniores, studium contemtionis, ambitio, primi loci appetentia, qui morbus inuidiæ est & obtrectationis ac dissidiorũ feracissimus. Horum vitiorum alia senectus retundit atq; deminuit, alio omnino abolet atq; restinguit: non tantum de incitationibus animi ad agendum detrahens, quantum ab impotentibus ac feruidis reuellens motibus, vt sobria ac composita ratione cogitationes possint suscipi. Veruntamẽ habeat, videatúrq; habere momentum hæc oratio ad mouẽdum cohibendúmq; eum, qui iam canescens ad rẽpublicam se iuuenili conatu conferre incipit, inhibeatq; à longa rei domesticæ procuratione velvti diuturno morbo exsurgentem senem, & ad præturã se aut negociationem efferentem:

Miser, tuis te in stratis placidè contine.

ea quidem certe iniqua est, nihilque cum illa simile habet, quæ eum qui in administratione reipublicæ ac certaminibus ciuilibus vitam exegerit, non finit ad facem ac coronidem vitæ progredi, sed revocat, iubétque tanquam è longo itinere aliò se conferre. Sicvt enim qui senem nuptias meditantem, coronatúmq; & vnctũ dehortans, & ea occinens quæ in Philoctetam dicta sunt,

Quæ te puella, quæ virgo iuuencula
Te recipiet? quas nuptias paras miser?

nihil facit absurdi: (quãdo ipsi quoq; in seipsos multa ludunt talia,

Duco uxorem, probè scio, uicinis quoque.)

qui verò per longum tempus cum vxore vixerit cõ modè, eum iubens hac dimissa propter senectutem solum viuere, aut pellice adscita in vxoris locum, ni hil is ad extremam perversitatẽ sibi fecerit reliquũ. sic ratione non caret, si quis accedentem ad populi gubernationem senem, aut Chlidonem agricolam, aut Lamponem nauicularium, aut aliquem ex Horto philosophum redhibeat, ínque ocio vsitato contineat. Phocionem autem vel Periclem vel Catonem ita compellans, Heus hospes Athenienſis aut Romane, arida confecte senectute, missam iam nunc rempublicam fac, ac versari circa tribunal & procurare prætorium desinens rus propera, ibi cum vetula ancilla agriculturæ vacaturus, aut in rei familiaris administratione reliquum vitæ consumturus, is iniqua suadet, & iniuria virum ciuilem afficit. Quid verò? dices. nónne audimus militem in comœdia dicentem?

Odyss. α, 190

Albus capillus iam me donauit rude.

Omnino, amice. nam famulos Martis vigere viribus ætatéq; convenit, vtpote qui tractent

Bella manu, belliq; opera ardua.——

in quibus vt etiam canos senis galea occultet,

Robore membra tamen paulatim deſtituuntur,

alacritatémque vires produnt. At à Consiliarij, Forensis, Vrbaníque Iouis administris, non pedum manúúmve opera exigimus, sed consilij, prouidentiæ, rationis: non tumultum & strepitum in turba excitantis, sed prudenter ac tutò consulentis: vnde eluceſcat canicies & ruga rideri solita, testis peritię, auxilium ad persuadendum adferens, gloriámque ingenij concilians. Nam ad parendum iuuenilis, ad imperandum senilis ætas accommodata est. ac maximè salua est ciuitas, vbi consilia senum, & iuuenum arma obtinent. laudatúrque maiorem in modum isthuc:

Iliad. ι. 53.

Primùm ætate graues, & forti pectore claros

Neſto-

Neſtoream ad nauim conductos dicere iuſſit,
Conſiliumq; dare.——

atq; ideò optimatum magistratum Spartanæ ciuitatis regibus adiunctum Apollo presbygeneas, id est magno natu præditos, Lycurgus disertè Gerontes, id est senes nominauit. Et Romanorum Senatus in hunc vsque diem à senio nomen gerit. atque vt lex coronã ac diadema, ita canos natura venerabile dignitatis & principatus signum fecit. Et geras, quod eximium honorem, ac gerærẽ, quod venerari significat, à senectute eiúsq; præstantia Græcis retinẽtur. quę sanè non in eo cõsistit, quòd calida lauãtur, & mollius dormiunt: sed quòd ob prudentiam in ciuitatibus regio sunt in honore, quæ instar serò fructum reddentis plantæ suum & perfectum bonum in senectute demum, ita natura comparãte, profert. Certè regem illum regum à diis hoc petentem,

Ilia. β, 372.

O consultores mihi sint bis quinq; Pelasgi,

Ilia d. γ, 8.

Tales consilio, qualis Nelida senex es:

nemo de bellicosis istis, & robur spirantibus Achiuis reprehendit, sed concesserunt hoc vniuersi, non in pace modò, sed in bello etiam magnum esse senectutis momentum.

Sapiens enim consilium plurimas manus
Superat uel unum:—— & vnica sententia ad persuadendum apta atque ratione nitens, pulcerrima ac summa reip. negocia potest conficere. Enim verò regium imperiũ, quæ est perfectissima & amplissima reipub. forma, plurimis curis, laboribus, occupationibus distinetur. Seleucum quidem perhibent identidem dixisse, si pleriq; hoc saltem scirent quantum haberet molestiæ, tot scribere & legere epistolas, abiectum diadema non esse accepturos. Et Philippum, cùm castra opportuno positurus loco audiuisset pabulum ibi iumentis defuturum: Qualis, dij boni, vita nostra est, qui cogimur eam vel asinorum

Regni molestia.

cómoditatibus adaptare. Tempus ergo est, vt regi quoq; grandæuo suadeamus, vt deposito diademate ac purpura, tunicam pedúmq; sumat, & ruri degat, ne canus regnans, res supervacaneas & intempestiuas videatur agere. Quod si hoc indignum est Agesilaum, Numam, aut Darium iuberi: ex Areopagitico concilio Solonem, è Senatu Catonem itidem non expellemus: neq; Pericli suadebimus, vt popularem reip. formam deserat. nam aliàs quoq; absurdum est, vt qui iuuenis ad tribunal per lasciuiã profiluerit, is postquam furiosas suas ambitiones atque impetus in publicum profuderit, vbi ætas peritiam ac prudentiam attulit, remp. omittat atq; destituat, quasi mulierculam qua ad suam libidinem explendã fuerit abusus. Equidem Aesopi illa vulpecula à vicinis infestata, abigere eos volentem echinum non sinebat, quòd diceret his qui iam essent saturi remotis, alios esurientes successuros. Ita rempub. quoque quæ subinde senes dimittat, necesse est occupari à iuuenibus gloriæ & potentiæ cupidis, prudentiæq; ciuilis imperitis. vnde enim parauerint, qui nullius senis remp. gerentis discipuli ac spectatores fuerint? Nisi forte nauis rectorem de arte gubernãdi scriptus liber facere non potest eum, qui non sæpe in puppi spectauerit certamina aduersus tempestatem, fluctus & ventos ac noctem,

Iuuenes à senioribus docendi.

Quando in profundo Tyndaridas mari
Votis nauta uocat:—

ciuitatem autem regere, populúmque aut senatum suadẽdo ducere poterit iuuenis, lecto libro aut schola in Lyceo de rep. scripta, qui non sæpenumerò frena moderantibus clauúmque tenentibus adstiterit oratoribus atque ducibus peritia simul fortunáque certantibus adiutrice, & cum iis in vtranque partem inclinando non sine periculis & negociis gerere didicerit rempublicam? Nequaquam hoc concesſero.

cesſero. Immò si nulla alia seni sit causa, docẽdorum formandorúmq; iuuenum causa gerere rempublicam debet. Sicvt enim qui litteras & Musicam docent, ipsi prælegunt ac præeunt canendo discipulis: ita vir ciuilis non dicens modò dictánsve foris, sed agens ac publica administrans iuuenem instituit, simul & verbis & factis animum eius intus formans atq; fingens. Et qui hoc modo fuerit exercitatus, non in palæstra aut ceromate sine periculo in ter artifices versabitur: sed re vera in quasi Olympicis & Pythicis certaminibus

Lactens equum ceu pullus propter cursitat,

vt ait Simonides. Ita sectatus est Clisthenem Aristides, hunc Cimon, Chabriam Phocio, Cato Fabium Maximum, Syllam Pompeius, Philopœmenem Polybius. qui cùm adolescẽtes se senibus adiunxissent, deinceps tanquam efflorescentes & crescentes eorum reip. administratione atq; factis, peritiam reip. gerendæ cum gloria & potentia sibi parauerunt. Aeschines Academicus sophistis quibusdam dicentibus eum fingere se Carneadis fuisse, cùm non fuerit, discipulum: Ego verò, inquit, Carneadem tunc audiui, cùm oratio ipsius cõtentione & strepitu obsenectutem omissis invtilia & cõmunicationi idonea se contraxit. Senilis aũt reip. administratio non verbis duntaxat, sed ipsis etiam iam ab ambitione & ostentatione abstinens (sicvt Ibin aiunt cum vetus est facta, exhalatis virosis & turbidis partibus odoratiorem habere aromaticam virtutem) nullum iam senile decretum, nullum tumultuosum habet consilium, sed grauia omnia & firma. Quapropter, vt diximus, iuuenum gratia senibus est in rep. versandũ. vt quomodo Plato de vino aqua diluto ait insanum deum alio sobrio coerceri atq; temperari: ita cautio senilis cum feruente in populo iuuenum ac bacchante gloriæ & honorum studio commixta, insaniam & nimiam vehementiam eorum reprimat.

Actiones sine fine.

Iam præter hæc peccant, qui vt nauigandi & militãdi, ita etiam remp. tractandi finem aliquem statuũt, ad quem vbi perventum sit, actio ipsa desinat, ad aliud relata. non enim reip. tractatio ministerium est aliquod, cuius terminus & finis sit vtilitas: sed vita est mansueti, ciuilis, & ad societatem facti animalis, quod à natura habet, vt omne tempus vitę ciuiliter, honestatísque & humanitatis studiosè viuat. Itaque cóvenit non gessisse, sed gerere rempublicam: sicvt esse, non fuisse veracem: colere, non coluisse iustitiã: non amauisse, sed amare patriam ac ciues. Huc enim natura ducit, ac tales suggerit voces iis, qui non plane ignauia molliciéque sunt corrupti.

Magno æstimandum te pater mortalibus
Creauit.— &:
Nec desinamus benefacere mortalibus.

Senes validi.

Qui verò imbecillitatem corporis excusationi prætendunt, ij non tam senectutem, quàm morbum & mutilationem corporis accusant. Quippe multi valetudinarij adolescentes, multi robusti senes inveniuntur. vt par sit à rep. non senes, sed viribus destitutos arcere: ad eámq; capessendam non iuuenes cohortari, sed qui præesse valeant. Etenim adolescens fuit Arridæus, senex Antigonus. & tamen hic vniuersam pœnè Asiam subegit: ille velvt in scena stipatus mutam regis personam gerebat, semper eorum qui plus valerent expositus ludibriis. Ergo sicvt stultus sit, qui Prodicum sophistam, aut Philetam poëtam iubeat remp. gubernare, integra quidem ætate, verùm graciles & ob infirmitatem valetudinis crebrò decumbentes: ita is quoq;, qui magistratum bellúmve gerere vetet tales senes, quales fuerunt Phocio, Masinissa Afer, Cato Romanus. De his Phocio, cùm Athenienses intempestiuè ad bellum suscipiendum ruerent, ad sexagenarios vsq; arma capere omnes ciues iussit, & se sequi. cúmq; rem indignam

indignam putarent: Nihil, inquit, est iniuriæ, cùm ego imperator sim vobiscum futurus, octogenario maior. Masinissam verò Polybius scribit è vita discessisse annos natum x c, relicto quem ipse genuerat quatuor annorum filiolo. paulóq; ante obitum, cùm prœlio vicissent Carthaginienses, postridie conspectum fuisse pane vescentem sordido: ídq; mirantibus dixisse, Facere se hoc *

Namq; æs uel ut decorum splendet usibus:
Cùm non habitata tempore cóncidat domus.

vt ait Sophocles. quod nos rectè dicimus de luce & splendore animi, eiúsq; vi ratiocinante, memoria, ac mente. Itaque reges etiam meliores fuisse tradunt in bellis & expeditionibus, quàm in ocio. Attalum *Ocium.* sanè Eumenis fratrem longo ocio & pace dissolutum Philopœmen amicorum vnus saginabat pinguem ignauia redditum, ita vt Romani subinde per iocum quærerent ex his qui ex Asia nauigabant, Réxne apud Philopœmenem aliquid posset. Inter Romanos non invenies multos Lucullo meliores imperatores, dum is rebus gerendis curam impendit. vbi verò sese in vitam ociosam domi delitescẽs & curis vacuus demisit, spongiæ instar tranquillitate enecatus & contabescens, ac Callistheni libertorum vni se alendum, suámque senectutem cicurandam tradens, creditus fuit ab eo veneficiis & amatoriis poculis corruptus: donec Marcus frater hoc remoto, ipse reliquam fratris vitam (non multam illam) pœdagogi in morem curauit. At verò Darius Xerxis pater dicebat, se sibi ipsi in rebus arduis prudentia præstare. Et Atheas Scytha, se nihilo equisonibus meliorem si ociaretur. Dionysius maior interroganti an esset ociosus, respondit: Absit vt hoc mihi vnquam contingat. Nimirum arcus, vt fertur, nimium si intendatur, rumpitur: anima laxando perit. Etenim musici si concentus audiendi, Geometræ demonstrationes resoluendi, arithmetici ratio-

cinandi adsiduitatem si omittant, vnà cum exercitatione etiá ipsos habitus progressu ætatis deminuũt, quanquá nõ in agendo, sed in considerãdo positos. At ciuilium habitus virorum, consilij facultas, prudentia, & iusticia, tum peritia cõiecturam faciendi, & ad persuadendum aptè dicendi, semper aliquid loquendo, agendo, ratiocinando, ac iudicando continetur: vt indignum sit facinus, eum hæc subterfugiendo committere, vt tot tantæq; virtutes ex animo effluant, simul etiam humanitatis, societatis, & beneficentiæ studio elanguenscentibus, quarũ nullus finis, nullus terminus debuit esse. Quòd si pater tibi esset Tithonus, immortalis quidem, sed qui tamen senectutis causa multa identidem indigeret curatione: non puto te detrectaturum aut grauatè subiturum esse laborem eius curandi, compellandi, & adiuuandi, qui tam longo tibi inseruiuisset tempore. At enim patria & (Cretensium more vt loquar) matria plus in te quàm parentes tui ius habet, diuturna quidem, non tamen à senectute immunis aut sibi ipsa sufficiens. itaque semper procurationis & opitulationis indiga ad se trahit & revocat ciuilem virum,

Iniectaq; manu uesti tenet, ire uolentem.

Iliad. π, 9.

Equidem nouisti me Apollini Pythio multis iam Pythicis solennitatibus operam nauasse. neque tamen hoc mihi diceres, satis abs te, ô Plutarche, sacrificatum est, & pompæ choreæq; ductæ: iam tempus est vt provectæ ætatis rationem habens coronam deponas, atq; oraculum relinquas. Proinde tu quoque existimare noli tibi sacrorum ciuilium principi atque interpreti deferendos esse Forensis atq; Vrbium protectoris Iouis honores, quibus curandis iampridem es consecratus. Sed, si ita videtur, repudiata ea disputatione, quæ à publicis munerum functionibus senem abstrahit, id nũc deliberemus, quo modo nullum indecorum aut graue senectuti iniungamus certamen: cùm quidem respublica multas habeat partes senibus cõuenientes. Nam quemadmodum si decuisset nos ad extremum vsque vitæ diem canere, cùm multæ sint vocis cõtentiones, modi multi in promtu, quas musici vocant harmonias, oportebat iam ætate ingrauescente nõ acutum nos & arduum consectari tonum, sed eum qui decoram haberet facilitatem. ita cùm hominis naturæ magis consentaneum sit vt ad mortem vsq; agat & dicat, quàm oloris vt canat: non actiones lyræ in morem contentæ semper debent tractari, sed remittendæ sunt, & ad faciliora, moderata, senibúsq; congruentia reipub. argumenta accommodandæ. Neq; enim patimur corpora omni prorsus motu atque exercitatione vacare, propterea quòd nõ possumus ligonibus aut ponderum librationibus vti, vel discum iácere, & in armis depugnare, vt quondam: sed gestationibus & ambulationibus, nonnulli pilæ lusu aut differendo spiritum mouemus, calorémque refocillamus. Itaque neq; refrigerari omnino nos atque congelare sinamus: neque omni magistratu, omni publico negocio capessendo, cogamus senium imbecillitatis convictũ in huiusmodi delabi voces:

O dextra quàm gestis tenere hastam manus:
Sed imbecillitas desiderium opprimit.

quando ne vigens quidem ætate & viribus probatur vir, qui omnia in vniuersum publica in se recipit munia, & nihil aliis volens relinquere, omnibus se rebus (quod Iouem facere Stoici autumant) ingerens, siue inexsaturabili gloriæ cupiditate actus, siue invidia adversum eos, qui vtcunque in ciuitate in partem gloriæ aut potentiæ venerunt. Atqui seni, vt absit infamia rei, vsquequaque laboriosa & misera est ad quævis comitia prænsatio ob principatus appetentiam & omnibus insidians tribunalis occasionibus ambitio, curiosa in omne consilium insinuatio, omnem legationem, omne patrocinium ad

Senum officia in rep.

se rapiens arrogantia. Hæc enim agere fauentibus aliis aliena iam ætate, difficile est. quin contrà in iuuenum odia incurrunt, vtpote quibus nullas relinquant rem gerendi occasiones, neque eos in medium progredi sinant. & apud alios nõ minùs malè audit eorum primi loci ac principatus, quàm aliorum senum diuitiarum & voluptatum appetitio. Ergo sicvt Alexander bucephalum iam annis grauiorem nolens premere, ante pugnam aliis vehebatur equis, obiens exercitum & ordines instruens: deinde illũ data tessera consecedebat, in hostes ducebat, ac decertabat. ita vir ciuilis, siquidẽ sapit, senectutẽ assecutus moderabitur sibi ipsi, ac nõ necessariis negociis abstinebit, iunioribúsque vti ciuitatem in rebus minoribus sinens, ipse in grauioribus alacriter elaborabit. Athletæ quidẽ corpora sua à laboribus necessariis immunia atque integra seruant, vt inutiles sustineãt. nos contrà exiguis & leuibus negociis omissis, seriis nosmet seruemus. Fortasse enim iuuenem, vt est apud Homerum, decent omnia: ciuésq; eum probant vbiq; & amplectuntur, ob exiguas & crebras actiones popularem ac ad labores impigrũ, ob splendidas & magnificas generosum & alto animo præditum appellantes. interdum etiam contentio & temeritas eorum tempestiua & grata videtur. Senex autem in rep. ministri officia sustinens, vt vectigalium locationes, portuũ procurationes, ac fori, item legationes & profectiones ad principes & regulos obiens, in quibus necessarium aut splendidum inest nihil, tantùm ministerium & captatio gratiæ: mihi quidem, mi Euphanes, miser & æmulatione indignus, aliis fortasis etiam insolens importunúsque videtur. Senem enim ne cũ magistratu quidem esse tempestiuũ est, nisi qui amplitudine & dignitate præstet. qualis est quam tu nunc geris Areopagitici consilij præfecturam, & me hercle Amphictyonici muneris excellentia, quod tibi patria per totam

tõtam vitam administrandum tribuit, cum grato & felici labore coniunctum. Sed & hos honores non affectare debet senex, verùm recusans suscipere, nõ petens, neq; eos tam sumere sibi, quàm seipsum isti officio largiri. Non rectè Ti. Cæsar dixit turpe esse ei qui sexagesimum ętatis annum excesserit, manum medico porrigere. immò hoc eum magis dedecet, manum ad populum intendere in comitiis suffragium petentẽ. Est enim hoc animi degeneris & abiecti: sicvt contrà decus maiestatémque aliquam conciliat, patria deligente, vocante, & exspectante descendere cum honore & gratia, grauémque ætatem re vera grauem & suspiciendam salutandam amplectendámque præbere. Hoc modo etiam in cõcione senex oratione vtetur, non identidem ad suggestum prosiliens, neque galli in morem loquentibus reclamans, neque colluctando & iritando verecundiam ipsi à iunioribus debitam effrænans, neque iis studium ingenerans & consuetudinem refragandi: sed nonnunquam iis suam sententiã impugnandi facultatem concedens, absens ipse & nihil curiosè inquirens, vbi id de quo disputatur non habet magnũ momentum ad communem salutem vel honestatem & decorum. Sin verò, iam etiã nemine vocante præter vires cursu in publicum se proripere, aut manu se eò ducendum vel humeris gestandũ præbere debet. quale est quod de Appio narratur Claudio. Is cùm audiuisset senatũ, quòd Romani à Pyrrho magna erant pugna victi, de cõditionibus pacis ineundæ consultare, impatientia compulsus, quanquam vtrunque amiserat oculum, per forum in curiã delatus venit. ingressúsque, & in medio adsistens, Antè se ægrè tulisse dixit, quòd captus esset luminibus: nunc optare, vt audire etiam nequiret senatum tam turpia & indigna consultare & agere. porrò autem quã reprehendendis patribus, quã docendis & excitandis, persuasit vt rectà arma caperent, & de Ita-

Oratio senũ in repub.

lia cum Pyrrho decertarẽt. Et Solon, vbi deprehensum fuit Pisistratum gratiam popularem captando tyrannidem moliri, nemine resistere, nemine libertatem defendere audente, ipse sua arma extulit, & ante domum proposuit, auxiliúmque ciues poposcit. cúmque ad eum mitteret Pisistratus qui interrogarent, Cuiúsnam fiducia rei ista faceret, respondit Senectute se esse fretum. Verùm tantæ necessitates etiam confectos planè senio viros, modò spiritus supersit, accendunt & erigunt. Aliis autem in rebus, interdum (vt dixi) eam adhibebit accurationẽ, vt recuset vilia & seruilia munera, quę obeunti plus molestiarum, quàm iis quorum gratia fiunt vtilitatis atque commodi afferunt. aliquando exspectando dum desideratus ad ea vocetur, è domo deinde ad ciues descendet rogatus, eóque fidem sibi augebit. Sed pleraque etiam præsens iunioribus dicenda relinquet, tanquam arbiter ciuilis de honore certaminis. & vbi aliquid vltra modum fuerit actum, benignè reprehendet, ac comiter contentiones, maledicta, & iras auferet: si quid in sententia erratum fuerit, corriget absque vituperatione, & docebit: bene autem dicentem laudabit liberè: quin & victoriam interdũ vltrò concedet, ac se in diuersam perduci sententiam sinet, vt animos iuuenibus addat. quibusdam etiam cùm collaudatione implebit id, in quo defecerant. vt Nestor Diomedi.

Iliad. 1, 55. *Sanè hunc sermonem nemo culpabit Achiuũm,*
Nec dicet contrà: sed non oratio fine
Est abs te concluſa suo, non omnia dixti.
Es iuuenis tamen, & posses mihi filius esse.

Illud verò adhuc ciuilius est, nõ modò apertè & publicè reprehendere absque morsu qui animos nimium reprimat atque deiiciat: sed multo magis priuatim ijs qui ad remp. gerendam apto sunt ingenio subiicere comiter bona præcepta & consilia: & excitare

citare ad res pulcras, animísq; eorũ alacritatem addere, ac (quod solent facere qui docẽt equitare) populum illis ita parare, vt ad primũ accessum eorum mansuetum is se facilémq; præbeat. tum si quis iuuenum initiò impegerit, nõ pati vt animo is cõcidat, sed consolari & erigere. Sic Aristides Cimonem, & Mnesiphilus Themistoclem initiò à ciuibus malè exceptos, & proteruitatis atq; intemperantiæ nomine eorum sermonibus vapulantes, confirmauerunt. Demosthenem quoque, cùm exactus à populo in graui esset mœrore, accessisse dicitur quidam senex, qui Periclem olim audiuerat, & monuisse, Iniustè ipsum agere, qui indole Pericli similis, ita de seipso desperaret. Sic etiam Timotheum exsibilatum ob nouitatem artificij, & peccasse in leges musicæ creditum, bono esse animo iussit, vt qui paulo pòst sub se habiturus esset theatra. Denique, sicvt Romæ Vestalibus tempus distinctum fuit, ita vt prima eius parte sacra discerent, secunda facerent, tertia alias docerent: vtque sacerdotes Dianæ apud Ephesum primùm Mellieren, id est futuram sacerdotem, deinde Hieren, vt iam sacerdotem, postremò Parieren vocant, quasi defunctam sacerdotio. sic vir perfectè ciuilis primùm initiabitur reipub. eámque gerere discet: deinde geret: vltimo loco alios initiabit atque docebit. Equidem qui præest aliis certantibus, is ipse interim certare non potest. Qui verò iuuenem in negociis communibus & certaminibus publicis instituit, patriæque eum ita format, vt possit

Ore loqui docto, & rebus clarere gerendis: Iliad. 1, 443

is ad non exiguam aut vilem reip. partem conducit: sed ad eam, ad quam potissimùm Lycurgus contendens, adsuefecit adolescentes, vt cuivis seni tanquam legislatori constanter obtemperarent. Nam quò putas Lysandrum respexisse, cùm diceret homines Spartæ pulcerrimè senescere? an quia seni-

bus ibi maximè licet agros colere, fenerari, talis lu-
dere, potare vnà? non profectò. sed quia quivis se-
nex quodammodo vices magistratus alicuius, aut
tutoris, aut pædagogi gerens, non remp. modò in-
spectant, sed singula etiam singulorum adolescen-
tum facta, exercitationes, ludos, victum. idque non
obiter, sed ita vt & peccantibus sint terrori, & pro-
bi eos revereantur ac desiderent: colunt enim eos
& sectantur adolescentes, quorum elegantia & ge-
nerosa indoles ab iis provehitur & alacritate imbui
Invidia. tur absque vlla invidia. Hoc enim vitium quãquam
nulli ætati convenit, tamen apud adolescentes spe-
ciosis nominibus certaminis, æmulationis, & hono-
rum studij velatur. sed in sene omnino est intempe-
stiuum, ferum, & indecorum. Oportet itaque ciui-
lem senem quàm longissimè ab invidentia abesse.
neque instar veterum truncorum fascino quodam
iuxtà virentia & succrescentia succo priuare, eo-
rúmque impedire incrementa: sed benignè recipe-
re ad se eos qui se adiungunt atque sectantur, eósq;
dirigere, manu ducere, & educare. non præceptis
modò & consiliis bonis: sed & concedenda iis facul
tate res ad publicum pertinentes gerendi, vnde ho-
nor aliquis & gloria ad eos possit redire: aut mini-
steriorum obeundorum, quæ nullo cum reip. dam-
no, gratæ multitudini sint futuræ, ipsisq; gratiã con
ciliaturæ. Quæ verò adversarios habent causæ, &
sunt arduæ, ac medicamentorũ instar morsum prin-
cipiò molestiámque inferunt, bonum & vtilitatem
postmodò suo tempore allaturæ: ad has iuuenẽ tra-
ctandas nequaquam producet, neque eum rerum
imperitum in turbas hominum coniiciet malè sen-
tientiũ, vt ex eventu in ipsum odia redvndent. Hoc
pacto iuuenum erga se benevolentiam augebit, eós-
que ad alia ministeria reddet alacriores. Præter hęc,
quæ diximus, omnia, illud memoria tenendum est,
reip. administrationem non in hoc solo consistere
vt im-

vt imperes, legationes obeas, in cõcione vehemen-
ter vocifereris, & ad suggestum baccheris, dicen-
dóque & scribendo grasseris. quibus rebus nonnul
li reip. administrationem definiunt: sicvt & philoso-
phari hos duntaxat putant, qui in exhedra disserũt,
aut libris conscriptis scholas suas complectuntur.
Interim eos non fallit, quæ quotidie in factis actio-
nibúsque continuatur atque conspicua est philoso-
phia, atque ciuilis ratio. nam, sicvt Dicæarchus re-
fert, eos aiebant ambulare, qui in porticibus spacia
sursum deorsúmque conficerent, non qui in agrum
aut ad amicos irent. At enim eadẽ est philosophan-
di ratio, quæ remp. tractandi. Nam Socrates, cùm
neque posuisset subsellia, neq; cathedram conscen-
disset, neque discipulis scholæ aut deambulationis
vllam certam constituisset horam: cum aliis ludens,
cum aliis (vt res dabat) bibens, militans, in foro ver-
sans, ad extremum etiam vnà in carcere vinctus, &
venenum bibens, philosophabatur. primúsq; osten-
dit vitæ omne tempus, partem, casum, negocium o-
mnino aptum esse studio sapientiæ. Quod cogitan-
dum mehercle est etiam de gubernatione ciuitatis.
Scilicet stolidos, siue ij prætores sint, siue scribæ, si-
ue oratores, nunquam gerere rempublicam: sed vel
popularem captare laudem, vel sese cõventui osten-
tare, vel moliri disidia, vel necessitati in obeundo
aliquo ministerio inseruire. Eum verò, qui ciuilis so
cietatis, humanitatis, reipublicæque seriò sit studio
sus, ac verè horum curam gerat, etiamsi nunquam
chlamydem induat, semper tamen remp. gerere,
dum eos excitat qui duces autoréque iis esse pos-
sunt, quibus opus est: dum consultantibus adest, pu
dorem incutit malè agentibus, confirmat eos qui
rectè sentiunt. vt constet eum non obiter animum
reip. advertere, aut tum demum, cùm hoc agitur vel
requiritur, vt principe loco in theatrum curiámve
ambulet, alioquin animi gratia tanquam ad specta-

culum aut auditionem solitus vbi ita libuerit in se-
natum venire. sed absentem etiam corpore, sua co-
ràm esse sententia: inaudiendóque alia eorum quæ
aguntur probare, alia improbare. Profectò enim ne-
que apud Athenienses Aristides, neq; apud Roma-
nos Cato sæpe magistratum summum gessit. sed to-
ta tamen eorum vita semper patriæ efficacitatē in-
dustriámque suam nauauit. Et Epaminondæ vbi ex-
ercitum duxit, multæ ac magnæ memorantur res
præclarè gestæ. id tamen eius facinus, quod absque
omni prorsus cùm esset magistratu, fecit, cuivis ea-
rum potest æquari. Apud Thessaliam, cū duces ex-
ercitum in loca iniqua ac difficilia coniecissent &
tumultuarentur, vrgentibus, ac telis impetentibus
hostibus: ipse de grauis armaturæ militibus evoca-
tus, primùm verbis animos suorum confirmando
perturbationem & metum depulit: deinde phalan-
gem conturbatam in ordinem componens, non ma
gno negocio è difficultate locorum eduxit, hosti-
búsque adversam constituit: ita quidem vt ij muta-
ta sententia retrò cederent. Cùm Agis Spartano-
rum rex in Arcadia instructum iam ad pugnam exer
citum in hostes duceret, quidam de senioribus Spar
tanis inclamauit, velle eum malo aliud malum reme
dij loco adhibere: quasi diceret, Agidem temerariæ
ex Argis discessioni, in præsentia alacritate ad pu-
Lib. V. gnandum intempestiua mederi velle: vt ait Thucy-
dides. Agis hoc audito, obtemperauit, & receptui
cecinit. Vicit tamen, & quotidie ei sella ante archi-
ui fores posita est. ac sæpenumerò de concilio sur-
gentes Ephori ad ipsum exiuerunt, de maximis re-
bus consilium eius sciscitantes. vir enim fuisse cor-
datus & prudens perhibetur. Itaque ille ipse Agis
iam planè exhaustis corporis viribus, cùm plerunq;
in lecto decumberet, in forum ab Ephoris evoca-
tus, conatus est lecto relicto ire. cúmque ægrè ince-
deret, inque pueros in via incideret, quæsiuit ex
iis, sci-

iis, sciréntne aliquid magis necessarium, quàm obe-
dientiam domino præstandam. qui vbi respondērūt
ab imbecillitate maiorē imponi necessitatem: hunc
ratus sui ministerij finem esse, domum rediit. Volun
tatem scilicet non oportet deponere viribus suppe
tentibus: viribus deficientibus vis non est inferen-
da corpori. Sanè Scipio etiam in bello ac pace ge-
rendis rebus consiliarium adhibuit C. Lælium. ita
quidem, vt non defuerint, qui poëtam actionū eius
Lælium, Scipionem actorem dicerent. Cicero au- 4. Famil. vlt.
tem ipse confessus est se in pulcerrimis ac maximis
suis consiliis, quibus suo cōsulatu præclarè fungens
patriam seruauit, opera auxilióque P. Nigidij philo
sophi vsum concipiendis. Vsque adeò multis modis
expeditum est senibus remp. adiuuare, optima vten
tibus re: ratione, inquam, sententia, libertate dicen-
di, & prudentia. Non enim manus nostræ aut pedes
aut robur corporis tantummodò à ciuitate posi-
dentur: sed ipse in primis animus, eiúsque ornamen
ta, iusticia videlicet, temperantia, prudentia. quæ
cum tardè seróque ita comparentur, vt suo respon-
deant nomini: absurdum est domo & agro reliquís-
que opibus & pecunia nos frui per ætatem: per eān-
dem verò publicè, patrię, ciuibúsque nihil nos pro-
desse. cùm quidem de facultate obeundorum mini-
strorum nō tantum nobis detraxerit senectus, quan
tum ciuili & gubernatrici peritiæ adiecit. Eam ob
causam etiā Mercurios seniores sine manibus & pe-
dibus, rigente fascino fingunt. hoc ænigmate indi-
cantes, minimè hoc à senibus requiri, vt corpore
seruicia obeant: modò iis ratio (vt con-
venit) efficax sit & fecunda.

PLVTARCHI
Præcepta gerendæ reipublicæ.

QVOD apud Homerum ille dicit,

Sanè hunc sermonem nemo culpabit Achiuûm,
Nec dicet contrà: sed non oratio fine
Est abs te concluſa ſuo, non omnia dixti.

Iliad. 1, 55.

id ſicvbi aliâs rectè vſurpari, equidem commodè in eos philoſophos verti poteſt, qui adhortantur quidem, nihil tamen docent, neq; præceptis inſtruunt. Similes videlicet eorum, qui lucernas cùm emungant, oleum non affundunt. Itaque te, mi Menemache, cernẽs doctrina ad capeſſendam rempublicam concitatum, cupere nobilitati tuæ convenienter in patria

Ilia. 1, 443. *Ore loqui docto, & uirtutem oſtendere factis:*

quando tibi nõ vacat philoſophi viri vitam ſub dio verſantis ex actionibus ciuilibus, publicíſque certaminibus perſpicere, contemplaríq; exempla factis non verbis repræſentata: petis autem præcepta tibi tradi ciuilia. detrectationem quidem planè me indignam iudico: quod autem ſum aggreſſus, id vt & ſtudio tuo & meæ animi prõtitudini ſatisfaciat opto. Vſus ſum autem, quod poſtulaueras, exemplorum varietate aliquantò maiore. Iam primùm adminiſtrationi reipublicę ſoli inſtar firmi ac validi ſubſtratum ſit inſtitutum animi, à iudicio & ratione profectum, non à leui quodã animi impulſu, vanæ gloriæ aut contendendi ſtudio, vel aliarũ actionũ penuria excitati. Quemadmodũ enim quibus domi nihil eſt boni, ij in foro maximã temporis partẽ nulla etiam de cauſa exigunt: ita nõnulli quia nihil habẽt quod agere

Voluntas reip. gerendæ.

agere ſit operæprecium, in publica ſeſe ingerũt negocia, ac reip. tractatione animi ludíq; gratia vſurpant. Multi cũ forte fortuna rempub. attigiſſent: ſaturi earum rerũ, diſcedere inde non facilè poſſunt. quibus idem vſu venit quod iis qui vectationis cauſa nauigium ingreſsi, deinde à terra avulſi in altum abripiuntur, ac foras proſpiciunt nauſeantes atque cõturbati, interim neceſſe habentes manere ac præſentem ferre fortunam. Hi maximè reipub. adminiſtrationem in odium adducunt ſua pœnitentia, atq; indignatione animi: cum vel gloriæ ſpe inducti in ignominiã inciderũt, aut ob potentiam ſe aliis terrori futuros rati, in res periculis ac turbis obnoxias devenerunt. Qui verò, vt maximè ſe dignũ eſt, rempublicam gerere (quod eſt præſtantiſsimũ facinus) ratione conſilióq; ductus aggreditur, eũ nihil iſtorum percellit aut de ſententia deturbat. Nam neq; capturæ quæſtúſve gratia accedendum eſt ad rempublicam: quomodo Stratocles & Dromoclidas ad auream meſſem (ſic enim tribunal per iocum nominabant) ſe invicem ſunt cohortati, neq; ſubito quodam animi motu perculſi ac quaſi furore correpti conferre nos eò debemus. quod C. Graccho contigit, qui cùm recente adhuc fratris exitio longiſsimè à reipub. cura vitę ſuæ inſtitutum abduxiſſet, deinde iniuria ac contumeliis quorundã iritatus, coniecit ſeſe in reip. adminiſtrationem: móxque rerum geſtarum & gloriæ ſatur, deſiſtere cupiens, mutatio némq; & ocium quærens, potentiam ſuam præ magnitudine quomodo deponeret nõ reperit, ſed ſuo eam interitu deleuit. Iam qui contentione vel ambitione ducti ſe velvti hiſtriones ad theatrum fingũt, eos neceſſe eſt conſilij pœnitere ſui, cum vel ſeruiunt his quibus volebant imperare, vel offendunt eos, quibus placere ſtudebant. Enimverò ſic ſtatuo, ſicvt qui in puteum, ita etiam qui in rempublicam fortuito & de improviſo incidunt, eos perturbari

ac pœnitudine capi: qui verò eò sensim descendunt præmeditati ac præparati, eos & mediocriter ferre quæ eveniunt, & nulla re grauiter affici. quippe quibus actionũ finis præter ipsam honestatem nullus sit propositus. Hoc pacto animi institutum vbi firmatum fuerit, penitúsque fixum ac immobile redditum, conferendus est ad contemplandum ciuium ingenium, quale ex tota multitudine maximè contemperatum apparet atque præcellit. Qui enim ipsi statim conãtur fingere mores populi, eiúsque indolem mutare, rem ij tentant neque facilem neque tutam, ad quam præterea & temporis multum, & magna requiratur potentia. Sed quemadmodum vinum initiò bibẽtis ingenio obsequitur, dum sensim calorem diffundens ac corporis temperiem occupans bibentem iam mutet, moréque eius fingat: ita qui ad rempublicã se contulit, is donec gloria sua fidéque vim sibi ad ducendos populi animos sufficientem conciliet, interim se eorum quos subiectos habet moribus accommodare, eósque sibi ad sequẽdum propositos habere debet, gnarus eorum quibus ij gaudent, quibúsque duci adsolent. Verbi gratia: Athenienses ad iram facilè provocantur, & ad misericordiam non magno negocio traducũtur, malúntque celeriter suspicari quippiam, quàm per ocium de re doceri: vtq; promtiùs obscuris & humilibus viris subveniũt, ita sermonis iocosum & facetum genus maximè amplectuntur: laudari se apprimè gaudent, equissimo animo falsè in ipsos dicta ferunt: metuendi ipsis etiã magistratibus, ne hostes quidem sua humanitate dedignãtur. Diuersum Carthaginiensis populi ingenium morosum, tetricum, magistratibus obsequens, subditis graue, abiectissimum dum metuit, sæuissimũ vbi irascitur, perstans in decretis, durũ aduersus iocos & blandicias. non illi Cleone concionem differri petente quòd sacrificasset ipse & excepturus conviuio esset hospites, risu

Populi ingenium.

risu sublato datóque plausu concionem soluissent, neque coturnicem, quæ Alcibiade concionãte è veste eius avolârat, certatim venati reddidissent. quin immò eos interfecissent vt lasciuientes ac insultantes. quando Annoni exsulium ij indixerunt, affectari ab eo tyrannidem causati, quòd militiæ impedimentorum baiulo vteretur leone. Neque verò (nisi fallor) Thebani ab hostilium litterarum, si quæ in eorum pervenissent manus, lectione abstinuissent cum Athenienses captis Philippi tabellariis epistolam Olympiadi inscriptam ferentibus, non soluerint eam, neque patefecerint mariti peregrè absentis vxori missam salutationem. Neq; vicissim Athenienses fastum Epaminondæ æquo animo tolerassent, cùm is crimine oblato causam dicere nolens è theatro discesserit, ac per mediam concionem in gymnasium abiit. Nullo verò pacto arbitror Spartanos toleraturos fuisse Stratoclis scurrilem insultationem. qui suis vt ob lætum partæ victoriæ nũcium acceptum sacrificarent persuasit, cúmq; ij de accepta clade vero allato nũcio succenserent, populum interrogauit, ecquid iniuriæ passi essent, qui ipsius opera triduũ suauiùs vixissent. Enimverò adulatores aulici aucupum more vocem suam ad imitationem regum componunt, itáq; eos subeunt & decipiunt. Rempub. autem gerenti non convenit mores populi imitari: nosse eos, eáq; se iis ratione accommodare, qua capi singulos posse cernit, operæ est. Morum enim ignoratio non minus impedit iritaq; facit consilia in ciuilibus negociis quàm in amiciciis regum. Ergo ciuium mores potentia iam ac fide instructus formare conaberis, sensim eos ad meliora subducens, ac placidè tractans. operosa enim est multitudinis mutatio. Ipse autem ita vt deinceps in aperto victurus theatro, mores tuos compone atq; orna. quod si non facile sit omnia arcere animo vitia, ea tamen amolire aut deminue, quæ maximè in

promtu ac conſpectu ſunt. Audis enim Themiſtoclem, cum animum ad gerendam rempublicam appuliſſet, à potationibus ſe & comeſationibus abſtraxiſſe, vigilantémq; iam & ſobrium ac ſeriis deditum curis dixiſſe ad amicos, trophæum Miltiadis ſibi ſomnum adimere, & Periclem corporis quoq; geſtũ, ac vitę rationem mutaſſe, vt & incederet tardiùs, & placidè colloqueretur, vultúmque ſemper conſtantem gereret, & manum intra amiculum contineret, vnámq; eá viam, qua ad tribunal & curiam itur, teneret. Non enim ita tractabilis eſt multitudo, vt cuiuſvis ſit ſalutare ei frænum iniicere: íinq; aliqua felicitatis parte ponendũ, ſi vt eſt bellua ſuſpectioſa & inconſtans, nullo viſu auditúve conſternata rectorem admittat. Itaq; ne hæc quidem negligenter obſeruanda ſunt, etſi minus fortè de vita & moribus curæ videbitur gerendũ, vt tamẽ iſta omnis ſint reprehenſionis & criminis expertia. Non enim qui rempub. gerunt, iis tantùm de publicè dictis factíſq; ratio eſt reddenda. ſed & in cœnam eorũ inquiritur, & cubile, & matrimonium, & quidquid ſerij iocíve agunt. Quid enim attinet Alcibiadem dicere? qui cum in republica gerenda eſſet ſumma præditus efficacitate, & imperator invictus, vitæ ratione effræni atq; ferocia ſua periit, & vt nihil ex reliquis quæ in eo erant bonis vtilitatis percipere poſſet ciuitas, luxuria eius atque prodigalitas fecerunt: cum & vinum Cimonis Athenienſes, & ſomnum, quia aliud nihil inveniebant, Scipionis Romani culpauerint: & Pompeio Magno inimici vitio verterint, quòd caput vno digito ſcaberet. Sicvt enim in facie lens & verruca moleſtiores ſunt, quàm reliquæ corporis maculæ, mutilationes, & cicatrices: ſic exigua peccata vbi in principis cernuntur vita, pro magnis habentur, propter opinionem eam, quam vulgo de principatu & repub. gerunt, rem eam eſſe magnam, & quæ vacare debeat omni errore atque vitio.

Iccirco

Iccirco non iniuria celebri eſt laude Liuius Druſus tribunus plebis, qui cùm domus ipſius multę partes vicinis eſſent perſpicuæ, ac faber quidam polliceretur ſe eas impendio quinque modò talentorum averſurum & mutaturum: immò, ait, decem abs me aufer talenta lege hac, vt totam domum meam reddas omnium inſpectui patentem, quò vniuerſi ciues cernere poſſint qua vtar vitæ degendæ ratione. Erat enim vir temperans & modeſtus. Ac nihil quidem fortaſsis opus ei erat hac perſpicuitate. Plerique enim mores ac conſilia, actionéſque & vitæ rationem rempublicam gerentium quæ vel maximè abdita putantur perſpiciunt: neque minus ob priuata quàm ob publica ſtudia alios amant ac admirantur, alios oderunt atque deſpiciunt. Quid ergo, inquies, non etiam iis, quorum impudica eſt & mollis vita, ciuitates vtuntur? Sanè. quo modo grauidæ cum pica vexantur lapides, & qui nauſeant ſalſuginem alióſq; id genus cibos appetunt ſæpenumerò, paulo pòſt exſputuri & averſaturi. Sic enim & populi ob luxuriam aut petulantiam, vel inopia meliorum ductorum, quibuſcunq; oblatis vtuntur, abominantes eos & contemnentes. deinde gratum ipſis eſt, cum in iſtos talia dicũtur, qualia Plato comicus ipſum populum dicere fingit:

Manu præhende me, præhende celeriter
Qui principem iam deſignabo Agyrrium.

rurſúmque peluim poſcentem & pennam vt vomat, ac dicentem,

Hìc ad tribunal mantile adſiſtit mihi.

&:

Alit caput fœtens, lucem turpiſsimam.

Et populus Romanus Carbone aliquid promittente, ac deierante diráſq; devotiones addente, contrà vno ore iurauit ſe non crediturum. Spartæ cum Demoſthenes quidam homo intemperans ſententiam

commodam dixisset, eam populus reiecit: ephori autem sorte lecto cuidam senum eam dicendam dederunt, tanquam ex sordido vase in sincerum eam diffundentes, vt grata fieret multitudini. Tantum in vtranque partem in repub. momenti habet persuasio de ingenio hominis concepta. Neque tamen propterea ita negligenda est orationis elegantia ac fa-

Ars dicendi cultas, vt omnia virtuti adscribantur. sed vt non opificem persuasionis censeamus esse rhetoricam, adiutricem tamen sentiamus, corrigamúsque illud Menandri,

Mores mouent dicentis, haud oratio.

Etenim & mores persuadent, & oratio. nisi quis ita intelligat, sicvt nauim agit non clauus, sed gubernator, equésque equum versat, non frænum: ita à ciuili virtute vrbem duci non oratione, sed moribus loco fræni aut gubernaculi adhibitis, eámque velvti à prora dirigere vrbem, animal (vt Plato ait) maximè versatile. At verò magni illi reges & à Ioue, vt Homerus ait, prognati purpuris, sceptris, stipatoribus, deorúmque oraculis seipsos extollentes, vbi maiestate sua tanquam præstantioris ipsi naturæ vulgus sibi subiecerunt, voluerunt tamen oratores esse, neque dicendi elegantiam neglexerunt, sed curæ fuit eis

Concio, quâ decus eximium facundia gignit:

neq; solum Iouem consiliarium, Martémve homicidam, & militarem Mineruam coluerunt, sed & Calliopen invocauerunt,

Quæ comes usq; solet uenerandis regibus esse,

facundia sua demulcens & ad verecundiam redigẽs contumaciam violentiámque populi. Quod cùm ita sit, quónam pacto priuatus aliquis à toga & habitu plebeio ad regendam vrbem se conferens multitudinem in sua potestate habere queat, nisi oratione instructus in persuadendo & alliciendo administra.

stra. Qui naues gubernant, ij quidem munus remigum regendorum aliis mandant. at rempub. qui gerit, nõ gubernatrice modò mente præditus esse, sed in seipso habere debet facultatem orationis, qua imperia tradat, ne aliena opus habeat voce, néve id ei vsu veniat quod Iphicrati. qui cum Aristophon eum oratione premeret, adversarium histrionem meliorem, suam autem causam potiorem esse dixit, néve sæpius vti cogatur Euripideis istis:

Vtinam esset expers uocis humanum genus.

&:

Cur non, malum, data uox rebus mortalium est,
Nullo diserti ut essent in precio uiri.

Hæc enim fortasis Alcameni, insulari, Ictino, aliisque illiberalibus & manu victum quærentibus, facundiámque eiurantibus concedantur effugia. cuius generis est quod Athenis aliquando contigit, cùm duo architecti de conducendo publico opere cõtenderent, alter differendi copia & elegantia instructus cùm de apparatu operis oratione vsus meditata populum mouisset, alter arte præstantior, sed dicendi ignarus, in medium progressus, Viri, inquit, Athenienses, quemadmodum iste dixit, ego efficiã. Nam Erganam, id est opificem, hi tantùm colunt Mineruam, vt ait Sophocles, qui ad incudem graui malleo & ictibus obedientem materiam inanimam fabricantur. At Mineruæ quæ quòd vrbibus præsit Polias dicitur, & consiliariæ Themidis (cui à iure nomen, & quæ

Conuentus hominum cogitq;, eademq; resoluit)

interpres, vnico vtens orationis instrumento, atque alia fingens & concinnans, alia quæ operi impedimento sunt velvt nodos quosdam in ligno, aut abscessus in ferro molliens atque læuigans, vrbem exornat. Itaque administratio reipub. qua vsus fuit Pericles, verbo quidem (teste Thucydide) populi fuit,

reipsa autem principis viri potestas. Nam & Cimon bonus erat, & Ephialtes, & Thucydides. verùm interrogatus hic ab Archidamo Spartę rege, ipsćne an Pericles meliùs luctaretur: incertum est, respondit. cum enim ego eum deiicio, negādo se cecidisse vincit, idq; spectatoribus persuadet. Atque ea quidem res non gloriam tantùm Pericli, sed & vrbi salutem attulit. dum enim ei paruit, felicitatem iam partam seruauit, abstinuitq; ab exteris negociis. Sed Nicias cùm idem sequeretur propositum, neq; tantum haberet ad persuadendum virium, atque oratione velvti frćno laxo vteretur in dehortando populum, non obtinuit neq; pervicit: sed in Siciliam abiit vi actus, & obtorto quasi collo multitudinis impetu eò abreptus. Lupum quidem auribus teneri posse negant. Populum autem & ciuitatem vel maximè auribus ducere oportet. neq; sequi eos, qui exercitatione dicendi destituti, multitudinis ducendæ ansas quærunt elegantiæ artisque vacuas: & aut ventre trahunt epulis præbendis, vel marsupio largientes, aut saltationes aut gladiatorum spectacula crebra exhibentes populi fauorem captant, aut potiùs vim ei afferunt. Captant enim fauorem populi, eúmque ducunt, qui dicendo persuadent: at istiusmodi cicurationes, nihil à brutorum illectatione & captura habent diversi. Sit autem versantis in repub. viri oratio non iuuenilis aut ad theatrum conformata, veluti corollam ex delicatis ac floridis vocabulis vndequaq; colligentis: neque rursum qualem Demosthenis dicebat Pytheas lucernam redolere & sophisticam diligentiæ abundantiam, argumentis constantem acribus, & circuitionibus ad normam ac circinum accuratissimè exactis. Sed quemadmodum musici neruos pulsari volunt leniter, non impetu quodam concuti: ita oratio rempub. gerentis, cō sulentis, ac regentis præ se ferre non debet vim dicendi aut calliditatem, neq; laudi sibi ducat si existimetur

metur dixisse ex habitu, secundum artem, & scientiam diuidendi: sed plena esse debet ingenuitatis, & veræ animi magnitudinis, & paternę libertatis, ac providentiæ & sapientiæ suorum curam gerentis, in bono proposito gratiosam adhibens & ad persuadendum aptam rationem, ex verborum maiestate, & sententiarum proprietate ac probabilitate. Admittit autem ciuilis oratio faciliùs quàm iuridicialis sententias communes, historias, fabulas, & translationes, quibus maximè mouentur animi hominū, modicè & opportunè vsurpatis. quale fuit eius, qui dixit, Nolite Græciam altero oculo priuare. & Demadis, qui se naufragia reipublicæ aiebat tractare. & Archilochi isthuc,

Neue Tantali lapis
Huic immineat insulæ.

sic & Pericles lemā Pęræei auferri iussit, & de Leosthenis victoria pronūciauit Phocio, Stadium decursum sibi probari, sed metuere quomodo eius belli dolichus absoluatur. In vniuersum autem maiestas quædam ciuili orationi magis congruit. exemplo sunt Philippicæ, & apud Thucydidem conciones Sthenelaidæ Ephori, Archidami regis ad Platæas & Periclis post pestem habita. Sed de Ephori, Theopompi, & Anaximenis oratiunculis ac comprćhensionibus sententiarum, quibus vtuntur in armandis & in aciem educendis exercitibus, licet effari:

Quis inter arma locus sit his ineptiis?

Veruntamen & falsè dicta, & ridicula nonnunquam in partem orationis ciuilis admittuntur: cùm non petulanter aut scurriliter, sed ab eo qui vtiliter increpet aut subsannet proferuntur. Maximè autem probantur ista in responsionibus & obiectionibus. nam subsannare de industria, idque non provocatus qui volet, risum captare putabitur, neque sine suspicione malignitatis. quod vitium turpauit Cicero-

nis, Catonis maioris: Euxitheíq; sales, eius qui Aristotelis fuit familiaris. ij enim sæpenumerò verbis mordebant, nulla lacessiti aliorum dicacitate. Qui se salibus defendit aut vlciscitur, ei opportunitas & veniam conciliat, & gratiam. quale est responsum *Salse dicta.* Demosthenis, ei dicenti qui furti suspectus lucubrationes ipsius exagitabat: Noui me ægrè tibi facere, qui lucernam vram. & Demadi ab eodem, vociferãti, Corrigere me vult Demosthenes, sus Mineruam: illa quidẽ Minerua superiore anno est in adulterio deprehensa. Illud quoque Xenœneti venustum, qui ciuibus ei fugam tum factam ab ipso cum ductor esset exercitus exprobrantibus, Fugi, respõdit, sed vobiscum, ó suauissimi homines. Verùm in ridiculis cauendum est, ne quid vltra modum sit. tum ne quid excidat, quod vel audientes offendat alieno tempore, vel dicti autorem ostendat esse ignobili aut abiecto animo. Exemplo sunt Democratis dicta. Nam is in concione dixit, Se itidem vt ipsam ciuitatem parum posse, & magnos edere flatus. Et clade Chæronensi accepta ad populum progressus: Nollem (inquit) hac fortuna vsam esse ciuitatem, vt ego quoq; consiliarius vobis essem audiendus. quorum dictorum hoc abiecti animi fuit, illud insani: ciuili homini neutrum conueniens. Breuitas autem dictorum Phocionis ipsa quoq; admirationi fuit. eam ob rem Polyeuctus pronunciauit maximum oratorem esse Demosthenem, Phocionem autem dicendi vi omnibus aliis antecellere, quòd huius oratio breuissimis verbis plurimum sententiæ complecteretur. Et Demosthenes reliquorum contemtor, dicere solebat Phocione vt diceret surgente, Meorum dictorum securis surgit. In primis autem danda est tibi opera, vt ad multitudinẽ oratione vtaris meditata cautè, non inani: cum scias etiam magnum illum Periclem antequam in publico verba faceret optare solitum ne vel vllum sibi verbum à re alienum incideret. Interim

terim tamen oportet orationem ad ea quæ occurrunt versatilem exercitatámque habere. præcipites enim sunt occasiones, multáque feruntur in negociis publicis repentina. Itaque & Demosthenes multis fuit inferior vt aiunt, cùm vrgente occasione tergiuersaretur: & Alcibiadem narrat Theophrastus cùm non tantùm quæ, sed & quo modo dicenda erant cuperet differere, sæpe inter orandum verba conquirentem atque componentem hęsisse atq; excidisse. Qui verò ab ipsis rebus & oblatis occasionibus excitatur ad dicendum, is maximè percellit multitudinem atq; permouet. Sic Leo Byzantius, cum ad Athenienses seditione exagitatos verba facturus processisset, & ob staturæ breuitatem risu exciperetur: Quid, inquit, si meam videretis vxorem, quæ vix genu mihi attingit? maiore oborto risu, Atqui, inquit, nos ita paruos, vbi invicem dissentimus, Byzantium non capit. Et Pytheas rhetor, cùm contra honores Alexandro decretos differeret, dicente quodam, Túne, cùm adeò sis iuuenis, tantis de reb. audes dicere? & verò, respondit, Alexander, quem vos decreto vestro in deorum refertis numerũ, me natu minor est. Oportet etiam bono vocis habitu ac robore spiritus exercitatam atq; firmatã orationem adferre ad reipublicæ non vilia, sed acerrima certamina: ne aliquando defatigatum dicendo atq; exstinctum superet aliquis

Rapax clamator, Cyclobori uocem gerens.

Cato, cum se gratia ac studiis præoccupato senatu populóve obtinere causam non posse videret, totã diem dicendo exegit, itáq; occasionem aduersariis præripuit. Ac de orationis quidem apparatu vsúq; dicta hęc sufficiunt ei, qui porrò id, quod horum est consequens inueniendo addere potest. Cæterùm ad rempublicam duo sunt aditus & quasi viæ. altera breuis & ad glorię splendorem expedita, nõ tamen periculi expers: altera vt magis pedestris ac tardior, *Aditus ad rempublicã*

ita tutior. Sunt enim qui à splendido aliquo & magno facinore, quod non fiat sine audacia, veluti à promontorio quodam in altum procurrente soluentes, in remp. dant vela, existimantes rectè dictum à Pindaro:

Olymp. 6.

Incipiente opere, primordium
In fronte ponendum est latè fulgens.

sic enim ordientem & plerique consuetorum satietate ac tædio promtiùs excipiunt, quemadmodum spectatores certatorem, invidiamq; absterret splendido ac celeri incremento constans potentia. Nam, vt ait Aristo, neque fumum ignis gignit, neque invidiam gloria, si subitò ac celeriter effulgeat. qui paulatim extolluntur & tardè, iis alij aliunde manus iniiciunt: vnde factum vt multi circa tribunal ante florem emarcuerint. Vbi autem (quemadmodum Ladam ferunt carcerum funiculo adhuc in auribus à laxatione sonâte decurso stadio coronam reportasse) subitò aliquis legatione obita, triumpho ducto, aut summo potitus magistratu efflorescit: in eum neque invidia, neque contemtus quicquam facilè possunt. Hac via Aratus ad gloriam contendit, initium gerendæ reipublicæ à Nicoclis tyranni excidio faciens. Sic Alcibiades, Mantinense contra Lacedæmonios bellum conflando. Pompeius etiam triumphum postulauit, nondum senator factus: & Sylla negante, Plures esse dixit qui orientem, quàm qui occidentem Solem adorent. quo audito concesit Sylla. Cornelium quoque Scipionem, cùm ædilitatem peteret, subitò consulem præter leges designauit populus Romanus, nõ sanè leuia secutus principia: sed quòd & victoriam eius quam adolescens etiamnum in Hispania singulari prœlio obtinuerat, & paulo pòst res ab eo tribuno militum ad Carthaginem gestas admirabatur. de quibus etiam Cato maior exclamauit:

Tanquam

Tanquam umbræ uolitant alij, solus sapit iste. Odyss. κ, 495

Nostra verò tempestate, cum ciuitates bellicis imperiis, tyrannorum excidiis, aut confœderatis actionibus careant, quódnam principium illustris in republ. versationis possit sumi? Restant vtiq; iudicia publica, & ad Imperatorem legationes, quæ virum acrem, atq; audacia simul & consilio instructum flagitant. Multa etiam in vrbibus præclara negligũtur, quibus restituendis multa cum dedecore damnóve vrbium ex praua consuetudine introducta sunt, quibus corrigendis animos multitudinis in te convertas. Quin & nonnullis magna in iudicio rectè disceptata controversia, aut fideli patrocinio impotẽtis contra adversarium potentem, & libera iusticiæ adversus principem iniustũ defensio, primum in republ. locum cum splendore parauerunt. Alios inimiciciæ extulerunt, qui homines dominationem invisam atque formidolosam gerentes adorti sunt: statim enim potentia deiecti, cum meliore existimatione in eum qui deiecit, transit. Sanè ob invidiam se opponere viro bono & quem sua virtus ad summa euexit (qualis fuit in Periclem Simmias, in Themistoclem Alcmæo, Clodius in Pompeium, Meneclides rhetor in Epaminondam) neque ad gloriam facit, neque omnino vtile est. cum enim populus aliquid in bonum virum commisit culpæ, vbi primùm (quod celeriter fit) iræ pœnituit, eam quæ iustissima est, expeditissimam sui excusandi delicti rationem arripit, vt autorem iniuriæ bono viro factæ ac suasorem pessundet. Qui verò contrà improbum hominem, ac qui sua audacia & calliditate ciuitatem subegit (quales erant Athenis Cleo & Clitophon) insurgens, eum opprimit, is progressum tanquam in fabulis in scenam, in rempublicam splendidum sibi conficit. Non sum nescius quosdam senatu molesto & paucis imperium vindicante deiecto potentiam & gloriam adeptos: vt Athenis Ephial-

ten, apud Eleos Phormionem. verùm in hoc mã-
gnum est ei qui iam tum primùm se ad rempublicã
confert, periculum. & meliore vsus est principio So-
lon, qui ciuitate in tres diuisa partes, Diacriorum,
Pedieorum, Paralorum, nulli harum se immiscens,
sed communem omnibus præbens, omniáque dicta
ac facta sua ad concordiam dirigens, legumlator ad
tollenda diſsidia delectus rempub. constituit. Hæc
tot ac talia sunt principia splendidioris ad capessen-
dam rempublicam aditus. Tutum autem & tardum
illum multi nobiles viri secuti sunt, Aristides, Pho-
cio, Pammenes Thebanus, Lucullus, Cato, Agesi-
laus Spartanus. horum vnusquisq; imitatus hede-
ram quæ validam amplexa arborem simul attollitur,
seni alicui iuuenis, & illustri obscurus se applicuit,
eiúsq; potentia paulatim sese subiiciens atque vnà
augescens, radices in rempublicam egit. Nam Ari-
stidem auxit Clisthenes, Phocionem Chabrias, Lu-
cullum Sylla, Catonem Maximus, Epaminondam
Pammenes, Lysander Agesilaum. Verùm hic intem-
pestiuo contentionis studio & opinione æmulatio-
nis iritatus, contumelioſè suũ agendi præceptorem
abiecit. reliqui præclarè, & ciuiliter, ac ad finem vs-
que coluerunt suos & exornarunt, quemadmodum
solent obiecta Soli corpora, ipsos vicisim augentes
& illustrantes. Certè qui Scipioni invidebant, hi-
strionem eum vocabant, actionum autorem esse Lę-
lium ipsius socium. neq; Lælium tamen quicquam
istorum inflauit, sed perrexit suo studio virtutem &
gloriam Scipionis amplificare. Afranius autem Pom
peij amicus, quanquam planè humili loco ortus, ta-
men cum se consulem designatum iri certò crede-
ret, vbi intellexit Pompeium aliis cupere, petitione
destitit: quòd diceret consulatum adepto sibi non
tantum accessurum splendoris, quantum molestiæ
ac difficultatis, si Pompeio neq; volente neq; adiu-
uante consul crearetur. itaq; vno tantùm anno cum
super-

sedisset, deinde neq; repulsam est passus, & a-
miciciam conseruauit. Porrò qui hoc modo quasi
manu ducuntur ab aliis ad gloriam, ij simul & vni &
multitudini gratificantur, minúsque sunt in odio si-
quid incommodi áccidit. Itaq; & Philippus Alexan
drum hortabatur, vt dum liceret alio regnante ami-
cos sibi obsequiis ac officiis suis pararet. Deligen- *Qualis dux ad rẽp. deligendus.*
dus autem est dux ad rempub. non simpliciter glo-
riosus & potens, sed & qui ob virtutem talis sit. Nã
sicut non quæuis arbor patitur educítq; circumpli-
catam sibi vitem, sed quædam suffocant, & incremẽ
tis eius officiunt: ita in rebus publicis qui non sunt
studiosi bonorum, sed tantùm honorum & poten-
tiæ cupidi, nullas concedunt iuuenibus actionum
occasiones, sed gloriam sibi eos quasi alimentũ præ-
ripientes invidia premunt. sic Marius cùm in Afri-
ca, ac rursum in Galatia multa opera Syllæ feliciter
gessisset, progressus ad gloriam eius ægrè ferens, v-
ti ipso desiit, planéq; abiecit, sigilli vsus præscriptio
ne. Etenim Sylla cum esset Marij prætoris in Africa
quæstor, missus ab eo ad Bocchum, adduxit Iugur-
tham captiuum. eúmq; successum vtpote ambitio-
sus iuuenis, & qui recens gloriæ gustum percepis-
set, non tulit mediocriter: sed imaginem rei in annu
lo insculpens Iugurtham sibi traditũ, pro sigillo ge-
stauit. idque ei vitio vertens Marius, hominem ab-
iecit. at Sylla ad Catulum, Metellúmque viros bo-
nos & Mario inimicos transiit, móxq; Marium exe-
git ac deiecit ciuili bello, cùm is pœnè Romam e-
vertisset. Sanè Sylla Pompeium quoque iam in-
de ab adolescentia extulit, assurgens accedenti, ca-
pútque detegens: reliquísq; iuuenib. actionum prin
cipe dignarum subministrans occasiones, quosdam
etiam inuitos instigans, gloriæ studio & æmulatio-
ne impleuit exercitus, omnésq; sub se habuit, vt qui
non solus, sed primus & maximus esse inter multos
& magnos cuperet. Tales ergo viri tenendi sunt, iis-

que adhærendum. nec quomodo regulus Aesopi humeris aquilæ vectus subitò evolauit & anvertit, ita eorum debemus suffurari gloriã: sed ab iis amicè & cum beneuolentia accipere: quando qui non antè seruiuere, dominari rectè non possunt, vt ait Plato. Sequitur de amicis iudicium, quo neq; Temistoclis probamus, neq; Cleonis sententiam. Cleo enim ad rempub. se collaturus, conductis in vnũ amicis suis, amicitiæ eorum renũciauit, quòd ea in rep. perspe à recta ac iusta volũtate animũ averteret atq; emolliret. Rectiùs hic diuitiarũ & contendendi cupidita tẽ animo eiecisset, eúmq; ab inuidia & perversitate purgasset. non enim hominibus amicorũ & sodaliũ exsortibus, sed bonis indiget resp. ac temperãtibus. Nunc ille amicos quidem repudiauit, centum autem in orbem capita violentorum adulatorum lambebant, vt aiunt Comici. & qui asperum se præberet ac molestum bonis, rursum multitudini gratiæ captandæ causa se submittebat,

De amicitia.

Ductans scenes, utq; pueros rursum educans,

plebísq; perditissimam ac vitiosissimam partem aduersus optimates sibi adsciscens. Contra Themistocles cuidam pronuncianti Optimè ipsum reip. præfuturum, si se omnibus æqualem præberet, respondit: Absit vt ego tali insideam solio, vnde nõ plus à me ad amicos quàm ad alios perveniat. ne hic quidem rectè, qui ciuitatem amiciciæ addiceret, réspque publicas priuato fauori ac studio submitteret. & qui dem Simonidi abs se aliquid iniustum petenti idem respondit, Neq; poetam probum esse qui præter cãtilenæ modum cantet, neq; magistratum probum, qui præter leges gratificetur. Indignum enim revera est ac miserãdum, cùm nautas eligat gubernator, & gubernatorem nauis magister,

Qui rectè in puppi norit defigere clauum,
Et rectè antennas surgente intendere uento:

cúmq;

cúmq; architectus ministros & operarios cõducat, non qui corrũpant opus, sed qui in eo quàm rectissimè absoluendo adiuuent: ciuilem virũ, qui optimæ sit, vt Pindarus loquitur, artis magister, opiséxq; iusticiæ & iuris, non statim ab initio deligere amicos eodem modo affectos, & ministros eodẽ ad honesta tem animi instinctu excitatos: sed eos adhibere, qui ad alios subinde atq; alios vsus eum iniustè ac violẽter detorqueãt. Nihil profectò is differet ab opifice, qui per imperitiã & inscitiã normis vtatur regulísq; & libellis iis, ob quas prauum fieri opus necesse sit. Etenim ciuilium virorum viua & intelligẽtia instrumenta sunt amici: neq; is peccantibus iis socium se lapsus præbere, immò operam dare debet, ne se inscio etiam ij delinquant. quæ res Soloni dedecus attulit, & calumniis ciuium fecit eum obnoxium. Cũ enim in animum induxisset æris alieni deminutionem, & seisachteiæ (sic nouæ tabulæ mitiori voce ab oneribus excutiendis ducta appellabantur) in republica institutionẽ, rem cum amicis communicauit. ij autem indignissimum fecerunt facinus. magnam enim præcepto tempore pecuniam sumserunt mutuam: ac paulo pòst prolata in lucem Solonis lege, apparuit eos mutuò sumta pecunia splendidas domos, multúmq; agri coëmisse: Solon autem insimulatus fuit, tãquam iniustum id facinus, quo quidem facto ipsi fiebat iniuria, aliqua ex parte ipsi esset imputandum. Agesilaus autem nulla in re impotentior atq; animi demissioris fuit, quàm in studiis erga amicos: ac veluti Euripidis Pegasus,

Mage quàm uolebat se submisit territus:

alacriúsq; amicorum calamitatib. subveniens quàm officium ferebat, creditus est eorum flagitiis esse similis. nam & Phœbidam seruauit (in iudicio accusatum, quòd sine mandato Cadmeiam occupasset:) fatus id genus negocia iniussu esse conficiẽda. & Sphodriam iniusti atrocísq; facinoris reum, quòd in At-

ticam impreſsionem feciſſet, ſociis tum & confederatis Spartanorum Athenienſibus, damnationi ſubtraxit, amatoriis filij mollitus precib. & fertur eius ad quendam potentem tale epiſtolium: Niciam, ſi inſons eſt, dimitte: ſin verò, mei cauſa dimitte: omnino autē dimitte. At verò Phocion ne genero quidem ſuo Charillo, cum is de Harpalea pecunia reus eſſet factus, in iudicio adfuit: ſed hoc fatus, ſe eum ſibi generum ad omnia iuſta allegiſſe, diſceſsit. Et Timoleo Corinthius cum fratrem ſuum monendo & deprecando à tyrannide non deduceret, cædem eius conſilio ſuo adiuuit. Oportet enim non modò vſque ad aram amicum eſſe, neque ſe periurij ſocium facere, vt aliquando Pericles dixit: ſed & vſq; ad omnem legem, ius, atque vtilitatem. quod neglectum, in magnum atq; publicum exit damnum, quo & pertinuit Sphodriæ ac Phœbidæ impunitas, qui non minima cauſa fuerunt Spartanis, cur in Leuctri cum coniicerentur bellum. Alioqui mediocribus amicorum delictis grauiter inſultare ciuilis ratio nō cogit: ſed cōcedit maxima reipub. parte in tuto collocata, ex eo quod ſupereſt opitulari amicis, iiſque adſtare, & pro ipſis elaborare. Gratificari etiam licet amicis citra invidiam, eiſque potiſsimum ad magiſtratum conſequendum adiumento eſſe, adminiſtrationem aliquam ſplendidā iis demandando, aut plauſibilem legationem, vt vbi legatus principis honore afficitur, aut cū aliqua repub. de pace & concordia agit. Cùm verò difficilis aliqua, ſed eadem illuſtris ac magna impendet actio: eam ciuilis vir primùm ipſe ſuſcipiet, tum ad eius ſocietatem amicum adſciſcet. quemadmodum Diomedes:

Quod ſi me ſocium mihi uos adſciſcere uultis:
Diuini quónam pacto obliuiſcar Vliſsis?

Iliad. n, 242

Viciſsimq; Vliſſes ei conuenienter laudem facinoris attribuit:

Quæ-

Quæris equi, Neſtor, modò quos adduximus, iſti Ibidem 558.
Vnde adſint? Thraces bello adduxere feroces.
Rex quorum, & bis ſex, fortiſsima corpora, iuxtà
Tydidæ manibus ſocij cecidere peremti.

Huius enim modi conceſsio qua amicis laudem deferimus, non minus laudantem exornat quàm laudatum. quando ſeipſum duntaxat probare, vitium eſt, vt ait Plato, ſolitudini habitandæ conueniens. Præterea verò honeſtorum humanitérque à nobis exhibitorum officiorum pars amicis eſt adſcribenda, & quibus benefactum eſt, ij iubendi amicos noſtros laudare atque diligere, vt qui cauſam ac conſilium noſtro officio in ipſos conferendo præbuerint. Quę verò amicorum ſunt ineptæ & abſurdæ petitiones, eæ non acerbè, ſed manſuetè ſunt reiiciendæ, dehortandíque ſunt & oſtendendum iſtas virtute exiſtimationéque ipſorum non eſſe dignas. Optimè omnium hominum Epaminondas, qui cùm cauponem è carcere ad deprecationem Pelopidę dimittere abnuiſſet, paulo pòſt eundem amaſia precibus interce dente miſſum fecit: huiuſmodi, inquiens, beneficia accipere meretriculas par eſt, non prætores. Moroſè Cato & inſolenter. qui cum Catulus cenſor ſummus eius amicus & familiaris deprecaretur pro quodam qui ab ipſo tum quæſturam gerente iudicabatur: Turpe, ait, eſt te qui nobis adoleſcentes debes bene moratos reddere, à meis eiici famulis. licebat enim re ipſa officium hoc denegantem, aſperam dicti acerbitatem prætermittere: vt videretur facti quoq; amico moleſti cauſa non voluntas ipſius, ſed legum & iuſticiæ neceſsitas fuiſſe. Sunt & ad adiuuandos in paranda pecunia amicos in adminiſtratione reip. rationes nequaquam illiberales. vt Themiſtocles cum à pugna videret cadauer aureis torquibus & monili inſigne, præteriit ipſe, & ad amicū converſus, Auſer, inquit, hæc: non enim tu quoque

Epiſt. ad Dionem.

es Themistocles. Talia amicis pręstãdi res ipsæ versanti in rep. sæpenumerò occasionem præbent. Nõ enim omnes sunt Menemachi: proinde huic patrocinium iustæ causæ cum præmio coniunctum demanda, alteri diuitem commenda procuratione & defensione indigentem, alium in conductione aliqua quæstuosa adiuua. Epaminondas quidem amico cui dam suo mandauit, vt diuitem quempiam accederet, & ab eo talentum posceret, ita se imperasse dicens. cúmque diues accessisset causam scisciians: Quia, inquit, hic vir bonus eget, tu diues es, qui multa ciuitatis bona in rem tuam vertisti. Et Agesilaum Xenophon scribit lætatum fuisse, quoties amicum ditaret, cùm quidem ipse diuitias despiceret. Cæterùm quoniam omnibus, vt ait Simonides, cassitis necesse est cristam innasci, itáque nulla reipublicæ administratio non fert inimicicias aliquas & dissensiones: non minimum refert etiam hanc rem præmeditatum esse eum qui in republica gerenda versari instituit. Laudant plerique Themistoclem & Aristidam, qui quoties ad obeundam legationem, aut ducendum exercitum proficiscerentur, inimiciciam in finibus patrię deposuerunt, reversique domum eam resumserunt. Nonnullis factum Cratinæ Magnetis maiorem in modum placet. Is cum in reip. tractatione aduersaretur Hermææ viro non potenti quidem, sed honorum tamen percupido, animíq; elati, cernens sub initium belli Mithridatici ciuitatem in discrimine versari, optionem hanc Hermææ detulit, vt vel is se in exsulium profecto vrbem gubernaret, vel (si ita videretur) ipse solum vertens sibi imperium relinqueret: ne sua contentione ciuitatẽ pessundarent. Placuit oblata conditio Hermææ, fassúsq; bello gerendo præstare sibi Cratinam, cum liberis & vxore vrbe excesit. & Cratinas cùm eum deduxit de suo largitus quę exsulantibus essent quàm obsessis commodiora, tum re optimè gesta

Inimicicia-rum regula.

vrbem contra omnium spem à præsente exitio conseruauit. Si enim nobilis est magníq; animi vox ista,

Liberos amo meos, sed patriam magis meam:

cur non cuivis promtiùs sit dicere, Odi hunc & cupio lædere, sed maiore patriæ amore detineor? nolle enim cum inimico in gratiam redire eam ob causam, ob quam vel amicus sit dimittendus, nimis quàm immane est & efferati animi. Veruntamen rectiùs Phocio & Cato, qui nullas prorsus inimicicias cum reip. administratione priuatim coniunxerunt. sed cùm in publicis certaminibus pro vtilitate reip. acres se & propositi tenacissimos gererent, in rebus priuatis pacatè & humaniter iis vsi sunt, qui in publica dissentirent. Nullus enim ciuis pro inimico habendus est, nisi quis est Aristionis instar, aut Nabidis, aut Catilinæ, morbus & vomica velvti reipublicæ. Qui verò aliàs discrepant, eos instar musici debet reip. moderator vel relaxando placidè vel intendendo ad concentum reducere: neque peccantes iracundè aut contumeliosè incessere, sed placidè obiurgare. cuius generis sunt Homerica ista:

Nugator, te plus aliis ego mente ualere
Credideram. — &:
Rectius his aliquid poteras depromere uerbis. Iliad. 2, 358.

rur súmque vbi rectè aliquid dixerint aut fecerint, neque honori eorum invidere, neque faustis acclamationibus parcere. ita fiet, vt & reprehensioni sua sit in locò autoritas, & à vitio eos avertamus, virtutem augendo, & probè facta ac dicta, tanquam ipsis digniora, delictis comparando. Ego verò versantem in rep. virum & in inimicis iusta in causa testimonium perhibere iubeo, & in iudicio eos contra calumniatorem tueri, alienísque ab eorum animi instituto criminibus fidem denegare. quemadmodum Nero ille paulo antè quàm Thraseam interficeret, quem maximè oderat ac metuebat, quodã conque-

rente iniquam in sua causa à Thrasea latã fuisse sententiam: Vtinam verò, inquit, ita me amaret Thraseas, vt optimus est iudex. Non abs re est etiam, obiurgandi causa eos qui vitio quodam naturæ ad peccandum sunt procliuiores, proferre inimicũ eorum melioribus præditum moribus, ac dicere: atqui hic non erat ita locuturus siue acturus. Nonnullis peccantibus parentum præclarorũ est obiicienda mentio. sic apud Homerum:

Ilia. 5, 800. *Haud similem natum tibi Tydeu magne dedisti.*

& Appius in comitiis cum Africano Scipione contendens, Quàm, inquit, ingemisceres Paule apud manes, si sentires filium tuum censuræ pétendæ gratia in campum descendentem à Philonico publicano stipari. Huiusmodi enim dicta & peccãtes emendant, & correctores decent. Ciuiliter etiam Nestor apud Sophoclem respondit convicianti Aiaci:

Non culpo te: bene enim meritus, dicis malè.

Et Cato cum Pompeio restitisset, Cæsari in vi reip. facienda socium se præbenti, exorto inter hos bello, Pompeium summæ rerum iussit præfici, eiusdem esse inquiens, magna mala ciere & amoliri. Permixta enim laudationi reprehensio, non contumeliam, sed libertatem in se habens, neq; iram, sed morsum & pœnitentiam excitans, benigna videtur & ad corrigendum apta. Convicia ciuiles minimè decent. Tuum enim facio iudicium, an quæ Aeschines & Demosthenes alter in alterum scripserunt, aut quæ aduersus Demadem Hyperides: Solon, aut Pericles, aut Lycurgus Spartanus, aut Pittacus Lesbius fuissent vsurpaturi. quanquam Demosthenes in iudiciali tantùm oratione vsus est maledictis: Philippicæ omnis & dicacitatis & scurrilitatis sunt puræ. Nam id quidem genus dicteria dicétibus quàm in quos dicuntur plus afferunt dedecoris: ac præterea confusionem secum trahunt negociorũ, conturbántq;

turbántque deliberationes & conciones. Optimè itaque Phocio, qui cum cessisset convicianti ac dicere destitisset, postquam ille tandem conticuit, rursum in concionem progressus: Ergo, inquit, de equitibus & grauis armaturæ militibus audiuistis. reliquum mihi est de leuis armaturæ militibus & cetratis differere. Verùm quia plerique in hoc negocio continere se non possunt, ac sæpenumerò non inuiti liter maledicentium ora responsis obthurãtur: esto responsio breuis, neque iram præ se aut stomachum ferat, sed mansuetudinem cum ioco & gratia tamen vtrumque mordentem. quales maximè sunt quæ dictum retorquent. Sicvt enim tela in eum qui misit redeuntia, vi quadam & soliditate iis impetiti retrò averti videntur: ita maledictum robore & calliditate eius in quem iactum fuit in autorem reverti apparet. Quale est, quod Epaminondas Callistrato exprobranti Thebanis Oedipi qui patrem, & Argiuis Orestis qui matrem interfecit, facinora, respondit: Atqui vos ipsos à nobis eiectos recepistis. Et Antalcidæ Spartani ad Athenienſem dicentẽ, Vos sæpe à nobis estis à Cephiso in fugam acti, responsum: At vos à nobis nunquam estis ab Eurota fugati. Eleganter etiam Phocio Demade vociferante, Athenienses te interficient vbi ceperint insanire: Te verò, ait, vbi sapere ceperint. Et Crassus orator Domitio obiicienti, Nónne tu mortuam murænã, quam alueras in piscina, defleuisti? reddidit: nónne tu nullam lacrymam trium vxorum sepulturæ impendisti? Atque hæc quidem etiam in reliqua vita suam habent vtilitatem. Sunt porrò qui nullam non partem publici muneris subeunt, vt Cato, existimantes bono ciui nullam curam aut industriam omittendam quæ ad potentiam conciliandam conducat. Laudántque hi Epaminondam quòd cũ eum Thebani invidia ducti & contumeliæ faciendæ causa Telearcham designassent, non detrectauit; sed fa-

Quæ munera obeũda.

tus Non modò magistratu virum, sed etiá viro magistratum qualis sit demonstrari, Telearchiá ad magnam dignitatem ac maiestatem evexit: cùm antè is magistratus non fuisset nisi stercorum ex angiportis eiiciundorum ac aquarum deriuandarum procuratio quædam. Atque ipse quoq; nimirum peregrè huc advenientibus risum moueo, cùm talia videor frequenter in publico tractare. Sed tuetur me Antisthenis dictum memoriæ proditum. qui miranti cuidam, quòd salsamentum per forum gestaret, respondit: Mihi quidem ipsi fero. Atque ego vicissim incusantibus quòd dimensioni testarum adsto, ac cæmenti & lapidum vecturæ responderim, Non mihi me, sed patrię ista administrare. Vt enim sordidus haberi potest, qui multa id genus sibi ipsi tractat, suíque causa administrat: ita cũ publicè ista, & commodo ciuitatis tractantur, nequaquá illiberalis est, sed magna etiam ad exigua hæc se demittens procuratio & officij promtitudo. Alij Periclis institutum magnificentius ac splendidius iudicant, in quorum numero est Critolaus quoque peripateticus. Volebat enim, quemadmodum Athenis Salaminia nauis & Paralus non cuiusvis negocij, sed necessariorum tantùm ac magnorum deducerentur in mare: ita se quoque non nisi ad summam rerũ continentes maximásque adhiberi actiones. exemplo regis Vniuersi, qui (vt est ab Euripide scriptum)

—summa procurat modò
Deus, adáq; fortunam minora reiicit.

Neque enim nimium honoris ac contendendi studium in Theagene probamus. qui cum non solùm conversionem vicisset, sed & multa certamina alia, non tantùm pancratio, sed & pugillatione, & longa decursione, ad extremum cum funebribus quibusdam heroicis ludis cœnaret, proposita de more cui vis portione prosiluit, ac pancratio decertauit: perinde ac si nemini liceret vincere se præsente. vnde factum

factũ est, vt coronas congesserit CIↃCC, quarum pleraſque pro quisquiliis haberes. Nihil ab hoc diuersum faciunt, qui omnia subeunt ciuilia munera: nam reprehensionibus multorum sese exponũt, molestíque fiunt, & cùm bene rem gerunt, invidia, cùm malè, gaudio excipiuntur: deniq; quæ ab initio admirationi erat eorum industria, in ludibrium & risum excidit. Quale est: Metiochus prætor est, Metiochus viarum procurator, Metiochus panes, Metiochus farinã distribuit, Metiochus omnib. præest, Metiochus habebit infortuniũ. Fuit hic vnus de sociis Periclis, & (vt apparet) potentia, qua propter hunc erat præditus, odiosè & cũ fastidio ciuium abvsus.

Amor populi.

Oportet autem ciuilem virum ad populum amorẽ ipsius captum accedere, suíque etiam absentis desiderium in animis ciuium relinquere. quod fecit Scipio Africanus, multum temporis ruri degens, vt & invidiæ minueret onus, & respirandi facultatẽ concederet iis, qui gloria ipsius premi videbantur. Contrà Timesias Clazomenius, vir alioqui de repub. bene meritus, non animadvertit se propterea quòd omnia solus ageret in invidia esse & odio apud suos, donec tale ei quippiam vsu venit. in via pueri talum è fossa excutiebant Timesia prætereunte. eorum alij dicebant non excussum iri talum: qui verò eum excutiebat, Vtinam, inquit, ita Timesiæ cerebrum excutiam, vt hunc talum excussero. hoc audito Timesias, intelligénsque odium sui omnium animos pervagari, domum revertit, ac vxori re exposita mandauit, vt rebus convasatis se sequeretur, rectáque à foribus digressus vrbe exiuit. Apparet etiam Themistocli aliquid simile ab Athenienſibus eveniſſe, cum diceret: Quid defatigamini, ô felices, crebra accipiendo beneficia? Horum autem quædam rectè dicta sunt, quędam secus. Nam quod ad studium & procurationem attinet, nulla pars reip. ciuili viro deferenda, curandæ cognoscendæque sunt omnes:

neque debet velvti in naui sacra anchora, seipsum ad extremas ciuitatis necessitates ac casus reseruare. Sed quemadmodum gubernator nauis alia suis ipse peragit manibus, alia instrumentis ac manibus aliorum eminus ipse sedens versat, vtitúrque nautis, proretis, & remigum magistris, quorum nonnullis interdum in puppim evocatis clauum tradit. sic ciuilis viri est officium, vt aliis quoque imperiũ concedat, eósque benignè ad tribunal invitet, neq; omnes ciuitatis res suis vnius orationibus, decretis, atque actionibus administret, sed fidos habeat bonósque viros, quorum vnumquenque peculiari alicui negocio accommodet tractando. Sic Pericles Menippo vsus est ad gerenda bella, Ephialtis opera concilium Areopagiticum depressit, per Charinum legem contra Megarenses pertulit, Lamponẽ Thurios conditum emisit. Non enim tantum minùs obnoxia est invidiæ ob magnitudinem potentia, quæ in multos distributa videtur: sed & rectiùs negocia conficiuntur. Sicvt enim manus in digitos diuisio, non imbecillũ eius reddidit, sed artificiosum & instrumentis expeditum vsum: ita qui in rep. aliis munera publica committit, actiones efficit ob societatem efficaciores. At qui insatiabili gloriæ potentiæúe studio totam sibi imponit remp. & ea quoq; aggreditur ad quæ vel à natura vel ab exercitatione est imparatus, (vt cum Cleo ad ducendum exercitum, Philopœmen ad regendam classem, Annibal ad concionandum se contulit) eius vbi quid peccatum est non habet locum excusatio, sed occinitur præterea ei Euripideum hoc:

Tractasti, qui faber esses, non fabrilia:

scilicet legationem obiuisti artis persuadendi rudis, annonam procurasti socors, quæsturam gessisti ignarus calculi, senex vel imbecillus exercitum duxisti. Pericles verò etiam cum Cimone potentiá diuisit, vt ipse in vrbe imperaret, Cimo classem in barbaros

baros duceret: erat enim hic ad bellum, ad ciuiles res ille natura aptior. Laudatur etiam Eubulus Anaphlystius, qui cum fide esset summa atque potentia, nihil rerum Græcarum gessit, neque ad præturam bellicam se contulit, sed administrationem pecuniæ amplexus, publicos auxit reditus, magnóq; fuit patriæ emolumento. Iphicrates contrà domi multis præsentibus declamans risui fuit. quia etsi fuisset, quod minimè erat, orator bellus, tamen contentus bellica gloria, decedere schola sophistis debebat. Præterea quoniam omnes populi ea laborant animorum perversitate, vt de iis malignè sentiant qui remp. regunt, vtq; ansas eos culpandi captent, multáque vtilia quæ citra disidium aut altercationem aguntur in suspicionem vocent tanquam per coniurationem gesta, eáque res maximè sodalicia & amicicias calumniis obiicit: non debet sanè vir ciuilis veram inimiciciam vllam aut dissensionem sibi facere reliquam. quantumvis Onomademus Chiorum populi ductor cum in seditione victor extitisset, non passus fuerit omnes eiici aduersarios, quòd vereri se diceret ne inimicis omnino liberati cum amicis dissentire inciperent. hoc quidem satuũ est. Verũ cùm multitudini suspecta est actio aliqua magna & salutaris, non expedit vniuersos tanquam ex composito ad vnam eandémque dicendam sententiam venire, sed duo vel tres facta discessione placidè contrà amicum dicant, ac tandem velvti conuicti à sua sententia discedant. sic enim vnà in sententiam propositam populus ab iis perducitur, dũ eos vtilitate moueri existimat. In exiguis quidem causis & ad nullam magnam rem perducentibus nihil impedit quin re etiá vera sinas amicos dissentire, vnoquolibet suas secuto rationes: vt in negociis principalibus atque maximis videantur optimi publici causa, non dedita in hoc priùs opera consentire. Enimverò ciuilis vir naturæ ratione semper prin-

Dissensiones.

ceps est ciuitatis, vt rex inter apes. idque cogitan-
tem oportet reip. gubernacula in manibus habere.
Minores magistratus. reliquos minores magistratus neque admodum ca-
pessere, neque sæpe: (nam magistratuum gerendo-
rum cupiditati neque cum maiestate, neq; cum po-
pulari gratia convenit) neque rursum aversari eos
deferente ac invitante populo, sed tametsi inferio-
res gloria ipsius sint, in iis capessendis studium mul
titudinis comprobare. æquum enim est vt ex supe-
rioribus magistratibus ornamenta adeptus, inferio
res vicissim exornet: vtq; in maioribus illis digni-
tatibus, qualis est Athenis prętura, Rhodi prytanea, & apud nos Bœotarchia ea moderatione ver-
satus, vt nonnihil de eorum maiestate vltrò remise-
rit, minoribus aliquid dignitatis atque amplitudi-
nis conciliet: atque vt in his à contemtu se, sic in il-
lis ab invidia tutũ præstet. Porrò qualemcunq; ma-
gistratum occipienti, non eæ modò in promtu sunt
habendæ rationes, quibus Pericles seipsum offici
commonefaciebat, quoties chlamydẽ sumeret, Ani
mum adverte Pericles, liberis Græcis præes, præes
ciuibus Athenienſibus: sed & hæc secũ cõmemoran
da, Imperas subditus, vrbi præfectus q̃ proconsuli-
bus, aut procuratoribus Cęsaris est subiecta. nõ hic
lanceæ cãpi sunt, nec priscæ Sardes, neq; Lydorum
illa potentia. gestanda est tibi chlamys vilior, & à
prætorio oculi in tribunal convertendi, neque mul
tum fiduciæ in corona ponendum, cum supra caput
tuum calceos cernas. sed imitandi sunt histriones,
& suo modo actioni affectus, gestúsque & ornamen
ta adhibenda, interim verba suggerenti aures præ-
bendo, neque extra modum & mensuram ab eo cu-
ius summa est potestas præscriptam muneri conces-
so egrediendo. Hoc enim loco error non sibilos aut
sannas excitat: sed multos arripuit

Vindex atrox securis ceruicem amputans:

quod evenit Pardalæ nostro, finium oblito. alius in
insulam

insulam relegatus, factus est iuxta illud Solonis,

—Pholegandrius, aut Sicinita
Extorris patriæ limine Cecropiæ.

Etenim cum videmus puerulos parentum crepidas
conari subligare sibi, aut coronas eorũ capitib. suis
imponere, per iocũ ridemus. at vrbani magistratus
maiorum opera, arduos conatus, & facta præsenti-
bus temporibus ac rebus non congruentia stultè iu
bentes imitari, multitudinem concitant: & cum ri-
dicula sunt moliti, nõ risu iam digna patiuntur, nisi
planè sint contemti. Sunt sanè multa priscorũ Græ-
corum facta, quibus recensendis nostrorum posi-
mus formare & corrigere mores. vt si quis Athenis
nõ bello gestas res, sed (verbi gratia) decretũ de cõ-
terendis obliuione iniuriis factũ post deiectos xxx
tyrannos referat: & quòd Phrynichum mulctaue-
runt qui tragœdiã de capto Mileto docuisset: quòd
Casandro Thebas instaurante coronas gestauerũt:
quòd audito Argiuos scytalismo facto c i o i o ci
ues interfecisse, concionem lustrare iusserũt: quòd
ob Harpali pecunias domos perscrutantes, eam so-
lam eximiam habuerunt, in qua nouus maritus age-
bat. His enim etiamnum imitãdis licet maiorum si-
miles fieri. Marathon autem, Eurymedon, Platææ,
& quæ alia exempla animos multitudinis inflãt, ina-
niq; ferocia extollunt, in rhetorum scholis sunt re-
linquenda. Non modò autem se & patriam ciuilis
vir inculpatam apud principem præstare debet, sed
præterea semper aliquem ex potentissimis habere
amicum, velvti fulcrum reip. stabile. Eo enim iunt
Romani ingenio, vt in officiis ciuilibus promptis-
simos se amicis exhibeant. Estque vtile, exempla eo
rum proferre, qui magnas ex principum familiari-
tate vtilitates perceperunt. sicvt Polybius & Panę-
tius Scipionis adiuti fauore, patriæ, vterque suæ ma
gnum ad felicitatem attulit adiumentum. & Cæsar
cum Alexandream cepisset, Aræum manu tenens,

Principum amicitiæ.

cúmque eo familiarium ſolo colloquens, in eam vr bem eſt invectus. metuentibúſque extrema Alexandrinis ac deprecantibus, Veniam ſe dare reſpondit, cùm ob vrbis amplitudinẽ, tum ob cõditorem eius Alexandrũ, ac tertiò in Arei amici ſui gratiã. Núm nam huiuſmodi beneficio cõparari merentur procurationes illæ & adminiſtrationes provinciarum pecunioſiſsimæ, quas plerique ſectantes, rebus domi relictis conſeneſcunt ad alienas fores? aut potiùs Euripides corrigendus, itáque canendum & dicendum:

Nam ſi peruigilandum eſt,— & aula alterius frequentanda, ſubmittendúmque ſeſe principis familiaritati, patriæ cauſa hæc rectiſsimè ſubeas, cæteroqui amicitiæ æquis & iuſtis conditionibus parandæ ſunt. Interim qui patriam principibus obſequentem reddit, non debet ei opprimendæ ſocium ſe præbere, neq; ligato crure ſubiicere etiam ceruices. ſicvt nonnulli omnia & parua & magna ad principes dũ deferunt, patriæ ſeruitutẽ exprobrãt, immò totam potius remp. abolent, pauidam eam & formidoloſam, nulliúſque rei compotem reddentes. Quo enim pacto qui ſine medico neque cœnare neque lauare ſunt adſueti, ne tantum quidem quantum naturæ conceſsit, ſanitate fruuntur: eodem qui cuivis decreto concilio, muneri, adminiſtrationi principis autoritatem inducunt, cogunt principes magis quàm ij vellent ipſorum dominos eſſe. In cauſa eſt præcipuè procerum auaricia & contendendi ſtudium. nam aut in his quæ cum damno inferiorum agunt, operam dant vt ciuium iudicium ſubterfugiant: aut de quibus inter ſe altercantur, dum non ferunt ſe inter ciues poſteriores ferre, ea vt conſequantur, potentiores introducunt. inde fit, vt & ſenatus, & populus, & iudicia, & magiſtratus omnis autoritatem ſuam amittat. Eſt autem ciuilis viri plebeios æqualitate, potẽtes mutuis obſequiis demul-

demulcere, & negocia intra reip. fines hac ratione contenta tranſigere, iiſq; ciuilem quandã, tanquam morbis arcanis, medicinam facere. vt & ipſe potiùs inter ciues cadere cauſa dignetur, quàm cum contumelia & corruptela patriæ legum victoriam conſequi. reliquóſq; ſingulos ad idem precibus cohortabitur, docendo quantũ in pervicacia ſit mali. Nũc verò vt ne domi ciuib. ac tribulibus, vicinis, ac collegis cum honore & gratia mutuò concedant: magno cũ damno ac dedecore lites ſuas ad rhetorum fores & in cauſidicorum manus deferunt. Ac medici quidem morbos, quos planè abolere non poſſunt, foras in ſuperficiem corporum avertunt. at ciuilis vir, ſi non poteſt efficere, vt omnibus litibus careat ciuitas: at ſaltem in ipſa ciuitate conabitur id quod turbas dat ac diſsidia excitat occultatum ſanare ac componere, vt quàm minimũ externis medicis atque medicamentis habeat opus. Eſto enim viri ciuilis inſtitutum animi tenax eorum quæ tuta ſunt, fugiátq; inanis gloriæ tumultuatricem iſtam, de qua verba fecimus, ac furioſam affectationem: interim iſti affectioni inſit elatio quædam animi, & confidentia *Ciuilis viri animus.*

Intrepida, & qualis ſubeat fiducia ciuem *Ilia. ſ. 157.*

Pro patria— inimicis, ac rebus difficilibus, duriſque tempeſtatibus renitens atque decertans. Non enim oportet ipſum cauſam præbere tempeſtatibus: ſed incidentibus iis non eſt reip. nauis deſerenda, neque exagitare vrbem periculoſè ipſius eſt, ſed quaſſatæ ac periclitanti ſubvenire, ac tanquam ſacram anchoram iácere ſuam in agendo libertatem, vbi res in ſummum fuerint diſcrimen adductæ, in quales difficultates incidit Pergamena ciuitas ſub Nerone, & nuper Rhodij ſub Domitiano, atque antea temporis Theſſali ſub Auguſto, cùm Petræum viuum cremaſſent.

Non hîc horrentem uideas,— nec formidan- *Ilia. ſ. 223.*

tem verè ciuilem virum, neque incusantem alios, dum ipse periculis sese eximat. sed & legationes obeuntem, & nauigantem, primúmque omnium dicentem, non hoc tantùm:

Auerte exitium Titan: namq; adsumus ultrò
Interfectores:—

sed etiam si culpæ multitudinis particeps non sit, tamen pro ea subeuntem pericula. Est enim hoc præclarum. accedítq; ad honestatem, quòd sæpenumerò vnius viri virtus atque magnanimitas admirationi habita iram quæ concepta fuerat in vniuersos demitigauit, comminationísque terrorem & acerbitatem dissipauit. Id videtur Persarum regi vsu veniisse, Buli & Sperthi Spartanis oblatis ei: & Pompeio cùm in Sthenonem incidisset. Cùm enim Mamertinos ob defectionem afficere supplicio Pompeius statuisset, Iniustè, aiebat Stheno, agis, qui ob vnum sontem multos innoxios decreuisti perdere. Ego enim ciuitati autor defectionis fui, amicis persuadendo, inimicis cogendo ad eam faciendam adactis. qua oratione ita fuit affectus Pompeius, vt & ciuitati veniam largiretur, & Sthenonem tractaret humaniter. At Syllæ hospes eadem virtute apud dissimilem vsus virum, nobili letho extremũ diem vitæ confecit. Cùm enim Præneste capta statuisset oppidanos omnes Sylla interficere, at soli isti ob hospitij vsum parcere, tantũ fatus, Nolle se patriæ suæ interfectori salutis datę gratiam agere, permiscuit se popularibus, atq; vnà cum illis est trucidatus. Atque huiusmodi quidem tempora abominari par est, & meliora sperare. Proinde summopere in honore habere oportet omnem cùm magistratum, tum qui eum gerit, rem quippe sacrosanctam & excellentem. Honor autem is est vt cum collegis vnanimitas atque amicicia colatur, longè magis congruens quàm serta & vestis purpura oras prętexta. Qui verò pro amicicię initio habent vnà militiæ esse, vnà pubescere, iidémque vnà magistratus

Amor collegarum.

gistratus gerere pro exordio inimiciciarum deputant: vnum ex his tribus malis non evitauerunt. aut enim collegas pro æqualibus habentes, ipsis obturbant: aut potiores iis partes sua opinione tribuentes, invident: aut vt humiliores contemnunt. Atqui convenit & præstantiores colere, & inferiores ornare, & æquales in honore habere, vniuersos autem amplecti atq; amare: vt quos non mensa, aut poculum, vel conviuium amicos conciliarit, sed reipublica, quodammodo hæreditaria ob patriæ communitatem benevolentia iunctos. Propterea malè audiuit Romæ Scipio, quòd in dedicatione Herculei fani conviuium amicis præbens, Mummiũ collegam ei non adhibuisset. vt enim aliis in rebus amiciciam non colerent, in hoc tamen genere collegæ ob magistratum erat honor habendus. Quando igitur Scipionem, virum alioqui admirabilem, tam exiguę comitatis neglectio aliorum despicientiæ suspectum reddidit: is qui de dignitate collegæ detrahat, aut splendidis actionibus malitioſè officiat, aut præfastu omnia sibi vni arroget ademta socio, æquus haberi & moderatus númnã poterit? Memini me, cùm iuuenis adhuc ad proconsulem essem legatus cum collega missus, hoc nescio qua de causa in itinere subsistente, solum rem confeciſſe. cùm autem reversus ratione obitæ legationis essem redditurus, seorsim mihi pater adsistens monuit, ne dicerem Profectus sum, sed Profecti sumus, & Diximus, non Dixi, eodémq; modo reliqua omnia cum socio interrefe rendum communicarem. hoc enim non modò beignum humanúmque, sed & invidiæ tutam gloriam præstat. Quamobrem etiam magni viri rebus præclarè gestis genium & fortunam secum vt autores inscribunt. sicvt Timoleon excisis in Sicilia tyrannidibus, Casui fanũ dedicauit. & Pytho, cùm Athenienses eum ob Cotys necem admirarentur atque venerarentur, Deum dixit hæc egisse, sua autem ma

nu vsum. Cæterùm Theopompus Lacedæmoniorum rex dicenti Spartam seruari regum imperandi peritia: respondit magis ideo hoc fieri, quòd ciues imperio essent obsequentes. Atque horum quidem duorum alterum ab altero proficiscitur. pleriq; tamen dicunt & sentiunt ciuilis institutionis opus esse, efficere vt ciues bene pareãt. plures enim in vnaquavis ciuitate sunt qui regantur, quàm qui regant: & præest quivis exiguum temporis, totam ætatem in reip. forma populari regitur degens: itaque pulcerrima est & vtilissima disciplina, parére magistratibus, etiam si minus instructi à potentia & gloria sint. Absurdũ enim sit principem in tragœdia actorem Theodorum vel Polum sæpenumerò mercede conducto histrioni tertiario obsequi, & humiliter cum eo colloqui, nimirum diadema & sceptrum gerenti: in rebus autem seriis ac publicis diutiẽ ac gloria insignem parui facere plebeium aliquem & pauperem qui cũ magistratu sit. cùm hac ratione dies suo splendore dignitatem vrbis contumelia afficiat atque deprimat: vbi potiùs magistratũ exornare suę gloriæ ac potentiæ accommodatione debeat, quomodo Spartæ reges Ephoris de via decedebant, & reliquorum vt quisque vocatus erat, non lento gradu, sed cursim per forũ se proripiens obedientiam suam ciuibus ostentabant, exultantes ob habitũ magistratibus honorem. Non ita honestatis rudes atque barbari quidam, qui velvti comti suæ potentiæ abvndantia, in certaminibus arbitros ac præmiorũ collatores circumscribunt, choragis in Liberalibus conviciantur, prætores ac gymnasiorum præsides derident: neque scientes neque discentes honorare esse interdum quàm honorari glorioſius. Viro enim in rep. largiter potenti plus ornamenti adfert stipatus ab eo magistratus ac comitatus, quàm stipans & deducens, immò hoc invidiam & molestiam, illud veram parat ac à benevolentia profectam gloriam, cúmq;

Ciuũ obedientia.

cúmque fores eius visere aliquando, salutatúmque prior venire cernitur, mediúmque ei inter deambulandum cedere locum, nihil sibiipsi demens, ciuitati ornamentũ confert. Populare est etiam interdum convicium & iram magistratus ferre, vel Diomedis illud subiicientem:

Scilicet eius in hac re gloria uertitur:—— *Ilia. δ*, 415.

aut illud Demosthenis, non ipsum nunc esse Demosthenem duntaxat, sed & legumlatorem & choragum, & coronam gestare. Defensionem autem tempori commendabimus. ita autem persequemur iniuriam nobis factam, vbi eius autor magistratu abierit, aut id lucri habebimus, quòd expectando iram dimisimus. Omni quidem studio ac providentia in curandis reip. commodis certandum est viro ciuili cum quovis magistratu, &, siquidem homo aptus est qui eum gerit, monere eum debet, & probè consultata rectè perficiendi occasiones suppeditare, & in reip. gloria ac vtilitate augenda adiuuare. vbi verò magistratum à re gerenda vel ignauia, vel cunctatio, vel malicia abstinet, ipse ad populum debet eo de negocio referre, neque remp. eo nomine negligere aut destituere, quòd alio reip. præfecto ipsum non conveniat curiosum esse & in alienam se ingerere administrationem. Lex enim semper ei qui iusta facit, & vtilia cognoscit, primum in repub. locum tribuit. Erat, inquit Xenophon, quidam in exercitu, neque imperator neque cohortis alicuius dux, sed qui quæ opus erat intelligendo audendóque seipsum reliquis ducem creasset, itáque Græcos seruaret. Atque inter facinora Philopœmenis illustrissimum est illud, quòd cum Agis Messenam occupasset, & Achæorum prætor subvenire nollet præ formidine, ipse absque decreto adscitis promptissimo quoq; erupit, vrbémque eam liberauit. Neque tamen nouæ res leuibus aut qualibuscunque de causis tentandæ sunt: sed vel necessitate vrgente,

Magistratus adiuuandus.

vt Philopœmen fecit: vel præclaræ rei gratia, vt Epaminondas, qui prorogata sibi cõtra legem Bœotarchia in quatuor menses, eo tempore in Laconicam irrupit, & Messenam condidit. Ita fiet vt si propterea accusetur ac culpetur, necessitatis præscriptione crimen amoliri, aut consolationem periculi habere possit magnitudinem ac pulcritudinem facti. Memoratur Iasonis Thessalorum tyranni dictum hoc, ab eo cùm multis vim faceret importuneque molestus esset, pronunciatum, Necesse esse vt in minutis rebus iniustè agant, qui in magnis iusticiam velint seruare. Quam quidem vocem nemo non statim agnoscat eius esse, qui sibi potestatem omnẽ vsurpet. Ad rem ciuilem magis congruit hæc præceptio, vt quæ leuia sunt, iis omittendis vulgo gratificere: in momenti alicuius rebus eidem te opponas, neq; patiare eos delinquere. Qui enim omnibus in rebus nimis est accuratus & vehemens, nihilque concedit aut dissimulat, is dum se vbique asperũ & implacabilem gerit, multitudinem ad certamen mutuæ contentionis ac morositatis adsuefacit. Itaq; interdum debet (vt est apud poëtam) aliquantulum remittere clauum ob magnam fluctus vim: aliquando ipse veniam dans, ac ludendi se socium captãdæ gratiæ causa præbens, vt in sacrificiis, certaminibus, & spectaculis: nonnunquam velvti in familiis sit in puerorum peccatis, simulans se nõ obseruare quæ delinquuntur, ac surda aure prætermittens. vt facultas castigandi & libera oratione increpandi, tanquam medicamentum, non vsu iam debilitata & inefficax, sed viribus suis prædita atq; auctoritate in maioribus negociis magis percellat atque mordeat multitudinem. Etenim Alexander cùm esset certior factus sororem suam cum formoso quodam iuuene rem habuisse, non est indignatus: sed dandum hoc sorori esse dixit, vt regni aliquem & ipsa fructum perciperet, non rectè ille, neque sibi conve-

Populo vt cõcedendũ.

convenienter talia permittens. neque enim petulantiam & imperij subuersionem pro fructu eius ducit par est. At ciuilis vir contumeliam in ciues nullam suis, neque publicationem alienorum, aut distributionem publicorum bonorum (quantum omnino præstare potest) concedere debet: sed huiusmodi rerum affectationes, suadendo, docendo, perterrendóq; debellare, quas Cleo nutriens atque augens, multos (vt ait Plato) aculeatos fucos in remp. introduxit. Si verò festiuitatem aliquam à maioribus institutam populus, aut Dei venerationem pro occasione arripiens ad spectaculum aut diuisionem pecuniæ modicam animo feratur, aliámve appetat aliquam rem quam largiri sit humanitatis: hîc iis liceat & liberalitate & copia perfrui. Nam in Periclis & Demetrij administrationibus reip. multa insunt talia. & Cimon exornauit forum platanorum consitione ac deambulationibus. Cato etiam in Catilinaria actione populum videns à Cæsare conturbatum, ac ciuitatem in discrimen nouarum rerum adductam, senatui persuasit vt in pauperes largitionem decerneret. eáque munificentia tumultum sedauit, ac seditionem inhibuit. Sicvt enim medicus multum corrupti sanguinis vbi subduxit, modicum innoxij alimenti suggerit: sic vir ciuilis magna aliqua re, quæ ad dedecus aut damnum spectabat sublata, vicissim exiguo aliquo & accepto hominibus munere animos à reprehensionibus & quiritationibus auertit. Expedit etiam id, cui populus studet, ad vtilem aliquam rem traducere, sicvt fecit Demades, quo tempore vrbis raditus in sua habuit potestate. Cùm enim adiecissent animum Athenienses ad mittendũ triremes quæ auxilium his ferrent qui ab Alexandro defecerant, & ab ipso pecuniam poscerent: dixit in promtu ipsis esse pecuniam. se enim ita eam ad Choas (sacrificium id erat solenne) comparasse, vt ciuium quiuis acciperet dimidium minæ. quòd si in

classem id pecuniæ vellent impendi,ad Choas quisque de suo conferret. Atque hoc modo illis,ne diuisione ista spoliarentur, classis missionem omittentibus,effecit ne Alexander haberet quo nomine populum iustè culparet. Sunt enim multa invtilia, quæ rectà non possis amoliri, sed ad hoc requiritur aliquis vtcunq; flexus & circumductio. Quali etiam Phocion est vsus,qui cùm iuberetur in Bœotiam facere alieno tempore impressionem, statim edixit vt omnes se à pubertate vsq; ad sexagenarios sequerẽtur:ac tumultuantib.senioribus, Nullam esse rei indignitatem dixit, ipso præsente ac duce octogenario. Hoc pacto etiam intempestiuæ legationes sunt disiiciendæ, allectis in numerum legatorum iis qui ad eam rem non sunt parati: & apparatus invtiles impedies, mandando vt eorum autores pecuniam eò conferant: & iudicia indecora, iubens suasores vnà adesse: & profectiones parum honestas,si impetres autoribus simul peregrinari. Maximè autem eos, qui primi talia suadent atque vrgent,oportet in societatem rei agendæ trahere. ita enim aut ipsi tergiversando irritam rem facere videbũtur: aut partem molestiarum vnà perferent. Cæterùm vbi res aliqua magna & vtilis cõficienda est, sed quæ magnum certamẽ ac studium vehemens requirat: ibi conare aut optimos amicorum, aut optimorum placidissimos adsciscere. hi enim minimè in diuersum nitẽtur,maximè adiutores negocij peragendi erunt,absq; contendendi cupiditate prudentia præditi. Veruntamen te naturæ tuæ peritum oportet ad ea,in quibus minus ipse à natura vales,nõ tui similes,sed qui præstare id quod tibi deest rectiùs possint, deligere. *Vide Hom. Il. 10.* quemadmodum Diomedes ad speculandum fortibus præteritis prudentem sibi socium assumsit. Hoc enim modo & actionum magis æqualia diuiduntur inter socios momenta: & à diuersis virtutibus profecta gloriæ cupiditas contentionibus non est obnoxia.

noxia. Ergo in obeundo iudicio aut legatione,si ipse non sis facundus, arte dicendi instructum tibi adiunge, vt Epaminondam Pelopidas: & si ad persuadendum multitudini ineptus sis, atque elatior, (qualis fuit Callicratidas) gratiosum aliquẽ & demerendi populi gnarum: si corpus imbecillum & laboris impatiens sit, laborum tolerantem ac robustum aliquem, vt Nicias Lamachum. Sic enim in admiratione fuit Geryones, habens crura multa, & manus, & oculos, quibus omnibus vnus præfuit animus. Datur autem ciuilibus hoc, vt non corpora tantùm & pecunias, sed & fortunas, & potentiam, & virtutem (siquidem concordes ipsi sint) in communem vsum conferre, ac maiore quàm vnus aliquis alius cũ gloria rem gerere possint. quod cõtrà Argonautis evenit, qui Hercule deserto coacti sunt ad gynæceum confugere, magicisq; incantationibus & veneficiis subditi vitam suam seruare, vellúsq; furtim auferre. *In auaricia.* Aurum quidem, in quædam fana intrantes, foris relinquunt: ferrum autem, vt semel dicam, in nullum important templum. Quando igitur tribunal commune quoddam est templum Consultoris atq; Vrbitenentis Iouis, ac Themidis, & Iusticiæ: iaminde ab initio diuitiarum & pecuniæ cupiditatem, tanquam ferrum, & morbum animi æruginis plenum exuens, in cauponum aut feneratorum fora abiice,

longeq; auertere ab illis:

atque sic habe, eum qui quæstum è publico captat, furari de sacris, de bustis, de amicis, proditione, falsi testimonij dictione, lucrum quærere, infidum esse consiliarium, periurum iudicem, magistratum dona captantem, deniq; nullo non genere iniusticiæ obstrictum. vt hac de re nõ sit multis opus verbis. Am *Honores,* bitio autem, quanquam sit cupiditate quæstus nitidior, tamen non pauciores in rep. gignit pestes. Magis enim ei adest audacia, quippe non ignauis aut abiectis, sed acribus maxime & præcipitibus animis in

hærenti: eámque plerunque popularis impetus eve-
hens laudibus atq; incitans, effrenē reddit atq; in-
tractabilem. Quemadmodum igitur Plato præcipit
adolescentibus à tenera statim ætate inculcandum,
non esse eis fas foris aurum appositum gestare, neq;
omnino possidere, cùm in animis suum aurum pecu
liare habeant admixtum: (innuens nimirum virtutē
quæ à genere in ingenia eorum propagatur) sic ab
ambitione etiam nos animum abducemus, monen-
do habere nos in nobis aurum corruptelæ expers,
sincerum, & illæsum ab invidia & reprehensionibus
honorē, qui simul cum ratiocinatione & contempla
tione factorum & in rep. gestorum à nobis augetur:
i deóque nihil opus esse honoribus pictis, fictis, aut
ex ære ductis, in quibus etiam id quod præclarum
habetur, alienum est. non enim cui, sed is à quo fa-
ctus est tubicē aut stipator, laudatur. Ac Cato, cùm
iam tū statuis Roma oppleretur, nullā sibi passus est
poni, quòd diceret malle quæri cur non, quàm cur
ipsi statua esset collocata. Sunt enim id genus res in
vidiæ expositæ, ac pleriq; censent gratiam se iis de-
bere, quibus tale dederint nihil: deberi autem sibi
ab his qui acceperint, eósque molestos esse, qui vel-
vti mercede suam locēt operam. Ergo sicvt qui Syr-
ti evitata nauim ad fretum subvertit, nihil præclarū
aut memorabile præstitit: sic qui ærario & redem-
turis publicis cùm abstinuisset, vincitur prima in cō
sessu dignitate aut prytaneo, is sublimi quidem im-
pingit promontorio, nihilo tamen minus mergitur.
Optimē itaque cum eo agitur, cui nihil cum vlla ta-
li re est negocij, sed fugit ac recusat omnia. Quòd si
populi huc propendentis gratiam ac studium non
facile sit repudiare: quia in reipub. certaminibus nō
argentum aut munus præmij loco petitur, sed sacrū
est revera & coronarium certamen. inscriptio aliqua
sufficiet, & tabella, & decretum, & germen, sicvt ex
arce accepit Epimenides, cùm vrbem lustrasset. &
Anaxa-

Anaxagoras honoribus qui offerebantur recusatis,
postulauit vt ea qua decessisset è viuis die, pueris va
catio scholarum & discendi cōcederetur. & septem
Persis qui magos interfecerunt, eorúmque posteris
concessum est vt tiaram in anteriorem capitis partē
obverterent: apparet enim eos cùm rem eam aggre
derentur, hac fuisse vsos tessera. Habet etiam Pitta-
ci honor ciuile quippiā. iussus enim de agro, quem
ciuibus acquisiuerat, sumere sibi quātam vellet por-
tionem, tantum accepit, quantum misso iaculo con-
sequebatur: vt Cocles Romanus, quantum vna die
claudus ipse circumarareat. Debet enim honor non
merces facinoris esse, sed signū: vt & diu perduret,
sicvt illi durauerunt. At de c c c statuis Demetrij
Phalerei, nullā corrupit ærugo aut situs, sed omnes
viuente ipso eversæ sunt: Demadis statuæ conflatæ
sunt in matulas. Multáque talia honoribus contigerunt, non tantùm ob eius cui decreti essent prauitatem, sed etiam ob molem suam in odium addu-
cti. Itaque tenuitas sumtuum optimè ac firmissimè
ad honorarij custodiam facit: magna & immodica,
itidem vt statuæ nō respondentes proportioni, sub-
vertuntur. Voco autē nunc honores, quos (vt Em-
pedocleo loquar more)

Sic uulgò dicunt, tamen haud assentior ipse.

Nam verum honorem, gratiámque fundatam in be-
nevolentia animíque memorum affectione, non de-
spiciet vir ciuilis, neque gloriam cōtemnet, fugiens
proximis placere, vt volebat Democritus. Nam ne-
que canum salutatio, neque equorum benevolen-
tia venatoribus & qui equos alunt videtur aspernan
da: immò vtile est ac iucundum in animalibus fami-
liaribus & vnà viuentibus huiusmodi affectionem
erga se generasse, qualem Lysimachi canis demon-
strauit, & de Achillis equis erga Patroclum poëta *Iliad. π.*
refert. Existimo etiam cum apibus meliùs actum
iri, si eos à quibus nutriuntur & curantur admittere

potiùs & adbládiri, quàm abigere & pũgere velint. nunc eas fumo puniunt: equos autem petulantes, & infidos canes inuitos numellis agunt ac frænis. At hominem homini obsequentem vltrò cicurémque nihil aliud facit, quàm fides benevolentiæ, integritatísque & iusticiæ opinio. quo nomine Demosthenes rectè pronũciauit, nullam ciuitatibus aduersus tyrannos meliorem esse diffidentiæ cautionem. maximè enim ea pars animi, qua fidem adhibemus, capi potest. Sicvti-ergo Casandræ vaticinium ciuibus inutile erat, quòd fides vati derogabatur:

(*Voluit enim, inquit, Deus me fari incredita:*
Et à suum iam natis infortunium,
Sapiens uocor, furere cùm dicerer antea.)

sic ciuium erga Archytam fides, & in Battum benevolentia, ob existimationem eorum plurimum conduxit his, qui opera ipsorum vterentur. Atque hæc primus est & maximus ciuilium virorum existimationis vsus, quòd autoritas iis aditum ad res gerendas conficit. Altera est, quòd multitudinis benevolentia aduersus inuidos ac malignos teli instar est bonis viris:

Iliad δ, 131. *Vt cùm filioli, somno sua membra soluti,*
A cute mordacem pellit matercula muscam

inuidiam arcens, & æqualem superioribus potentia reddens ignobilem patriciis, pauperem diuitibus, & priuatum magistratibus. deniq; accedentibus veritate & virtute, existimatio secundus est ad reipub. administrationem tendentibus ventus. Iam contrariam affectionem consideratis exemplis perpende: Dionysij liberos & vxorem, libidinosè corporibus tractatis Itali necauerunt, ac crematis cadaueribus cinerem è naui in mare disperserunt. At Menandri cuiusdam, qui apud Bactra regnum moderatè gesserat, in castris mortui ciuitates funus cùm pro consuetudine procurassent, de reliquiis in certamẽ peruenerunt, ægréque pax hac conditione coiit, vt singulæ parte cinerum ablata æquali, monimentum ei viro apud se quæque ponerent. Rursus Agrigentini Phalaride exonerati, decreto sanxerũt ne quis glauca veste vteretur: quia tyranni glaucis subligaculis fuissent vsi. At Persæ quia Cyrus adunco fuisset naso, etiamnum tales amant, ac pro formosissimis habent. Adeò omnium amorum cùm validissimus est tum diuinissimus is quem ciuitates & populi erga vnum aliquem ob virtutẽ eius concipiunt. Falsò aũt sic dicti honores, ac falsa testimonia, quæ propter spectacula, diribitiones ac ludos gladiatorios deferuntur à multitudine, similes sunt meretriciarũ adulationũ, plebe subinde ei qui dat ac gratificatur aliquid arridente, vniúsque diei & instabilem gloriolam blandiendo tribuente. Equidem rectè dixit, quicunq; tandem dicti eius est autor, populum ab eo primùm fuisse eneruatum, qui eum largitione inescasset primus. intellexit enim multitudinem robur suum amittere, dum accipiendo fit imbecillior. Sed & hoc sentiendum est, largitores istos suã quoque ipsorum vim evertere, quando gloriam magnis impensis mercati, validam ac ferocem reddunt plebem, quæ se magni alicuius & dandi & adimendi potestate præditam existimat. Neque tamen interea sordidè agendum est in largitionibus secundum leges faciundis, vbi copia rerum suppeditat. etenim vulgo magis inuisus est diues de suo nihil largiens, quàm pauper publica depeculans: hoc enim necessitati, illud superbiæ & contemtui sui imputant. Primùm ergo largitiones gratuitæ sint. Sic enim eos qui accipiunt faciliùs permouent atque devinciunt. Deinde per occasionem fiant, quæ prætextum habeat elegantem atque honestum, coniunctum cum cultu dei omnino ad pietatem ducente. sic enim simul in animis multorum excitatur & confirmatur opinio, numen esse magnum aliquid ac venerandũ:

De largitionibus.

cùm quos ipsi colunt ac in magnis viris censent, eos ita liberaliter atque alacriter sumtus in veneration-nem deorum facere cernunt. Quo igitur pacto ab adolescentibus qui liberali instituerentur doctrina prohibuit Plato Lydiam & Phrygiam harmoniam: quòd altera animi facultatem ad lugendum & dolendum procliuem excitaret, altera propensam ad voluptatem & libidines partem impelleret. sic tu eas largitiones, quæ belluinum & trucem, aut scurrilem seu intemperantem motum animorum efficiunt atque fouent, omnino ex ciuitate profliga: sin verò, fuge & repugna multitudini huiusmodi spectacula deposcéti, bona autem semper & modesta sumtuum argumenta facito, quæ ad finem honestum aut necessarium spectent, aut eam saltem vuluptatem ac gratiam, à qua damnum ac petulantia absit. Quòd si facultates sint mediocres, & ad vsus vitæ quasi circino circumscriptæ, nequaquam indecorum est neque abiecti animi confessum suam paupertatem eorum quibus res est liberalitati locum concedere, neque in publicis actionibus simul & miserabilem fieri & ridiculum. non enim ignorantur qui destituuntur, & vel amicis sunt molesti, vel feneratores demerentur adulando: vt planè huiusmodi impensis non gloriam aut potentiam, sed dedecus potiùs & contemtum sibi parent. Itaque vtile semper est in tali re exemplorum Lamachi ac Phocionis meminisse. quorum hic in sacrificio quodam poscentibus Atheniensibus aliquid vt contribueret, sæpiúsque plausum dantibus, At verò, inquit, pudeat me vobis dare, & huic Callicli (simul feneratorem cui debebat ostendens) non reddere. at Lamachus in præturæ suæ militaris rationibus semper adscripsit argentum quod pro se in calceos & vestem impendisset. Hermoni quoq; Thessalo magistratus administrationem paupertatis causa detrectanti, populares in mensem decreuerunt lagenam vini, & modium farinæ, in singu-

la qua-

la quatridua. Ita neq; seruile est paupertatem suam præ se ferre, neque in ciuitatibus posteriores cœnas & ludos exhibentibus habentur pauperes, si sua sibi virtute libertatem dicendi fidémq; parauerint. Sanè oportet quammaximè in talibus rebus seipsum continere, vt ne pedester in campum descendat contra equitem pugnaturus: hoc est, ne pauper gloriæ potentiæve causa cum diuitibus de stadiis, scenæ apparatu, aut epulis in contentionem sese det. sed vt conetur iis se æquare, qui virtute, prudentia, ac facundia vrbem volunt temperare. quibus rebus non modò honestas atque maiestas, sed gratia etiam adest, & ad pelliciendum vis, Crœsi optabilior stateribus. Vir enim bonus non insolens, neque molestè odiosus est, neque vir modestus sua tantùm probans,

Incedit inuiso omnibus ore ciuibus.

sed primùm facilem se compellatu præbet omnibus, neminémque non admittit ad suum colloquium, domum suam tanquam portum perfugij identidem omnibus habens apertam. suámque humanitatem & pro ciuibus procurationem, non operam nauando tantùm & agendo, sed & aduersa patientibus socium se doloris exhibendo, & gratulando iis qui successibus vtuntur bonis demonstrat. neque vspiam molestus est multitudine famulorum in balneo, aut occupatione locorum in theatro, neque iis insignis quæ inuidiæ ob luxum & sumtuum magnitudinem sunt obnoxia: sed æqualis vestitu ac victus ratione & liberorum educatione ac muliebri familia reliquis, vt qui simul cum aliis vnam eandémque popularem tenere rationem, vtque alij homines degere velit. Deinde consiliarium se & advocatum nulla mercede conductum, benignúmque arbitrum præstat virorum vxoribus reconciliandorum, amicorúmque in gratiam reponendorum. neque ita aliquam diei partem tribunali aut concioni dans rempublicam tra-

ctat,vt non reliquo vitæ tempore velvti Cæcias nũbes,ad se itidẽ atrahat vndiquaq; vsus ciuiũ & procurationes. sed curis sẽper suis publico est intẽtus, & reip.administrationem vitam sibi opúsq;, nõ ociũ aut munus publicum(vt faciunt multi)deputãs, his omnibus eorúmq; similibus in se cõvertit sibíq; cõciliat multitudinem:quæ aliorũ adulationes & illecebras cũ huius procuratione & providẽtia cõparatas animadvertat adulterina esse & fucata irritamẽta. Etenim Demetrij adulatores reliquos nõ dignabantur nomine regis,sed Seleucũ elephantorũ magistrum,Lysimachũ gazæ custodẽ,Ptolemęũ classis præfectum,Agathoclem insulæ præsidẽ appellabãt. At multitudo, etiamsi initiò bonũ ac prudentẽ virũ reiiciat,tamen postea tẽporis eius deprẹhẽdẽs veritatem atq; ingenium,hunc solũ iudicat ciuilẽ,popularem,atq; principem esse:reliquos,alium choragũ, alium epuli præbitorem,aliũ gymnasiarchã & putãt & nominant. Ad hæc,sicvti in conviuiis Callia rege aut Alcibiade Socrates tamẽ auditur,in eúmq; sunt omnium oculi conversi:sic in rectè habentib. rebus publicis sumtus facit Ismenias,& Lichas cœnas prẹbet, chorum instruit Niceratus: Epaminondas autem,& Aristida,& Lysander imperant,remp.ac bella gerunt.In quæ intuentem convenit non submittere animum,neque terreri ea existimatione,quæ plebi ex theatris, cauponis, ac cœtibus hominum frequentibus adest: cùm ea perexiguo duret tempore, simúlque cum gladiatoriis & scenicis ludis dissipetur, honore aut veneratione dignum habeat nihil. Qui apum curæ atque educationis periti sunt, eum alueum maximè sanas & feliciter agentes apes putant habere, ad quem strepitus est tumultíque plurimum. At verò is,cui deus ratione donati ac ciuilis examinis curam imposuit, tranquillitate præcipuè & placiditate populi felicitatem æstimans, Solonis reliqua & probabit, & pro viribus imitabitur: id

De seditionib.et dissidiis ciuium.

id tamen in dubium vocabit,admirabitúrque,quid in mentem illi venerit, vt legem ferret, qua qui seditione in ciuitate exorta neutri parti se adiunxisset,infamia notatur. Nam neque in corpore è morbo ad sanitatem redeundi initium fit ab vnà correptis morbo membris,sed tum, cùm rectè valentium partium temperies prævalens id quod naturæ repugnabat depellit:& in populo non atroci neque exitiosa seditione conturbato, sed quæ componatur, sub eius finem maximè necesse est vt quod incorruptum ac sanum mansit,multum contemperetur,adsit,atque vnà habitet: ad hoc enim confluit quidquid sanorum hominum est idem sentiens, eorúmque vis etiam per eos diffunditur qui vitiati fuerãt. At ciuitates in vniuersum seditionibus conturbatæ, funditus perierunt, nisi aliqua foris ingruente necessitate, malísque castigatæ, vi ad sanitatem redigerentur. Neq; verò decet in seditione nullo mali sensu,nullo dolore perculsum sedere,ac suam perturbationis vacuitatem, vitámque ociosam & beatam prædicare, interim aliorum erroribus delectari. Sed hîc maximè Theramenis induendus est cothurnus,itaque vtraque cum parte conferendus sermo,vt neutri te aggreges. Existimaberis enim non eo,quòd nullius faciundæ iniuriæ socium te geras, alienus à ciuibus, sed ob auxilij lationem omnibus esse communis: neque invidebitur tibi si non venias in partem calamitatis, cùm videare omnium ex æquo sortem dolere. Est autem præclarissimum, in id operam dare nulla vt vnquam oriatur seditio: idque artis quasi ciuilis opus maximum est & pulcerrimum existimandum. Hoc enim considera cùm maxima quæ ciuitatibus contingere possunt bona sint pax,libertas,vbertas,hominum copia,& concordia:ad pacem quidem in præsentia nihil est quod operam ciuilium virorum requirant populi, omni & Græcanico & barbarico bello penitus sublato. li-

bertatis quoque tantum est ciuitatibus, quantum imperatores concedunt: neque expediret fortasse amplius. tum ea est terræ vbertas, ac frugum copia abundans, anniq́ue temporum constitutio salubris:

Hesiod. *Nupta facit similiq; uirum nunc prole parentem:*

Concordia ciuium. vt sani hominis sit, iis qui nascuntur suis ciuibus salutem à diis optare. Ergo ex officio ciuilis viri subiectis rebus hoc vnum ei restat, quod nulli alteri bono præstantia cedit, vt ciues suos cõcordia, mutuáque amicicia inter sese vti doceat, lites, discordias, inimiciciásque omnes aboleat. Qua in re idem aget, quod in amicorum dissensionibus. cum ea parte, quæ iniuria affici videbitur, ita colloquetur, vt ipse quoque particeps iniuriæ acceptæ indignationisq; videatur. deinde animum placare eius conabitur, ac docere eos qui iniurias dimittunt quib. sunt affecti, his qui contendere & vincere litigando instituerunt non æquitate modò & placiditate, sed & animi magnitudine potiores esse: & cum de suo iure paulum remiserint, in pulcerrimis maximisque rebus victoriam reportare. post & singulos & vniuersos de imbecillitate rerum Græcarum edocebit, qua perfrui cordatus quisq; satius arbitretur, & in pace ac cõcordia inter suos vita defungi, quàm certamẽ, cuius nullum fortuna præmium fecerit reliquum, obire. Quis enim principatus, quæ gloria victorem, quæ manet potentia, quam non leue aliquod proconsulis edictum vel abolere possit, vel aliò trãsferre? nihil studio dignum habituram, ne si quidem perduraret. Quoniam autem sicvti incendium non sæpe à sacris & publicis exoritur locis, sed plerunq; neglecta in domo aliqua lucerna, aut inflammatæ quisquiliæ ingentem ediderunt ignem, ac publicam perniciem: sic non semper seditionem contentiones de publicis negociis excitant: sed sæpenumerò ex reb. & offensis priuatis in publicũ propagatæ

lites

lites totam exagitant ciuitatẽ. ciuili viro in hoc non minor, quàm vlla in alia re, ponenda est industria, vt his occurrat medeatúrq;, vt aliæ quidẽ lites omnino ne existant quidem, aliæ mox sopiantur, aliæ nõ faciant incrementum, neq; ad rempub. pertingant, sed penes ipsos maneant aduersarios. & cùm ipse animum debet his rebus attendere, tum alios docere, priuata publicis, parua magnis causam præbere si negligantur, neque ab initio iis medicina & correctio adhibeatur. Quo quidem modo Crates apud Delphos maximam periculosæ rerum mutationi occasionem suppeditauit. Erat filiam huius ducturus vxorem Orgilaus Phalidis F. cúmque in ipsis sponsalibus cratera media crepuisset, eo casu in omen tracto, derelicta sponsa cum patre discesserat. His paulo pòst sacrificantibus vas aureum eorum quæ sacra sunt subdidit, indictáq; causa Orgilaum cum fratre de saxo præcipitauit: rursúmque amicorum familiarium quosdam supplicantes in fano Prouidentiæ interfecit. Cùm multa talia essent perpetrata, Delphi Cratetem & seditionis socios necauerũt, & è pecuniis, quas nefastas appellabant, templa exædificarunt inferiora. Syracusis de duobus familiaribus adolescentibus, alter amasium alterius suæ custodiæ à peregrè proficiscente creditum absente illo vitiauit. reversus, vt vicem rependeret, adulterauit alterius vxorem. tum quidam seniorum in concilium progressus, consuluit esse vtrunq; eiiciendum, priùs quàm sua inimicicia vrbem corrumpentes exitio essent. neq; tamen is persuasit, sed orta ex hac occasione seditio, maximis cum calamitatibus optimã reipub. formam pessundedit. Habes nimirum & ipse domestica exempla, Pardali cum Tyrrheno inimiciam, quæ parum abfuit quin Sardes perderet ab exiguis & priuatis initiis defectione & bello conflatis. Non itaque sunt negligendæ ciuium velvti vno in corpore offensæ, quæ discursus habent celeres:

sed iniicienda manus, opprimendæque sunt, & facienda medicina. nam (vt ait Cato) attentione & magna in parua, & parua in nihilum rediguntur. Ad hanc rem non alia maior est persuadendi efficacior machina, quàm seipsum præstare in propriis disidiis placidum pacificatorem, absque ira in primis causis persistentem, nullique adhibentem contendendi vehementiam, aut iram, aut alium affectum aliquem, qui necessariis disceptationibus asperitatem acerbitatémque ingerat. Etenim eorum qui in palæstra decertant manibus globos quosdam præligant, ne certamen in plagam aliquam atrociorem & lethalem desinat. At in disceptationibus causarum & iudiciis præstat nudis purisque causæ fundamentis rem gerere, neque res tanquam iacula acuendo conviciisq; malignitate & minis velvti veneno, imbuendo, extremè pernicioſas & in publicum erumpentes damnum redigere. Qui enim quo dixi modo eos quibus cum ipsi res est tractat, alios quoque sibi habebit obtemperantes. at contentiones de publicis negociis, vbi priuatæ inimiciciæ fuerint de tractæ, viles fiunt, neque magnum vllum aut atrox malum inferunt.

PLVTARCHI

De vitando ære alieno, commentariolus.

PLATO in Legibus vicinos alienæ aquæ participes fieri non sinit, nisi vbi domi solo vsque ad terram ceramitidem (ita argillam vocat) exhausto, aquæ id sterile deprehenderint. argilla enim cùm sit pingui ac densa natura, humorem acceptum

ptum cõtinet, neq; dimittit extra se. eos autem vult alienorum in partem venire, qui propria parare nequeunt, lege inopiæ opitulante. Nónne evidens est eam legem ad rem pecuniariã pertinere, ne ab aliis mutuum sumant, alienósque fontes adeant, non antè domi suis copiis examinatis, & quasi guttatim collegerint quod vsibus & necessitati eorum suppeditet? Nunc luxu, mollicie, & prodigalitate adducti, non vtuntur suis, sed magno fenore ab aliis accipiũt nulla necessitate compulsi. magnúmque est huius rei argumentum, quòd egeno pecuniam nemo credit, sed iis qui sibi copiam aliquam parare volunt, testémq; & sponsorem habent esse se quibus tutò mutuum committatur. cùm debuerit cui res est mutuum nihil sumere. Quid mensarium aut negociatorem demereris? quin tu à tua mensa petis mutuum? pocula habes & paropsides & pelues argentea: hæc vsibus tuis adhibe. mensam Aulis aut Tenedus vicissim ornabunt figlinis, purioribus quàm sint argentea ista. non enim exhalant grauem istum ac molestum fenoris odorem tanquam æruginis quotidie contaminantis luxum, neque Kalendarum & nouilunij admonebunt: quam sacratissimam diem feneratores atram & abominandam faciunt. Equidem eos, qui potiùs quàm vendant, pignori sua opponunt, ne Iupiter quidem à possidendo Ctesius dictus seruare possit. pudet precium suarum rerum accipere, vsuras persoluere non pudet (At enim Pericles mundum Mineruæ, appendentem auri excocti talenta x L, ita composuit vt detrahi posset: hac de causa, vt aiebat, vt si eo auro Athenienses aliquando ad bellum vterentur, æquale postmodò restitueret. Ergo & nos tãquam in obsidione vsibus nostris inseruientes, non patiamur nobis ab hoste feneratore præsidium imponi, neque sustineamus res nostras mancipio duci: sed à mensa auferendo quorum vsus necessarius non est, à sponda, à vehiculis, de victus

ratione detrahendo, libertatem noſtram tueamur: ocioſa iſta reparaturi vbi res ſecundæ affluxerint. Sanè Romanæ mulieres mundum ſuum Apollini Pythio dederunt primitiarum loco: ex quo aureus crater confectus Delphos venit. Carthaginienſes autẽ mulieres capita totõderunt pro patria, vt crinibus earum machinæ & inſtrumenta intenderẽtur. Nos, dum contentos eſſe noſtris rebus pudet, dandis pignoribus contractibúſque ſubeundis in ſeruitutem noſmet damus, vbi par erat contractis ad vtilia cupiditatibus invtilia nos & ocioſa concidere aut divendere, itáq; nobis ac familiæ fanum libertatis exſtruere. Diana quæ Epheſi colitur, debitores qui ad ipſius templum confugiunt, tutos à creditoribus & intactos præſtat. *Frugalitas.* At frugalitatis aſylum vbiq; patet temperantibus, cum multo ocio amplitudinem parans hilarem atque honorificam. Sicvt enim bello Medico Pythia Athenienſibus ligneum murum diuinitus dari cùm dixiſſet, illi regione, vrbe, opib. & domibus relictis, libertatis ſeruandæ cauſa ſe in naues contulerunt: ita nobis concedit deus ligneã menſam, peluim figlinam, & veſtem aſperam, ſi liberi viuere volumus.

Non tu cornipedes exſpecta,——

non bigas cornutas atque argento ornatas, quæ celeribus fenoribus antevertuntur: ſed quovis aſino aut caballo vtens, fuge hoſtẽ & tyrannum feneratorem. qui non terram & aquam Xerxis more poſcit, ſed libertatem invadit tuam, & dignitatem tuã proſtituit: ſi nihil des, obturbat: ſi habes, non accipit: ſi quid vendis, precium diminuit: ſi nihil vendis, vt vendas cogit: ſi iudicia exerces, compellat: ſi iuras, imperat: ſi ad fores eius venis, excludit: ſi domi incluſus es, oſtium ſeruat atq; pulſitat. Nam quid profuit Athenienſibus Solon, lege lata ne corpora debitorum obligarentur? Quaſi verò non ſeruiant feneratoribus, qui debẽt iis? Immò ne ipſis quidem ſeruiunt:

ſeruiunt: quid enim mali eſſet? ſed ſeruis eorum contumelioſis, barbaris, ſæuis, eorúmq; ſimilibus, quos apud inferos Plato ait ignitos pœnarum exactores ſceleratis adſiſtere. Hi ſunt qui miſeris debitoribus de foro locum flagitioſorum pœnis deſtinatum redegerunt, vulturum inſtar eos edentes & laniantes, &

Altiùs inſerto tundentes uiſcera roſtro: *Odyſ. λ, 578*

aliis tanquam Tantalis adſtant, vetántq; eorũ quicquam guſtare quæ colligũt. Sicvt autẽ Darius Athenas miſit Datin & Artaphernem, catenas & vincula manibus geſtantes ad vinciendum captiuos: ita hi ſyngrapharum & tabularum tanquam compedum plena vaſa Græciæ importantes, circum vrbes ambulant eáſque tranſeunt, non, vt Triptolemus, mitem frugem ſerentes: ſed debitorum radices laborioſas & fecundas atq; inextricabiles: quæ circumquaque ſuccreſcentes & germina proferentes, premunt atq; ſuffocant ciuitates. Lepores ferunt ſimul eodémq; tempore & párere, & alere, & alios concipere fetus. At verberonum iſtorum & barbarorum debita, pariunt antè quàm concipiãt. Nã ſimul atq; dederunt, repoſcunt, ac ponendo tollunt, & in fenore collocãt ipſum fenus. Fertur apud Meſſenios,

Eſt Pylus ante Pylum, Pylus atque alius tamen exſtat.

in feneratorem autem rectè ſic torſeris:

Fenus præcedit fenus, ſupereſt quoq; fenus.

Et ridẽt proinde iſti phyſicos, qui ex eo quod non ſit exiſtere quicquam poſſe negant. nam apud ipſos ex eo quod neq; eſt neq; ſubſiſtit, naſcitur fenus. Et cùm publicanum eſſe pro dedecore ducãt, quod tamen leges permittunt, ipſi contra leges fenerando ſibi homines vectigales faciũt: aut potiùs, vt verum dicam, inter fenerandum defraudãtes. qui enim minus accipit quàm in tabulas accepti retulit, is circumſcribitur. Enimverò Perſæ ſecundum locũ in-

ter peccata adſignant mendacio, primum æri alieno. Nam plerique mendacium comitatur debito. Magis autem mentiuntur qui dant quàm qui accipiunt. mala enim fraude in ſuis adverſariis ſolent plus ſcribere quàm dederint. Cuius mendacij cauſam habent non neceſsitatem, non inopiam, ſed inſatiabilem auariciã, cuius finis ipſis non datur fruendus, neq; quicquã vtilitatis eis adfert, pernicie interim ſtat eorum quos illi premũt. Non enim agros eorum, quibus eos eximunt, colunt: neq; debitoribus eiectis domos eorum inhabitant: neq; menſas ſpoliatorum apponunt, aut veſtes vſurpant. Sed ſtatim vno peſſundato, alium venantur atque ineſcant. Serpit enim ignis inſtar malum cum pernicie & exitio eorum quos arripit, vnũ poſt alium conſumens. Ignem autem hunc qui exſuſcitauit atq; aluit fenerator, nihil amplius habet, quàm vt interdũ ſuas rationes relegens notet quàm multos ad auctionem bonorum faciendam adegerit, quàm multos domo exegerit, vnde ac vbi volutatum argentum creuerit. Neq; hoc me dicere putetis, quaſi qui bellum feneratoribus indixerim:

Ilia. ω, 154. *Nam nemo illorum de noſtris bobus equiſue*
Auertit prædam.—

hoc ſpecto, vt iis qui faciles ſunt ad pecuniam ſenore ſumendam demonſtrem, quantum ea res turpitudinis habeat, quantũ illiberalitatis: deniq; quàm ſit extremæ cùm dementiæ tũ molliciei. Habes: noli te ære alieno obſtringere, cùm non indigeas. Non habes: ne ſumito mutuum. nõ es enim ſoluendo. Verùm hæc ſingulatim perpendamus. Cato cuidam ſeni malè ſe gerenti, Heus homo, dixit: cur ſenectuti multis alioqui malis laboranti, malicię dedecus ſuperimponis? Et tu, dicerem pauperi, noli pauperta-

Pauperi æs alienum cauendum.

ti multis alioquin onuſtæ incommodis difficultates mutuum petendi & ære alieno te obligandi accumulare: neq; id, quo vno diuitiis præſtat paupertas, ei

tas, ei aufer. vacuitatem inquam ſolicitudinũ. Nam illud quidem ridiculum eſt, quod proverbio iactatur: Capram non poſſum portare, imponitis mihi bouem, paupertatem ſufferre non potes, & feneratorem in ceruices tuas imponis, onus cui ferendo difficulter etiam diues ſufficiat. Dices, At quomodo alar? Hoccine, inquam, te rogare æquum eſt, qui habeas manus, pedes, vocem? qui homo ſis, qui & amare poſsis & amari, beneficium accipere, & agere gratias? ale te litteris docendis, pueros liberaliter formando, ianitoris munus obeundo, nauigando, propter nauim in lembo nauigãdo. nihil horum turpius eſt, nihil moleſtius, quàm audire hanc vocem, Perſolue quod debes. Rutilius ille Romæ cùm acceſsiſſet ad Muſonium: Muſoni, inquit: Iupiter Seruator quem tu imitare atque æmularis, non ſumit pecuniam mutuam. reſpondit Muſonius ſubridens: Idem neque mutuò dat. Nam Rutilius fenus mutua danda pecunia quærens, ei exprobrabat quòd mutuã acciperet pecuniam. Inſana me herclè fuit hæc Stoici faſtus affectatio. Quid enim attinebat Iouem Seruatorẽ huc adduci, cùm ex iis quæ ſemper ante oculos ſunt licuerit ita monere: Hirundines, formicæq; non mutuantur, quibus neq; rationem, neq; manus, neq; artẽ natura dedit. Atqui homines abundantia quadam calliditatis, iuxta ſe alũt equos, canes, perdices, ceruos, graculos. Cur itaque animum ita deſpondiſti? dicerem, an minus ad perſuadendum habes graculo virium? an mutior es perdice? an cane minùs generoſus? ita vt à nullo homine ſperes poſſe te iuuari, ſi famuli, pædagogi, oblectatoris, cuſtodis, propugnatoris munus obeas? Nõ vides quàm multas terra, multas mare occaſiones & materias tibi tui alendi ſuggerat? Audi Cratetem:

Micylon hîc etiam uidi mala magna ferentem,
Vellera carpentem uxore adiutante miſella,

Alluditur ad Necyæ, 581.

Euitare famem ut possent ita tempore duro.

Cleanthem Antigonus rex cùm longo interpositò tempore vidisset Athenis, interrogauit: Etiam númue molis Cleanthe? Ego verò, (respondit ille) ô rex, ídq; vitæ tolerandæ gratia facio, facturus quidvis aliud, dum ne avellar à philosophia. En tibi ingentem viri animum, qui à pistrino & alueo pistorio digressus, ea ipsa manu, qua molam versauerat, aut farinam coquendo pani subegerat, de diis, Luna, Sole, sideribus scriberet? Atqui ista nobis videntur seruilia opera. Itaque ergo libertatis retinendæ causa æs alienum contrahentes, adulamur vernas, stipamus, cœnas præbemus, dona pensionésque damus: non hoc paupertate cogente, (nemo enim pauperi pecuniam credit) sed prodigalitate impellẽte. Nam si contenti voluissemus esse rebus ad vitam necessariis, tã non esset feneratorũ genus, quàm nõ est Centaurorũ aut Gorgonũ. Cęterùm luxus vt aurarios argẽtariósq; fabros, & vnguentarios ac precioſorũ colorum tinctores, ita feneratores etiam produxit. Nõ enim panis aut vini precium debemus: sed prędiorum, mancipiorum, mulorum, tricliniorũ, mensarum, & ea quæ effusè in publicum faciendo sumtu, aut ambitiosè invtilitérq; magnificentiam affectando prodegimus. Iam qui semel involutus est debitis, is semper manet obæratus, alium ex alio sessorem frænati in modum equi susciplens. Neque datur effugere in pascua illa & prata: sed vagantur sicvt illi Empedoclei dæmones siue genii, deorum ira impulsi ac cœlo deturbati:

Aetheris hos almi uis in maris abiicit undas:
In terram eructat pontus: Titanis ad orbem
Subuectat tellus: in uasta uolumina magni
Aetheris impellit Titan.—

ita alius ex alio excipit fenerator aut negociator: iam Corinthius, modò Patrensis, mox Athenienſis: donec

donec ab omnibus oppressus vi fenorum, tandem dissipetur, ac in minutias quasi discerpatur. Sicvt enim qui in cœnũ lapsus est, aut surgere debet, aut manere: versans autem ac volutãs se madefacto corpore maiorem in se contaminationem recipit. sic in versuris soluendis debitores alia super alia contrahentes debita, magis magísq; sensim grauantur, ac persimiles fiunt bile flaua laborantium: qui curationem nullam admittentes, tantummodo id quod erant iussi egerentes, deinceps amplius cholerę colligere pergunt. nam eodem modo hi quoque expurgare malum nolunt, sed singulis anni portionibus cum dolore & adflictatione fenus pendentes statim imminente soluendi alterius tempore, rursum nausea & capitis grauedine vexátur, cùm debuerint semel omnibus excusis id genus oneribus integros se ac liberos præstare. Iam enim ad locupletiores istos mea, & molliores se convertit oratio, qui dicerent: Ergóne seruis carebo, & ædibus domóque? quod perinde est, ac si infirmus & intercute aqua tumens medico diceret, Ergo gracilem me vis inanémque fieri? responderit sanè medicus, Quíd ni, vt sanitatem recuperes? Tu quoque, inquam, seruis care, ne seruias: & possessionibus, ne ab alio possidearis. Atque adeò fabulam de vulturibus audi. Vomente vno, & eiicere se intestina dicente, alter adstans, Quid, inquit, mali est? non enim tua egeris viscera, sed cadaueris quod recèns laniauimus. Ita etiam æs habentium alienum quilibet non suam vilam, non domum vendit suam: sed creditoris, quem sibi dominum iuxta leges ipse fecit. At dices meherclę, Agrum hunc mihi pater hæreditariò reliquit. Etiam libertatem is tibi & dignationem tradidit, quarum rerum maior est ducenda ratio. Idem pedem & manum tibi fecit: sed si quid horum computrescat, mercede conducit qui abscindat. Vlisi verò Calypso circumdederat vestes fragrantes diui- Odyss. 264

num odorem, sui amoris monimentum. Verùm vbi de rate in profundum præcipitatus ægrè emersit veste madente ac graui facta: exuit eam atque abiecit, nudúmq; pectus vittæ cuidam insternens

Ibid.439. *In terram enauit.*— seruatúsq; è mari, neq; veste neq; cibo deinde caruit. Quid? an non etiam debitoribus tempestas oboritur, cùm interiecto temporis spacio fenerator invadens, Persolue inquit?

Ibid.291. *Sic fatus, nimbos conduxit cærula turbans.*
Vnà Eurusq; Notusq; ruunt, Zephyriq; tumultus:

fenora super fenora illuuie obruentibus. & qui sic obruitur, is reluctatur quidem aggrauantibus: sed cùm non possit enatare, in fundum deprimitur, atque vnà cum amicis qui suam pro eo obligauerunt fidem pessundatur. Contrà Thebanus Crates, cùm nemo ab ipso exigeret, cùm nemini quicquam deberet, ipsam rei familiaris dispensationem, curásque & occupationes aversatus, ré IIX talentûm deseruit, sumtísque palliolo & pera ad philosophiam & paupertatem confugit. Anaxagoras agrum ouibus pascendum reliquit. Sed quid necesse est hos commemorare? quando etiam Philoxenus odarum conditor in colonia Sicilienſi hæreditatem, rem, domûq; adeptus, cùm videret luxuriam, luxum, & insciti am vulgo obtinere, Me hercle, inquiens, bona hæc me non perdent, sed ego ista: relicta aliis hæreditate ex insula soluit. At qui debent, dum exiguntur, tributum postulantur, seruiunt, adulterina moneta circumueniuntur, omnia ista perferunt, atque tolerant: instar Phinei harpias quasdam alatas nutrientes, diripientes suum victum alieno tempore, & frumentum ante messem vendentes, oleum antè quàm oliuę decutiantur, vinum ante vindemiam. Emtor ait tanti se habere, & notari precium iubet, interim adhuc pendente vua, & viti adhærente, atque Arcturum exspectante.

PLV-

PLVTARCHI
Quæstiones Platonicæ.

QVIDNAM rei hoc est, quòd Socratem Deus aliis obstetricis ministerium præstare iussit, ipsum gignere prohibuit? Sic enim in Theeteto ipse loquitur, non vtique suo more ludens & iocans: neq; enim *Socratis ratio philosophandi.* adhibuisset dei nomen dicto nõ serio. Et alioqui Plato eo in libro multa arroganter ac per iactantiam dicta Socrati tribuit. de quibus etiam hoc est. Multi enim, ô lepidum caput, eo sunt erga me animo, vt parati sint illicò mordere, quoties aliquid delirij eis adimo: putántq; ductũ benevolẽtia hoc me facere. admodum quippe ignorant neminẽ deum malè vel le hominibus, ac proinde me quoq; nihil horũ malevolentiæ impulsu facere: sed quia nefas ducã mendacio assentiri, aut veritatem obruere. Núm nam igitur suam naturam, vt maiore iudicij vi ac fecunditate præditam, dei nomine affecit? sicvt Menander:

Nam mens nobis Deus est.—

& Heracletus: Ingenium hominis numen. Aut diuina aliqua causa, geniúsq; aliquis Socrati hunc philosophandi morem præcepit? vt semper alios examinans, fastu eos & errore atque arrogantia, quibus rebus primùm sibi ipsis, deinde etiam vnà agentibus erant molesti, liberaret. Ea enim tempestate quasi fortuna quadam sophistæ in Græcia proveniebant frequentes, quibus adolescentes multum pendentes pecuniæ, implebantur doctrinæ ac sapientiæ opinione, studióque disputandi certatim: quod genus disputationis invtilibus contentionibus ociũ tempúsque conterebat, neq; pulcri aut vtilitatis quicquam habebat. Socrates autem ratione differendi

ad redarguendum appositа instructus, eáque tanquam purgante vtens medicamento, eo fidem sibi autoritatémque comparabat, quòd alios refellens nihil ipse affirmabat: & admittebatur faciliùs, quia vnà quærere veritatem, non suam opinionem defendere videbatur. Nam iudicium, res pervtilis, impeditur familiaritate. amantem enim res amata cæcum facit: de his autem quæ nostra sunt, nihil perinde amamus atque opinionem & orationem à nobis fictam. Etenim quæ iustissima dicitur liberûm diuisio, hìc fit iniustissima. isthic enim suam quisque prolem debet accipere: hìc teneri debet quod est optimum, etiam si alienum sit. quo fit, vt qui ipse gignit opiniones, eo deterior sit alienarum iudex. ac sicvt sophista ille dicebat Eleos optimos fore Olympicorum certaminũ arbitros, si nemo Eleus certaret: ita qui de disputatione aliqua rectè volet pronunciare, par est ipsum non ambire coronam, neq; aduersari iis quæ sunt diiudicanda. quippe & Græcorum duces suffragia ferentes de his qui rem optimè gessissent, seipsos singuli optimos pronũciarũt: neque vllus est philosophus qui non eodem egerit modo, extra eos qui Socratis exemplo professi sunt nihil se de suo dicere. atque hi soli puros se & incorruptos iudices veritatis præbent. Nam sicvt aer in auribus contentus si non tranquillus sit propriæq; vocis expers, sed sonitus ac fremitus plenus, nõ accuratè excipit uoces: sic in philosophia iudicium, si intus sit quo cómoueatur & quod obstrepat, rectè * intelligere nequit ea quæ foris dicũtur. Domestica enim & nobiscũ habitans opinio, si optimè cum ea agatur, à philosophia regitur atq; constituitur: reliquæ omnes à veritate aberrant. Præterea si compræhendere homo ac pernoscere nihil potest, haud iniuria deus Socrati interdixit procreatione falsorum ac instabilium sermonum, qui instar zephyriorum ouorum essent: aliis autem dicere eum coegit,

Iudiciũ de philosophia ut instituendum.

git, vanis eos duci opinionibus. Nam haud exigua, sed maxima vtilitas erat eius orationis, quæ hominẽ maximo malorum vanitate opinionis liberaret.

Non Æsclepiadis hocce deus dederat.

non enim corpori medicinam faciebat Socrates, sed animum occulto vitio expurgabat. Quòd si veritatis aliqua est scientia, vnica autem est veritas: nõ minus fert eo qui eam invenit is qui ex inventore eam discit. is autem faciliùs assequitur veritatem, qui nõ persuadet sibi se habere: & ex omnibus optimum delegit, sicvt is qui nõ genuit, optimum adoptat. Quin & hoc considera, reliqua omnia nullius fuisse momẽti, poẽmata, mathemata, orationes arte compositas, sophistarum decreta: quæ gignere Socratem numen prohibuit. quam verò solam is existimabat sapientiam, & amatoriam appellabat, dei & mente percipiendæ naturæ nimirum cognitionem, eam non gigni ab hominibus, nõ inveniri, sed in mentẽ revocari. Qua propter nihil docuit Socrates, sed principia dubitãdi tanquam dolores partum præeuntes adolescentibus suggerẽs, exsuscitauit atq; vnà confirmauit insitas notitias. idq; artẽ obstetricandi appellauit, quæ non (vt alij profitebantur) intelligentiam extrinsecus ingereret auditoribus, sed demonstraret eam in ipsis insitam, imperfectam tamen, atq; confusam, & alumni egentem esse.

II. *Deus quatenus à Platone Timæo.*

Cvr supremum Deum omnium patrem & opificem appellauit? An deorum qui creati sunt & hominum pater est, vt Homerus vocat: brutorum autem & anima carentium opifex? Non enim agri pater, si Chrysippo credimus, is dicitur qui eum conseuit, quanquam è semine deinde fruges nascantur. * sed vsus est translatione more suo, & autorem mũdi patrem eius nominauit: sicvt in conviuio Phædrum patrem amatoriæ disputationis, quam is introduxerat: & in Phædro Lyciam, quo initium præbente multa ac præclara de philosophia erant disputata. Aut in-

tereſt aliquid inter patrem ac opificem, procreationem & ortum? ſicvt enim quod procreatum eſt, id omnino etiam ortum eſt, non viciſsim: ita qui genuit, is etiã fecit. ortus enim animati, eſt procreatio. Tum opus ab opifice confectum, vt ædificatore, textore, lyræ fabro, aut ſtatuario, prorſus ab autore ſuo abſcedit. vis autem & principium procreãtis, inſita eſt progeniei, eiúſq; cõtinet naturam, portiũcula quędam à genitore avulſa. Quando itaq; mundus nõ effictis aut compactis operibus ſimilis eſt, ſed magna ei ineſt pars vitæ atq; diuinitatis, quam à ſe deus materiæ inſeruit atque admiſcuit: haud iniuria iuxtã & pater mũdi, qui viuens exſtitit, & opifex appellatur. Hæc cùm maximè ad ſententiam Platonis accedant, conſidera an & hæc probabiliter dici poſsint. Cùm mundus conſtet è duabus partibus, corpore & anima: corpus quidem non genuit deus, ſed à materia exhibitum conformauit ac concinnauit, ſuis terminis ac figuris devinciens definiensq; infinitũ. anima autem mentis, rationis, concentúſque particeps, non opus modò, ſed & pars dei eſt, neque ab ipſo facta, ſed de ipſo & ex ipſo exſtitit. Itaque in repub. vniuerſo comparato lineæ in partes inæquales duas ſectæ, vtranque rurſum in duas eadem proportione partes diuidit, & cùm eorum quæ videntur, tum eorũ quæ mente ſola percipiuntur genera conſtituit. eorum quæ mente cernuntur prius genus quod complectitur primas formas, alterum mathematicum: eorum quæ ſentiuntur prius quod continet ſolida corpora, ſecundum quod viſa & imagines eorum. Vnicuique porrò horum generum ſuam vim qua perciperetur atque iudicaretur adſignauit. primo mentem, mathematico intellectum, ſenſilibus fidem, ſimulacris & viſis coniecturam. Quid autem voluit ſibi, cùm Vniuerſum in partes inæquales diuideret? & vtra maior eſt, ſenſilis an menti expoſita? ipſe enim non explicauit hoc. ſtatim autem appa-

Fine libri ſexti.

rapparet, quòd ſit maior portio ſenſilis. Nam diuiſionem non admittens, eodémq; ſemper modo habens natura rerum ſub mentis adſpectum cadentium in arctum contracta eſt & pura. ea quæ diſſipari circum corpora poteſt & hincinde vagari, ſenſilem partem præbuit. Iam quod corpore vacat, ſuo continetur termino. corpus materiæ ratione infinitum eſt atque immenſum: cùm ſenſile fit, participanda mente definitur. Præterea ſicvt ipſarum rerũ ſenſilium quævis complures habet imagines, vmbras, & ſimulacra, & vniuerſè ab vno exemplari permulta exempla fieri natura atque arte poſſunt: ita neceſſe eſt quæ hîc ſunt, multitudine iis quæ iſthic ſunt præſtare de Platonis ſententia, qui ſenſilium rerum tanquam formarum in materia expreſſarum ſpecies (ideas ipſe vocat) & exẽplaria eſſe notiones mente conceptas ſtatuit. Cæterùm mens vnum genus idearum quod omiſſa corporis conſideratione abſtrahitur à materia concipit: quod ad mathema- *Mathemata.*
ta pertinet. ea ab arithmetica ad geometriam, hinc ad aſtrologiam, denique ad muſicam ſeu harmonicam deducit. nam geometricæ fiunt res magnitudine ad numerum accedente, ſolidæ accedente magnitudini craſsicie, aſtrologicæ cùm mouentur ſolida, harmonicæ vbi motum ſequitur ſonus. Quo fit vt ſi vocem motis, motum ſolidis, craſsiciem ſuperficiebus, magnitudinem quantis adimamus, iam in ipſis ſimus menti expoſitis ideis, quæ invicem nulla differentia diſcernuntur ratione Vnius & Solius. Non enim numerum vnitas efficit, niſi infinitum ſi attingat binarium. ſic facto numero, ad puncta, tum lineas, deinde ſuperficies, craſsicies mox corpora, & qualitates corporum affectorum progredimur. Porrò autem quæ mente cernuntur, vnicum habent quo iudicentur, mentem. Intellectus enim mens eſt in mathematicis, ſicvt in ſpeculis ex apparentibus formis ſolamente cernendis. Ad

corporum verò cognitionem ob multitudinẽ quin-
que nobis sensus natura dedit qui de iis iudicẽt. ne-
que tamen hi omnia deprehendunt, multis sensum
ob sui exilitatem subterfugientibus. At enim quan-
quam quisq; nostrûm animo & corpore constat, ta-
men vis princeps mentis exigua latet in magna cor-
poris mole. Eodémq; modo in Vniuerso res habet
cum formis menti & sensibus expositis. nã quas mẽs
videt formas, eæ sensilibus præsunt. principio autem
cuivis plus in eo est, & maius id, quod ex se habet.
* Contrà autem aliquis dicet, primùm nos sensilia mẽ
te percipiendis comparando, quodammodo morta-
lia diuinis exæquare. Deus enim est ex iis quæ mens
considerat. Deinde vbiq; id quod continetur con-
tinente minus est. At Vniuersi natura eo quod men-
te videtur sensilia continet. deus enim animam in
medio positam per omnia extendit, eiq; foris cor-
pora circundedit. Videri autem non potest anima,
neque vllo alio sensu percipi, vt in Legibus dictum
est. itaq; & vnusquisq; interitui obnoxius est, mun-
dus nequaquam interibit. Nam quivis nostrûm in-
tus vitalem vim mortali ac dissolubili corpore con-
tinẽt. in mundo contrà à principe parte & semper
eodem modo se habente, corporea perpetuò cõser-
uatur natura in medio sita. Et verò diuersis modis
sensile & sola mente perceptibile dicũtur indiuidua
esse, nullámque admittere partitionem. illud ob exi-
guitatem, hoc ob simplicitatem ac sinceritatem, &
quod omnis priuationis expers est atq; differentiæ.
Quin & alioqui stolidum est corporeis rebus iudi-
care de incorporeis velle. Nam nunc indiuiduum di
citur, & quod in partes scindi nequeat, simul tamen
vbiq; instat, neq; eo vlla mundi pars vacat: sed & af-
fectiones omnes, & actiones, interitúsque & ortus
eo, quod Nunc dicitur, continentur. Quod autem
mente percipitur, de eo sola mens iudicat, sicvt so-
lus visus de luce, ob simplicitatem & similitudinem.

Corpora

Corpora autem cùm varias habeant differentias &
diuersitates, aliàs aliis iudicandi instrumentis perci
piuntur. Cæterùm ne hoc quidem rectè, quòd men-
tem cuius vis in nobis intelligit atque intelligitur,
despiciunt: quæ cùm sit magna atq; multa, comple-
ctitur omnia sensilia, & vsque ad res diuinas pertin-
git. Id verò maximum est, quod ipse in Conuiuio do
cens quo pacto amatoriis vti debeamus, animum à
sensilibus bonis ad ea quæ sola mens cernit tradu-
cendo, hortatur nos, ne vllius corporis, studij, aut
scientiæ pulcritudini addicti seruiamus: sed abiecta
ista pusillanimitate ad vastum pulcritudinis mare
nos convertamus.

III. *Anima corporis principium. Timæo & Legum X.*

Qva de causa Plato, cùm semper animam dicat
corpore antiquiorem, eíque ortus principiũ & cau-
sam, tamen dicit neque animam exstitisse sine corpo
re, neque mentem sine anima, sed animam in corpo-
re, mentem in anima? sic enim videbitur corpus & es
se & non esse, quod & simul cum anima exsistat, &
ab anima gignatur. An verum est id quod sæpe dixi-
mus? Scilicet mentis expers anima, & corpus insor-
me semper simul fuerunt, neutrúmq; eorum ortum
habuit aut principium. Postquam autem anima men
tem & harmoniam participauit, atque ob concentũ
sapiens facta mutationem materiæ intulit, suisque
motibus superior motiones eius ad se traxit atque
convertit: ita corpus mundi ab anima principiũ du-
xit, eíque conforme & simile est factum. Non enim
ex seipsa naturam corporis est fabricata anima, neq;
ex nihilo: sed ex incomposito & informi corpore cõ
ditum atq; obtemperans redegit. Ergo sicvt is, qui
diceret semper vim seminis esse cum corpore, tamẽ
corpus ficus aut oleę à semine factũ, nihil diceret dis
sonans: (ipsum quippe corpus motus & mutationis
principio à semine indito sic natũ est atq; pullulauit)
ita informis & indefinita materia ab insita anima cũ
formaretur, talẽ formã atq; dispositionem accepit.

IV. *De figuris & corporib. elementorũ. Timæo.*

CVR, cùm corpora & figuræ partim circulis, partim rectis lineis contineantur, rectilineorum principia ſtatuit triangulum æquilaterũ & inæqualium omnium laterum (qui ſcalenus dicitur) quorum illud cubum confecerit, terræ elementum, hoc pyramidem, ac octo & viginti baſium corpora, ignis, aëris, & aquæ primordia: circularia autem omnino omiſit, quanquam globi mentionem feciſſet, vbi dictarum figurarum à quavis rotundum corpus ait poſſe in æqualia diuidi? An vera eſt eorum ſententia, qui eum dodecaëdrũ, id eſt duodecim laterum corpus, globo adſcripſiſſe dicunt, cùm ait deum eo vſum in expingenda Vniuerſi natura? Etenim corpus XII baſium multitudine laterum, angulorúmq; amplitudine recti naturã ſubterfugiens, flexile eſt, & circùm extendendo, ſicvt globi è duodecim pellibus compacti, circulum imitatur, ac multa complectitur. Habet enim XX angulos ſolidos, quorum quivis tribus planis obtuſis continetur, ſingulis rectum & eius quintam partem continentibus. Compingitur autem atque concinnatur ex duodecim quinquangulis æquilateris atq; æquiangulis: quorum quodvis conſtat è triginta primis ſcalenis. itaque videtur ſimul & Zodiacum & annum repræſentare, quòd in æquales cum illis numero portiones diuidatur. An quia ordine naturæ rectum circumferentiæ antecedit? aut potiùs circumferentia accidens quodpiam recti eſt omnino. flecti enim dicitur rectum, & circulus deſcribitur è centro, certa inter id & circumferentiam intercapedine, quæ rectam lineam capit, & ſui menſuram habet. vndiquaque enim circumferentia à medio æquè diſtat. Tum conus quoq; (ſiue turbinem mauis dicere, ſiue metam, nihil moror) conus inquam & cylindrus à rectilineis propagantur. ille ſi fixo latere vno trianguli, reliqua in orbem circumagantur: hic, ſi idem parallelogrammo contingat. Et quando principio id eſt pro-

eſt propius, quod eſt minus: minima vtique eſt omnium linearũ recta, vtpote ſimplex. cùm in circumferente aliud ſit concauum, aliud cõvexum. Præterea numeri figuris ſunt priores, ſicvt & vnitas prior pũcto. quod eſt vnitas in poſitu conſiderata. At verò quævis vnitas, triangulus eſt. Nam omnis triangulus numerus, ſi octies ſumtus vnitatẽ adſciſcat, quadratum exhibet: éſtq; hoc ei cum vnitate commune. Prior ergo circulo eſt triangulus: ac proinde etiam recta circumferentem antecedit. Iam elementum nullum in ea diuiditur, quæ ex ipſo ſunt compoſita: hæc in elementa reſoluuntur ſua. at triangulus non reſoluitur in vllam circumferentia comprehenſam figuram: circulum duæ diametri in quatuor diuidunt triangulos. ergo prius eſt rectilineum circulo, magíſq; elementi naturã habet. Sed & ipſe Plato oſtẽdit priore loco eſſe rectilineũ, circulum eius quaſi appendicem quandam & accidens. Vbi enim terram ex cubis conſtituit, quorum quivis rectilineis continetur ſuperficiebus: ait corpus eius globoſum fieri ac teres. Non itaq; opus fuit peculiare elementum rotundis ponere: quando etiam certo modo inter ſe concinnata rectilinea hanc figuram præſtare poſſunt. Adde, quòd rectæ lineæ ſiue magnæ ſint ſiue paruæ, eandem prorſus conſeruant rectitudinem: circulorum circumferentiæ quãto ſunt minores, tanto magis curuatæ atque arctatæ ſunt: quanto maiores, tanto laxiores. Inſiſtentes itaq; in ſuperficie cõvexa, aliæ in puncto, aliæ in linea, attingũt ſubiectas planas ſuperficies: vt ſuſpicari non nemo poſsit, à rectis paulatim multis compoſitis circumferentẽm lineam abſolui. Hoc autẽ vide, ne eorum quæ in caduca ſunt natura circularium & globoſorum, fortaſſe nihil ſit ex omni parte ſuo reſpondens nomini: ſub inſiſtentia & extenſione rectilineorum, aut exiguitate particularum latente diſcrimine, vt id quod non eſt, videatur rotundũ atq; te-

res. Itaque ergo caducorum corporum nullum circulari motu circũagitatur,sed ad rectã omnia lineã. Verè autem globosum esse,non est sensilis corporis, sed animæ & mentis elementum: quibus etiam circularem revolutionem,vt naturæ convenientem eorum,adsignat.

V. Quomodo in Phædro dicitur naturam alę,qua id quod graue est sursum evehitur, maximè eorũ fieri participẽ,quæ sunt circũ corpus dei? An quia de amore sermo est:amor aũt est pulcritudinis corpori inhærentis.pulcritudo aũt similitudine rerũ diuinarum mouet animũ,eiq; res in memoriã redigit? Aut potiùs absq; vlla curiosa interpretatione, verba simpliciter sunt accipiẽda.nempe qp multis animi facultatibus circa corpus occupatis, vis ratiocinandi & intelligẽdi maximè diuinã participet naturam: quã ille vim diuinarum ac cœlestium rerum capacẽ cùm dixisset,non absrealam appellauit, vt quæ animam ab humilibus & caducis rebus sursum evehat.

VI. Qua tandem ratione ait Plato motus circumresistentiam (hoc enim nobis sit antiperistasis) eò quòd nusquam quicquam sit inane, causam esse eorũ quæ eveniunt medicorum cucurbitulis,glutitioni, onerum iactationi,aquarum fluxui,fulminibus, succino & Herculeo lapidi res ad se trahentibus, & sonorũ consonantiæ? videtur enim absurdè tam multorum támq; diuersorum effectuum vna causa adferri. Nã quomodo ob circumresistentiam aëris respiratio fiat,ipse satis explicauit: reliqua omnia dicens mirabiliter effici, nihílque esse, atque ipsa sese invicem contrudere,& vicissim impellendo suas sedes petere,singula nobis explicanda reliquit. Primùm de cucurbitula res ita habet. Aër carni proximus ab ea cũ calore comprehensus & inflammatus, rariórque quàm sint aëris meatus redditus,excidit non in vacuum spacium (quod nullum est) sed in eum aërem qui foris ambit cucurbitulam, eúmq; impellit: is

Timæo.

Cucurbitulæ.

is ante se situm. atque ita semper aerem aer impellit cedentem, appetens succedere in locum vacuatum prioris cessione. sic autem aer accidens ad carnem a cucurbitula comprehensam, atque efferuescens, simul humorem in cucurbitulam elidit. Eadem est deglutiendi ratio. Cauitates enim quæ circa os sunt & stomachum, aeris sunt plenæ. cùm ergo cibus in eas deprimitur à lingua simul, & tonsillis intentis, elisus aer cedẽtem insequitur,vnáque cibum detrudit. Pondera autem iactata aerem scindunt,cum ictu incidentia,ac disipant.is autem retrò circumfluens,eò quòd eius natura est hæc vt vacuatum sequatur impleátq; locum, subinde impulsum insequitur,motúmque accelerat. Fulminum autem casus ipsi quoq; similes sunt iactationi. Ab ictu enim,qui in nube fit, ignea materia explosa in aerẽ exsilit,isq; contrà ruptus cedit, ac rursum in sese cõcidens desuper, vi deorsum & contra naturam fulmen deprimit. Electrum verò nihil eorum attrahit quæ ei apposita sunt,vt neque Herculeus lapis, neq; quicquã ad ea sponte sua adsilit. Sed lapis hic halitus emittit graues,quibus continens aer impulsus,cum qui ante se est trudit,isque in orbem agitatus,ac ad vacuatum revertens locum, vi vnà trahit ferrum. Electro quippiam inest flammeum aut spiritus habens naturam.atque hoc attritione superficiei recluſis meatibus emissum,idem agit quod magnes. trahit quippe secum proximorum corporum leuissima atque siccissima,ob tenuitatem & imbecillitatem. non enim ita validum est, neque grauitate impetúve præditũ, quo multum aeris impellere, & maioribus magnetis in morem vim facere possit. Cur vero neque lapidem aer,neque lignum,sed ferrum modò ad Herculeum promouet lapidem? hæc enim est quæstio communis & horum qui tractione lapidis,& eorum qui incitatione ferri existimant istorum corporum fieri coitionem. Ferrum neque adeò rarum est vt

Glutitio.

Fulmen.

Electrum.

Magnes.

lignum, neque ita solidum omnino vt aurum vel lapis: sed meatus habet quosdam & transitus atque asperitates, quæ ob inæqualitatē aeri proportione respondent: quibus efficitur vt non elabatur aer, sed sedibus quibusdam receptus, & à ferro moderatè reluctante comprehensus, cùm in id ad lapidem revertens incidisset, vnà secum rapiat atque perferat. *Fluuij.* Atque horum quidem hæc ferè est ratio. Modus autem quo aquæ per terram fluentes contrà aerem circumagunt, non perinde est evidens. Sed animadvertendum est lacuum ac paludum aquas immotas manere, quòd eis circumfusus est vndiquaque aer immobilis, & nullum vacuum præbens locum. Itaque ergo quæ in superficie est aqua lacuum & marium, turbatur atque fluctuat aere exagitato. sequitur enim statim eo locum mutante, atque ob inæqualitatem vnà defluit. Nam ictus qui infernè accidit, cauitatem fluctus efficit, qui supernè, grauitatem: donec considat & conquiescat humorem continens ambiénsque aer. Fluxus ergo aquarum, quæ ita feruntur vt subinde cedentem aerem insequantur, vicissimq; ab impulsu aduerso circumactis impellantur, absque fine continuantur. atq; hæc est causa, quòd fluuij aucti aquis celeriùs currunt: iidem tenues & cauo alueo tardiùs meant ob imbecillitatem, non cedente aere, neque magnam circumresistentiam percipiente. Sic & fontium aquas necesse est effluere, aere extrinsecus in loca vacuata succedēte in profundum, rursúmque aquam foras eiiciente. In domo etiam opaca & aerem ventúmve continente solum aqua conspersum edit spiritum aut ventum: quòd humori incidenti ictúmque afferenti aër è suis sedibus cedit. Ita natura comparatū est, vt mutuò se pellant, vicissimque cedant aer & aqua: quòd nullum est vacuum in quo alterum subsistens ab altero non moueatur. *Consonantia.* De cōsonantia ipse modum aperuit, quo soni concinunt. Sonus enim celer, fit acutus, tardus autem grauis. itaq; etiam sensum citiùs mouent acuti soni: quibus iam evanescentibus, vbi superueniunt graues, quod ex iis ob similem affectionē contemperatur, id voluptatem auditui adfert, quæ concentus dicitur. Facilè autem ex iis quæ antè dicta sunt intelligitur, horum instrumentum esse aerem. Quippe vox est ictus audientis sensus per aures ab aere illatus. icit enim aer à mouente re ictus: quod mouens si vehemens fuit, acutè: si languidum, molliusculè. & quidem vehemens ictus ac contentus ad aures celeriùs áccidit: deinde aer circumiens & ictum assumens tardiorem, assequitur & secum ducit sensum.

VII. *Terræ anima & motus.*

Quomodo ait Timæus animas in terram, Lunā, & quę alia sunt instrumenta temporis dispersas esse? An hoc modo moueri statuebat terram, quo Solem, Lunam, & quinq; planetas, quos conversionum causa appellat instrumenta temporis? & oportuit terrā devinctam circa axem Vniuersi, non ita fabricatam intelligi, vt vno contento loco maneret, sed quæ cō verteretur & circumageretur? postmodò Aristarchus & Seleucus ostenderūt. Sanè hoc ille ita vt poneret tantùm, hic etiam pronunciās. Theophrastus porrò etiam id narrat, Platonem iam natu grandem pœnitentia fuisse ductum, quòd terram in medio Vniuersi non suo loco collocauisset. An verò his repugnant multæ aliæ haud dubiè probatæ Platoni sententiæ? Mutata igitur scriptura, datiuus chrono, pro genitiuo chronu legendus videtur: vt intelligas non sidera, sed animalium corpora appellari instrumenta. quo modo Aristoteles animam definiuit actum corporis naturalis instrumentis prædíti ac facultate vitæ. Talis ergo fuerit sententia: animæ incongruentia ipsis & instrumentis prædita corpora in tempore sunt dispersæ. Sed & hæc aliena est opinio. Non enim semel, sed sæpius stellas instrumenta temporis appellauit: quando etiam ipsum Solem ait

cum reliquis errantibus ſtellis factum ad definiendos & cuſtiendos temporis numeros. Optimum igitur fuerit ſic accipere, dici terram inſtrumentum tẽporis, non quæ itidem vt ſtellæ moueatur: ſed quòd ſuo ipſa ſemper in loco manẽs, iis motu cuiq; ſuo citatis ortuum & occaſuum cauſa ſit: quibus primæ tẽporum menſuræ dies & nox definiuntur. itaq; cuſtodem eam, & veracem noctis dieíque artificem dixit. Etenim horologiorum quoq; gnomones non quia vnà cum vmbris locum mutent, ſed quia ſuo in loco perſiſtant, inſtrumenta ſunt dimetiendi tẽporis: eóque terrã imitantur, quæ Solis infra ipſam delati lumen intercipit. Sicvt ait Empedocles:

Noctem terra facit, dum lucem intercipit almam.

Hoc ergo hanc habet expoſitionem. Id verò magis adhuc ſuſpicetur non nemo dictum eſſe præter probabilitatem atque adeò abſurdè, Solem & Lunam ac planetas factos eſſe ad diſtinctionem temporis. *Sol. lib. V I. prope finem.* Nam cùm aliàs magna eſt Solis dignitas, tum ab ipſo Platone in Republica vocatur rex dominúſq; omnis ſenſilis naturæ, ſicvt Bonum naturæ ſola mente cernendæ. nam Boni ſoboles dicitur, viſilibus rebus hoc dans vt & ſint & cõſpiciantur: ſicvt res quę mente videntur ſola, id à Bono habent, vt ſint & intelligantur. Eum igitur deum, tali natura tantáq; potentia, inſtrumentum temporis, ac conſpicuam menſuram diſcriminis, quòd ratione tarditatis ac celeritatis octo orbibus inter ſe intercedit, non admodum dictu decorum ac probabile videtur. *Tempus quid.* Reſpondendum eſt, eos qui his rationibus turbantur, ignoratione labi, quòd putant tempus menſurã eſſe motus & numerum ſecundũ prius ac poſterius, vt Ariſtoteles dixit: aut quantitatem in motu, vt Speuſippus: aut intervallum motus, aliud nihil, vt Stoicorum nonnulli. ab accidente ſcilicet rem definientes, naturam autem eius & vim non perſpicientes. Quã quidem Pindarus nõ ineptè videtur intellectã protuliſſe his verbis: Ad

Ad tempus, quod omnibus præſtat cœlitibus.

Pythagoras quoq; interrogatus quid eſſet tempus, Animam Vniuerſi reſpondit. Non enim affectio aut accidens cuiuſvis motionis eſt tempus: ſed cauſa, vis, & principium omnia orta continentis concinnitatis atq; ordinis, quo natura Vniuerſi mouetur, animata ea: aut potiùs ipſa cùm ſit motus & ordo ac concinnitas, tempus dicitur. omnia enim mortalia iuſtè temperat, viam abſque ſtrepitu ambulans ſuam. Etenim anima ſecundum antiquos, numerus eſt ſeipſum mouens. itaque etiam Plato ait tempus vnà cum cœlo exſtitiſſe, motum ante cœli ortũ fuiſſe, tempus non item. neque enim ordo tum erat, neque menſura, neq; definitio: ſed motus infinitus, tãquam informis & rudis materia temporis. quæ motio cùm deinde figuris materiam, motum converſionibus ſeu circuitionibus informaſſet, ex altero mundum, ex altero tempus fecit. Haud iniuria autem ambo hæc deo tribuuntur: ſubſtantiæ mundus, æterni tati tempus in motu: ſicvt in ortu mundus eſt deus. Itaq; ſimul orta cœlum & motum ſimul ait deſitura, ſiquidem eis interitus áccidat. Fieri enim nõ poteſt, vt quod ortum eſt, abſq; tempore ſit, vt neq; ſine æternitate id, quod mente ſola percipitur: quando id ſemper manere debet, illud ortum nunquam diſſolui. Adeò itaque neceſſariam cum cœlo habet complexionem & compagẽ tempus, non ſimpliciter motus, ſed (vt diximus) motus ordinatus, menſura ſua, finibus, & revolutionibus contentus, quibus præfectus Sol cùm ſit, eorúmq; inſpector, vt definiat, temperet, producátq; in lucem mutationes & diſcrimina temporum, quæ, vt Heracletus dicebat, omnia ferunt: non vilibus aut exilibus, ſed maximis ac præcipuis ſummámq; continentibus in rebus principi ac primo deo operam nauat.

IIX.

De animæ facultatib.

Cùm Plato in Republica de animæ facultatibus diſſerens, conſonantiam rationis, eius in qua irarum

Universidad de Deusto Biblioteca

Ex fine quinti. ardores exsistunt, & concupiscentis optimè cõpa-
rauerit concentui imæ, mediæ & supremæ chordæ:
haud abs re dubitauerit aliquis, rationémne an ve-
rò iracundiæ capacem vim in medio collocauerit.
neq; enim id ibi expresè significauit. Sanè facultā-
tum ratione loci facta dispositio, irascentem mediæ
chordæ loco ponet, rationem summæ, quam Græci
hypaten vocant. Antiquitùs enim primum & supre-
mum ij hypaton dicebant. ita etiam Xenocrates Io-
uem in rebus immutabilibus hypatum vocat, imum
Odyss. α, 45. in iis quæ sunt infra Lunam. & ante eum Homerus
principum principem deum vocauit ὕπατον κρειόντων.
Iustè autem natura præstantissimam partem summo
statuit loco, ratione gubernatoris instar in capite
collocata: longè autem hinc, & vltimo atq; infimo
loco posuit concupiscentem vim. vnus enim locus
nete & neatos vocatur: quod ex mortuorum appel
lationibus patet, qui νήρτεροι & ὕστεροι dicuntur. quidā
etiam ventum, qui ex imo & obscuro loco spirat, in-
de Notum vocari autumant. Quo itaque modo vl-
timum primo, imum summo opponitur: cùm se cō-
cupiscentia habeat eodem modo ad rationem: non
potest ratio summum esse & primum, non etiam su-
* premum, sed aliud. Qui autem ei medium locum, vt
principem, tribuunt, ignorant se ei præstantiorem
adimere. nempe summum, qui neq; irascenti tribui,
neque concupiscenti potest facultati: cùm vtriusq;
ea sit natura, vt regi & obsequi rationi possit, neu-
trius vt ei imperet. Magis etiam ita videbitur com-
paratum natura, vt irascendi vis in medio constitua
tur reliquarum. Nam rationis quidem ea est natura,
vt imperet: irascendi facultatis, vt & regat & regā-
tur. cùm & pareat rationi, & compescat coerceatq;
concupiscentiam rationi non obedientem. Ac sicvt
litteræ eæ quæ semivocales dicuntur, mediæ sunt
inter mutas & vocales, quòd his minus, iis plus ha-
bent: ita in animo hominis irascendi facultas, non
intem-

intemperatè patiendi potestatem habet tantùm, sed
sæpe admixtam honesti imaginem, cùm ratione ad *
vlciscendum fertur. Ipse Plato cùm animam pari In 4. Pha-
equorum cognato & aurigæ contulisset, aurigam dro.
(quod neminem fallit) rationē facit. de equis eũ qui
concupiscendi vim refert, omnino contumacem &
refractarium, hirtum circa aures, surdum, & qui vix
flagello stimulísque pareat. irascentem verò par-
tem fræno facilè obsequentem rationis, eiúsque ad-
iutricem. Sicvt ergo in bigis non auriga est virtu-
te & potestate medius, sed equorum alter deterior
rectore, idémque iugali suo melior: ita in anima Pla
to non principi parti medium locum tribuit, sed ei
facultati quæ minus rationis habet quàm princeps
pars, plus quàm tertia. Hic ordo etiam consonan-
tiarum proportionem conseruat. cùm irascendi fa-
cultas mediæ chordæ vicem gerens ad rationē vel-
vti hypaten siue summam, referat diatessaron, (quar
tam vulgò dicunt) ad concupiscentiam verò, vtpo-
te quæ neten seu imam chordam repræsentat, dia-
pente conficiat, quæ Quinta vsurpatur. ratio autem
ad concupiscentiam, tanquam hypate ad neten, dia
pason siue Octauam exhibet. At si medio loco ra-
tionem collocares, iam longiùs irascendi vim à vi
appetendi dimoueres: cùm nonnulli philosophorum
similitudine harum moti, iram cum cupiditate idem
statuerint esse. Quid, quòd ridiculum videtur pri-
mum, medium & vltimum locis describere? cùm vi-
deamus hypaten in lyra supremam, in tibia vltimam
habere sedem. & quocunq; loco mesen in lyra po-
sueris eodem modo contentam, eam acutiùs hypa-
ta, grauiùs neta sonare. Sanè oculus non in omni-
bus animalibus eundem obtinet locum: vbicunq;
autem situs sit, hoc à natura habet vt videat. Præ-
gogus etiam non præcedens, sed à tergo sequens,
ducere dicitur. & Troianorum ille ductor ex-
ercitus

Iliad.λ,64. *Nunc inter primos cernendus prælia obibat,*
Nunc acies inter postremas imperitabat.

vtrobique tamen primus erat, & primaria potentia pollebat. Eodem pacto animæ facultates non loci ratione in ordinem cogendæ sunt: sed vires & proportio examinandæ. Quòd enim ratio in corpore hominis principe loco ineſt, id per accidens fit. Primam autem atq; primariam vim tanquam mesa ad hypatam, ad partem appetentem, & vt ad netam ad partem irascentem habet ratio: quatenus vtranq; & laxat & intendit, omninóq; consonantiam eorum efficit, vel auferendo id quod est nimium, vel nó sinendo eas planè luxari atq; torpere. moderatum enim & concinnum quod sit atq; proportione respondẽs, mediocritate definitur. Immò autẽ hoc imperfectũ est, rationis facultatis mediocritates in animi affectionibus facere, quas sacras vocant substantias, extremorum ad rationem, & inter se ratione temperaturam habentes. Non enim in bigis medio loco habetur iumentorum præstantius: neq; summo loco ponenda est aurigatio, sed mediocritas in inæqualitate celeritatis atq; tarditatis equorum. quomodo rationis vis corripiens absurdè concitatos affectus, & ad se accommodans inq; modum redigens, mediocritatem inter nimium & parum constituit.

IX. Cur dixit Plato orationem è nominibus & verbis temperari? Omnes enim aliæ partes orationis præter has nihil fierent. Iuuenili quidem studio quodam Homerus omnes in hunc versum coniecit:

De partib. orationis. In Sophista.

Iliad.α, 185. Αὐτὸς ἰὼν κλισιόνδε τὸ σὸν γέρας, ὄφρ' εὖ εἰδῇς.

nam pronomen, participium, nomen, præpositio, articulus, coniunctio, & adverbium ac verbum in eo sunt: particula δὲ loco præpositionis εἰς posita: cum κλισιόνδε tale sit, quale est Ἀθήναζε. Quid ergo pro Platone afferemus? Nempe antiquos ab initio id ora-

orationem siue λόγον appellasse, quod enunciatum hodie, id est protasis aut axioma Græcis dicitur: quòd scilicet primum vbi effertur, veritas in eo vel falsitas ineſt. Ea verò oratio è nomine & verbo constat: hoc prædicatum, illud subiectum dialectici appellant. Cùm enim hæc audimus, Socrates philosophatur, Socrates mutatur: nihil præterea desiderantes, alterum verum, alterum falsum esse dicimus. Apparet nempe homines ab initio ad hoc orationẽ & vocem articulis distinctam desiderasse, vt & actiones & qui eas agerent, itémq; affectiones & qui iis afficerẽtur invicem significare & explicare possent. Quoniam igitur actiones & affectiones verbo, qui agunt & afficiuntur nomine satis disertè exprimuntur, sicvt ipse inquit: hæc significare ideo videntur. Reliqua autem dixerit aliquis non significare. Verbi gratia, gemitus, & vlulatus histrionum, atq; adeò arrisio & reticentia interdum, faciunt vt maiore vi sermo aliquid exprimat: non tamen ita vt nomen & verbum necessariam habent significandi vim: sed adscitiam quandam, quæ orationem variet: quo pacto litteras variant, qui spiritus & quantitates litteris annotant, non litteras, sed affectiones potiùs, & accidentia atq; differentias litterarum. quod manifestum fecerunt veteres, quibus x i litteræ sufficerũt ad eloquenda & scribenda omnia. Porrò vide ne nó obseruemus Platonem dicere ex his, non per hæc orationem misceri: ac proinde, vt si quis dicat medicamentum è cera & galbano misceri, aliquis id calumniãs obiiciat ignem & vas omissa esse, sine quibus mixtio fieri nõ potuit: ita nos Platonem culpemus, quòd coniunctiones & præpositiones aliáq; id genus omiserit. Non enim ex his oratio, tamen eorum opera, neq; sine his confici videtur. Nam qui Verberare aut Verberari dicit, qui Socrates aut Pythagoras: is vtcunque aliquid intelligendum ac cogitãdum præbet. non item si quis Quidem, aut Enim,

seorsim pronunciet, licet concipere animo corporis aut rei alicuius notionem: sed nisi talia vocabula cũ nominibus & verbis efferuntur, inanibus sonis ac strepitibus similia sunt. nam neq; seorsim, neq; inter se cõiuncta illa quicquam notant rei: sed vt vt cõiungas inter se ac in vnum confundas coniunctiones, articulos, & præpositiones, conatus aliquid vnum ex iis facere, videbimur inanes sonos præcinere, non differere. Nomine autẽ cum verbo constructo quod componitur, illico iam oratio est. Itaq; non iniuria nonnulli has tantùm partes orationis ponunt. Atq; Homerus etiam fortasis hoc declarare voluit subin de dicens

Ilia. α, 361. —ἶπος τ' ἴφατ', ἐκ δ' ἀνέμαξιν.

Verbum enim voce ἶπος solet innuere, vt in his:

Ody. ψ, 193. Ω γύναι ἦ μάλα τοῦτο ἶπος θυμαλγὲς ἔφησε. &
Ody. θ, 408. Χαῖρε πάτερ ὦ ξεῖνε, ἶπος δ' ἔπιεφτε λίλιηται
Δμηνὸν, ἄφαρ τὸ φόβοιο ἀναρπάξασαι ἄελλαι.

Non enim coniunctio, aut præpositio, aut articulus cùm dicitur, animo dolor adfertur, sed verbum hoc Efficitur, actionem designans turpem à motu animi inepto profectam. Itaque etiam poetas & scriptores laudantes aut vituperãtes, solemus dicere, aliquem vsum verbis Atticis, bonis, aut contrà pedestribus. at talibus vsum articulis Thucydidem aut Demosthenem nemo diceret. Quid? inquies, nihilne reliquæ partes ad orationem conducunt? Respondeo sic conducere, vt salem ad obsoninm, aqua ad mazam. Euenus quoque ignem condimentorum optimum dixit * dicimus, neq; ignem neque salem rei elixæ aut cibi, quibus semper potimur: non sicvt oratio istis sæpe videtur nihil indigere. Id quod de Romana lingua dicere possum qua ferè omnes hodie homines vtuntur. Præpositiones enim paucis exceptis omnes sustulit, neque vllis omnino vtitur articulis, nisi sicubi eos tanquam fimbrias nominum adhibet. Neque hoc est mirum. quando etiam Homerus

merus heroici carminis ornatu omnibus superior, paucis nominibus articulos, tanquam poculis ansas, aut galeis cristas adiecit. Itaq; etiam notati sunt ij versus in quibus articuli exprimuntur. vt

Αἰαντι δ' μάλιστα δαΐφρονι θυμὸν ἔρινε
Τῷ Τελαμωνιάδῃ. — &
Πολὺν, ἔφρα τὸ νῶτος ὑπεικπροφυγὼν ἁλίεσσι.

& pauca horum similia. In allis infinitis articulus omissus neq; perspicuitati neque elocutioni quicquam detraxit. Et verò neq; animal vllum, neq; instrumentum, neq; armorum genus, neq; vlla denique alia res partis suæ alicuius sublatione fieri solet pulcrior, efficacior, gratior. Oratio coniunctionibus ademtis sæpe maiorem sortitur ad mouendum vim. vt in hoc

Ἄλλον γοὺν ἴχεσα νιφάτεον, ἄλλον ἄεσσα,
Ἄλλον τιθυκτῶτα κατὰ μόθον ἠλὲ πόλοιο.

Et ista Demosthenis. Multa facere potest verberãs, quorum aliqua percussus ne indicare quidem alij possit: figura, vultu, voce, quando contumelioscè agens, quando inimicus, quando pugnis, quando in malam. hæc mouent, hæc de statu rationis deturbant homines qui contumeliis non sunt adsueti. Itẽ. Quid? nónne Mædias ab hac ipsa die perorat, criminatur, clamitat? Si in suffragia mittitur populus, Mædias Anagyrasius obtruditur, Plutarchi publicus est hospes, arcana nouit, vrbs ipsum non capit? Hinc est quòd ea figura, qua coniunctiones omittuntur, valde ab iis commendatur qui artis oratoriæ præcepta scribunt. iidémque eos, qui nimis adstricti legibus ac consuetudini nullam prætermittunt coniunctionẽ, incusant vt ociosam languidámq; molestámq;, eo quòd omni varietate careat orationẽ efficientes. Iam res ipsa ostendit dialecticos, qui maximè coniunctionibus opus habent ad connexiones aut disiunctiones enunciatorum, ita eas vsurpare, vt iugo auriga vtitur & viminibus Vlisses ad oues Ody. ι, 427

In Midiã.

Cyclopis. non enim partem orationis aut compagē iſta vocabula, ſed colligandi inſtrumentum ſignificant, quod ipſa docet appellatio. neq; conſtringuntur iis omnia, ſed ea tantùm, quæ non dicuntur ſimpliciter. niſi velis etiam lorum oneris, & gluten libri partem eſſe, ac diuiſiones pecuniæ partem reip. gerendæ. quomodo Demades dixit, pecuniam, quæ populo ex ærario dabatur ad ſpectaculorum vſum, gluten eſſe popularis in republ. ſtatus. Quæ verò coniunctio ita ex multis vnum facit pronunciatum copulando atque connectendo, ut marmor colliquefactum igni ferrum conſtringit? neque tamen marmor ferri pars vel eſt vel dicitur. quanquam id quidem genus res, dum in liquata ſubeunt atque penetrant, & afficiunt & afficiuntur viciſsim. Coniunctiones ſunt qui cenſeant non vnum aliquid efficere, ſed eſſe recenſionem tanquam cùm ordine aliquot enumerantur, qui deinceps magiſtratum geſſerint. Porrò ad reliquas quod attinet orationis partes, pronomen manifeſtò nominis eſt ſpecies. non tantùm quia caſus habet eoſdem: ſed quòd quædam prolata, proprijſsimè id, quod antè definitum dicendo fuit, exprimunt. neque video quid amplius dicat qui Socratem, quàm qui nominatim hunc hominem dicat. Quod participium appellatur, mixtum quidpiā è nomine & uerbo, ipſum pro ſe nihil eſt, ut neq; communia femineorum & viriliū nomina. conſtruitur ergo cum nomine & cum verbo, temporum ratione verba, caſuum cauſa nomina attingens. Dialectici talia vocant ἀνακλάσεις, quaſi ſi refracta aut decerpta diceres: quia ſcilicet nominum & appellationum vim habent. vt cùm militantem pro milite, amātem pro amatore diceres. Præpoſitiones galearū criſtis, & baſibus atque ſubiicibus licet comparare: quòd non verba ſint, ſed circa orationem verſentur. Tu vide, ne fruſtis potiùs fragmentíſque vocabulorum ſimiles ſint: ſicvt litterarū portiunculis & apicibus

cibus ſcribunt qui feſtinant. Nam ἐμβλῆναι & ἐκβλῆναι manifeſtum eſt conciſa eſſe pro integris ἐντὸς βλῆναι, & ἐκτὸς βλῆναι. & προγγίσθαι loco πρότερον γγίσθαι, & καθίζειν pro κατᾳίζειν. ſicvt haud dubiè etiam λίθους βάλλειν & τοίχους ὀρύττειν feſtinantes orationémq; coarctantes dixere λιθοβολεῖν & τειχωρυχεῖν. Proinde vnumquodque horum vſum orationi aliquem præſtat, pars autem & elemētum eius non eſt. hoc enim (vt docuimus) ſolis nomini & verbo debetur honoris, quæ primam iſtam conficiunt iunctura, in qua verum falſúmve locum habet. quā protaſin alij, alij axioma, Plato logon ſiue orationem appellat.

PLVTARCHI
De primo frigido, libellus.

ESTne aliqua frigidi vis, Phauorine, princeps atque natura, ſicvt calidi ignis, cuius præſentia quadam & participatione reliquorum vnūquodque fiat frigidum? aut potiùs frigiditas caloris priuatio eſt, vt tenebras lucis dicunt, & motus quietem? etenim frigiditas ſtatui ſeu quieti videtur accommodata, ſicvt cōtrà calor mouendi facultatem habere: & calidorum frigefactio nullius præſentia facultatis agentis fit, ſed diſceſſu caloris. ſimul enim hic confertim abiit, & friget id quod relinquitur. & vapor quem aqua feruens emittit, vnà cum diſcedēte calore elabitur. quo fit, vt frigefactio quātitati aliquid detrahat, caloré elidens, nihilo in eius locum ſuccedente. Quid ſi hoc primùm nomine iſthæc ratiocinatio falſi ſuſpecta fit, quòd multas illuſtres facultates perimit, eáſq; nō qualitates & habitus, ſed habituum & qualitatum facit priuationes? grauitatem putà leuitatis, duriciem molliciei, nigredinem albedinis, amarorem dulcedinis, & quæ aliæ qualita

Frigus non eſſe priuationem.

tes ob vim ſuam ſibi invicem opponuntur, non vt habitui priuatio. Deinde, quòd omnis priuatio ocioſum quippiã eſt & inefficax, vt cęcitas, ſurditas, ſilentium, mors. formarum enim diſceſſus ſunt, & naturarum abolitiones, non naturæ & ſubſtantiæ per ſe. At verò frigus in corporibus obortum non minores quàm calor affectiones motúſq; efficit ſuapte naturã. Coguntur enim multa frigore, ſtipantur, atq; dẽſantur, & quies ſtabilitáſve eius nõ ocioſa eſt, ſed gratuis atq; conſtans, ob vim eius ſubfulciendi, atq; cõtinendi robore præditam. Itaq; priuatio quidẽ defectus eſt & diſceſsio oppoſitæ facultatis: at frigeſcũt multa multo intus calore inhærente: multa etiã frigus, quo magis ea calida ſunt, tanto magis cogit atq; denſat, vt cùm candens ferrum in aquam intingitur. Stoici quoq; ſpiritum aiunt in corporib. infantium refrigeratione acui, mutatáq; natura in animam verti. verùm hoc controuerſia non caret. Sed cùm frigus appareat opificem eſſe multarum rerum aliarum, haud par eſt id pro priuatione haberi. Præterea, nulla priuatio comparationem ſecũdum plus aut minus admittit, neq; eorũ quæ viſu orbata ſunt, aliud alio magis minúſve cæcum dicitur, nec quæ loqui non poſſunt, aliud alio magis tacere, neq; quę vitam amiſerũt, aliud alio magis mortuum. At inter frigida nõ minùs quàm calida gradus iſti ſunt, vt aliud alio magis minúſve, hoc admodum, illud non adeò, vnum remiſsiùs, aliud intentiùs dicatur frigidum: quòd materia aliàs vehementiùs, aliàs languidiùs affecta à contrariis facultatibus, alia aliis magis calida frigidáve ex ſeſe exhibet. Etenim habitus cũ priuatione miſceri nõ poteſt, neq; admittit vlla vis priuationẽ ſibi adverſam aut ſociam in ſubiecto adſciſcit, ſed ea ſubeunte cedit. Calida tamen aliquouſque manent frigido admixto, vt nigra albis, grauibus acuta, dulcibus auſtera. quæ quidem communicatio & concinnitas colorum, ſonorum, medicamentorum, ciborum gratos multos amicóſq; ortus præſtat. Nam quæ eſt priuationis adverſus habitum oppoſitio, hoſtilis eſt & pacti exſors: cùm vnius natura alteram perimat. Ea verò, qua adverſæ facultates opponuntur, tempeſtiuè ſi fiat, cùm multæ artes vtuntur, tum verò natura plurimum & in aliis gignendis rebus, & maximè in aeris mutationibus, iiſq; effectis, quæ quia temperat atq; diſpenſat deus, muſicus appellatur. non ſanè quòd grauia acutis, aut nigris alba accommodet, interque ea conſonantiam efficiat: ſed quòd caloris & frigoris in mundo ſocietatem diſsidiúmque ita gubernet, vt & coeant et diſceſsionem faciant moderatè, & nimia vtrique vehementia ademta, in rectum modum componat. Iã frigus perinde atque calor ſentitur. Priuatio autem non viſu, non auditu, non tactu, deniq; nullo planè ſenſu percipitur. Sentiri enim eſt ſubſtantiæ. vbi ſubſtantia nulla apparet, ibi priuatio intelligitur, quæ ſubſtantiæ eſt negatio, vt cæcitas viſus, vocis ſilentium, corporis inane. nam neque inane tangendo ſentimus: ſed vbi nullum corpus tactui occurrit, vacuũ animo concipitur. neque ſilentiũ audimus: ſed quãdo nihil audimus, ſilentium intelligimus. eodémq; modo cæcorum, nudorũ, & inermium nõ eſt ſenſio, ſed ſenſus negatione noſcuntur. Ergo frigus, ſi quidem caloris eſſet priuatio, nõ ſentiri oportebat: ſed ea intelligi frigida, vbi calor abeſſet. Sin vt calor corporis tepore & laxitate, ita frigus eiuſdem concretione atque denſatione ſentitur: huius iam quoque conſtat vt & caloris ſuum eſſe peculiare principium atque fontem. Proinde vniuſcuiuſque formæ priuatio vnica eſt & ſimplex: ſubſtantiæ ipſi plura diſcrimina, complures facultates ſunt. Vnius modi eſt ſilentium: vox res varia, modò offendens ſenſum, aliàs oblectans. ac tales ſunt etiam colorum figurarúmque differentiæ, aliàs aliter afficientes ſentientem. quod autem tangi non poteſt, & quod co-

lore, denique quod qualitate caret, nullo discrimine est præditum, sed sui simile. Videtúrne ergo frigus priuationum istarum de genere esse, nullóq; discrimine afficere? Immò contra magnæ vtilésq; voluptates corpori à frigore offeruntur: ac vicissim vehementia damna, dolores, ac prægrauationes, quando non semper cedit ac corpus deserit calor, sed sæpe intus incluſus reluctatur atq; pugnat. (cui pugnæ nomen est horror atque tremor) & victo calore congelatio & torpor succedunt: calore frigus superante corpus intepescit ac relaxatur, quod *ἰσοθερὲς* vocat Homerus. Verùm hæc omnibus sunt manifesta, hísq; maximè affectionibus ostenditur frigus calori vt substantiam substantiæ, vel qualitatem qualitati repugnare, non vt negationem aut priuationem: neque interitum esse caloris, sed naturam vi eius perimendi præditam. Alioquin & hyemem tempestatibus anni, & Aquilonem ventorum numero eximemus, vt æstatis & Austri priuationes, quæ proprium nullum habeãt principium. At enim cùm in Vniuerso sint quatuor prima corpora, quæ ob numerum, simplicitatem & vim pleriq; reliquorum elementa & principia statuunt, ignis inquã, aqua, aer, & terra: necesse est etiam totidem esse primas ac simplices qualitates. quæ verò sint, nisi calor, frigus, siccitas, humiditas, quibus elementorum omnes motiones absoluuntur? Vt autem in grammatica elementorum sunt breuitates & longitudines, in musica graue & acutum, non vnum alterius priuatio: ita in naturalibus quoq; rebus pro elementis accipere debemus calida frigidis, & humida siccis opposita corpora, si quidẽ & rationi & iis q̃ in natura visunt effecta consentire volumus. Nisi si placet sequi Anaximenem illum antiquum, & neq; frigidum in substantia, neq; calidum relinquere, sed ea facere communes affectiones quæ materiæ mutationibus comitentur. Is enim materiæ contractionem atque den-

Iliad. o, 103. alibi.

densationem appellabat frigus: laxationem eius & raritatem, calorem. ideóque non ineptè dici, calida hominem ex ore & frigida emittere. halitum enim compressum labiis atq; densatum, fieri frigidum: emissum aperto ore, ob raritatem calescere. Quẽ quidem eius errorem refellit Aristoteles. aperto enim ore è nobis ipsis calidum efflari docet: cùm verò flamus compressis labiis, non nos è nobis exspirare aërem, sed eum qui ante os est impelli & rebus incidere. Enimverò si substantiam caloris frigorísq; esse concedimus, progrediamur disputando, & quæ substantia, quod principium, quæ natura sit frigoris, inuestigemus. Ij qui scalenis ac triangularibus figuris in corporibus sitis, rigere nos, tremere, horrere, aliáque id genus pati ob asperitatem eorum dicunt: quanquam in particularibus errant, principium tamen inde sumunt vnde petendũ fuit. Oportet enim tanquam à Vesta, à substãtia Vniuersi quęstionem inchoare. Qua in re maximè apparet quo philosophus à medico, rustico, tibicine differat. His enim sufficit extremarum causarum consideratio. Si enim proximam causam perspexerint, vt febris est causa intentio aut humoris in locum alienum illapsus, rubiginis frugũ ardores Solis post imbrem, grauis soni fistularum inter se inclinatio: satis hoc artifici est ad suum opus. Physico autem, qui veritatem cõtemplatur, vltimorum cognitio nõ finis est, sed initium ad prima supremáq; proficiscendi. Itaque rectè Plato & Democritus causam caloris & grauitatis quærentes, disputationem non ad mentionem ignis & terræ finiuerunt, sed sensilibus ad mente sola cernenda principia revocandis, vsque ad minima tanquam semina progressi sunt. Veruntamen priùs etiã hęc sensilia tractare expedit, in quibus Empedocles, Strato & Stoici substantias facultatum ponebant: Stoici primũ frigidum aëri adscribentes, Empedocles & Strato aquæ. Fortasse etiam

fuerit qui terram substantię frigidi subiiciat. Verùm priùs illorum sententias consideremus. Quoniam ignis & calidus est & splendidus, oportet naturam ei oppositam frigidam esse & tenebrosam. vt enim splẽdido tenebrosum, sic calido frigidũ opponitur: quia sicvt tenebræ visum, ita frigus tactum confundit: & calor sensum tangendi, vt splendor videndi diffundit. Ergo quod primùm in natura tenebrosum est, primùm etiam frigidum erit. Aërem autem primùm esse tenebrosum, ne poëtas quidem fefellit. tenebras enim aëris nomine afficiunt.

Aer an primum frigidum.

Aer crassus apud naues erat: haud quoq; Luna
Effulsit cælo.— & iterum:
Aere disiecto, & pulsa caligine Solem
Reddidit, ut pugnam posset iam quisq; uidere.

Vide.g. 649.

aërem quoq; luminis expertẽ cnephas dicunt, quasi cenon phaus, id est inanem lucis: & nephos, nubes aër coactus densatúsque appellatur. achlys etiam & homichla, quæ caliginem & nubeculam notant, & quæ alia luminis sensum impediunt, aeris sunt differentiæ: cuius id quod videri non potest & colore vacat, Ades, i. Pluto & Acheron nominatur. Sicvt ergo splendore deficiente tenebrosus fit aer: ita calore deserente quod restat, nihil aliud est quàm aer frigidus. itaque etiam tartarus dicitur à frigore: quod etiam Hesiodus docuit, tartarum appellans aerosum. & qui horrore tremunt ac quassantur, tartarizæn dicuntur. Horum ergo hæc est ratio. Iam quoniam interitus rei, mutatio eius est in contrarium, videamus recténe hoc dictum sit, ignis mortem esse ortũ aeris. Ignis enim moritur ipse etiam sicvt animal, vel vi exstinctus, vel sua sponte emarcescens. Exstinctio autem illustriorem facit eius in aerem transmutationem. nam fumus aeris est species, & nidor (vt est apud Pindarum) aeris recalcitrans fumo. Veruntamen etiam flamma ob inopiam tabescente, vt in lucernis,

Theogõ. 119

Aer ex igne.

cernis, cernere licet summũ eius in caliginosum ac tenebrosum aerem abire. Vapor quoque qui à balneo vel cùm ad ignem calefacti sumus, affusa frigida effertur, satis demonstrat calorem pereuntem in aerem mutari, vt naturæ ordine oppositum igni: vnde sequebatur, aerem primum tenebrosum esse & frigidum. Porrò omnium quæ à frigore in corporibus efficiuntur vehementissima & violentissima res congelatio, in aqua à frigore efficitur. Ipsa enim suapte natura aqua facilimè diffunditur, instabilisque est & à concretione aliena: ab aere autem propter eius frigiditatem constricta crassescit & cogitur. Ideo dictum est:

Continuò ninget, Boream si prouocet Auster.

austro enim tanquam materiam præparante humorem, eum succedens Aquilo adstringit. & maximè hoc niues docent: aerem enim edentes & ante se spirantes tenuem atque frigidum, ita defluunt. Aristoteles etiam cotes plumbi colliquari scribit ac fluere præ gelu & hyeme, sola aqua accedente. aer autem, vt apparet, cogit corpora frigore, itáq; dissipat & rumpit. Præterea aqua à fonte avulsa faciliùs concrescit. magis enim aer obtinet vi sua adversus minorẽ rem. Quòd si quis frigidá ex puteo aquam in vase rursum in puteum demittat, ita vt aquam vas non atttingat, sed in aere pendeat: paulo pòst temporis spacio eam quàm antè frigidiorem sentiet. Quod quidem maximo est argumento, primam frigoris causam nõ esse adscribendam aquæ, sed aeri. Equidem magnorum fluuiorum nullus profundè gelu coit. nõ enim ad imum penetrat aer, sed ea tantùm adstringit frigore suo, quę amplectitur propiùs pertinens. itaque barbari pedites eos transeunt, præmissis vulpibus. nam nisi crassa sit glacies, sed tantùm superficiem durauerit, animadvertentes ex hoc è strepitu infrà profluentis aquæ, retrò abeunt. Sunt etiam qui pisces tum captant partem

glaciei aqua soluentes calida, aqua tunc funiculum hami demitti sinente. Adeò nihil in profundo agit frigus. At verò quæ in summo sunt, ita à cõcretione ista mutantur, vt aqua in se coacta atque compressa naues collidat atq; perfringat. vt testantur qui nũc cum Cæsare ad Istrum in hybernis fuerunt. Quanquam id ipsum quod nobis vsu venit, satis locuples testimonium perhibet. Nam postquam loti sumus & desudauimus, tunc magis refrigeramur: corporibus laxatis multum frigoris vnà cum aëre recipientes. Idem hoc aquæ áccidit. nam faciliùs frigescit, si calefiat priùs: quòd sic faciliùs ab aëre potest affici, quando etiam qui feruentes aquas sursum exhauriunt * inque sublimi collocant, nihil nimirum agunt aliud, quàm quòd eas multo permisceri volũt aëre. Atque his quidem, Fauorine, probabilitatibus nititur ea oratio, quæ principem frigidi facultatem aëri vindicat. Quæ verò eam aquæ deferunt, non dissimilibus vtitur principiis: nẽpe hoc ipsum quoque fato Empedocle:

An aquá sit primũ frigidum.

Splendentem, & calidum cernes equidem undiq; Solem:
Ast imbrem prorsus tenebrosumq; horribilemq;.

Cùm enim calido frigidũ ita, vt splendido nigrum opposuerit, hoc nobis colligendum dedit, ita eiusdem substantiæ esse nigredinẽ & frigus, vt eiusdem sunt splendor & calor. Nigredinem verò non ad aërem, sed ad aquam pertinere sensus testatur. Nulla enim res ab aëre nigra, ab aqua omnes nigræ reddũtur. si enim candidissimam lanam vel vestem in aquam iniicies, nigra inde eximetur, colórq; is manebit tantisper, dum vel calor liquorem exsiccet, vel prælum aut põdus superimpositũ elidat. Et cùm terra conspergitur aqua, nigricant loca guttis occupata, reliquis pristinum colorem conseruantibus. Ipsiúsque adeò aquæ, si copiosa sit, quod imum est, obscurissimum est: cùm partes aëri propinquæ pelluceant atque niteant. Ad hæc de reliquis humoribus

bus maximè pellucidum est oleum, quia plurimum in se habet aëris. cui rei certo id est argumento leuitas, ob quam omnibus innatat humoribus, ab aëre sursum elatum. Quin & in fluctus marinos si invergatur, tranquillitatem facit: non ventis ob leuitatẽ eius inde delabentibus, (quod Aristoteles putauit) sed quia fluctus quouis humore ictus subsidat. Hoc oleo peculiare est, quòd splendorẽ & perspicuitatem in fundo aquæ præstat, aëre humorem dissipante. non enim duntaxat in superficie iis qui noctu spongias captant, sed etiam vrinando eas in profundo maris consectantibus ex ore efflatum lumen præbet. Non plus igitur nigredinis aëri quàm oleo, minus etiã frigidi inest. Nam oleum, quo nullus humorum plus in se habet aërei, minimè frigidum est, mollitérque coit. quia aër in eius temperie contentus, nõ patitur id duriter adstringi. Acus quoque & fibulas ferreas, aliáque horum affinia opera non aqua tingunt, sed oleo veriti ne aqua ob nimiam suam frigiditatem ea pervertat. Nimirum enim ab his æquius est iudicium peti, quàm à coloribus. quandoquidem nix, grando, glacies, simul & nitidissima sunt & frigidissima. & rursum pix cùm opacior est, tum calidior melle. Cęterùm hoc etiam miror, eos qui aërem propterea quòd sit tenebrosus, frigidum statuunt, non animadvertere eum ab aliis propterea calidum asseri, quia sit leuis. Nam tenebrosum isthuc nõ tam familiariter congruit frigido, quàm graue & in statu persistens. Multa quippe caloris inania, splendorem tamen habent. leue, & quod sponte sursum efferatur, nihil est eorum, quæ sint frigida. Ipsæ quidem nubes, dum aëream seruant naturam, in sublime feruntur. deinde in humidum mutatæ, statim deorsum labuntur: & frigore recepto non minus leuitatẽ quàm calorem amittunt. ac vice versa calore in eas incidente, rursum sursum feruntur, simul & aëreã recuperantes natu-

ram, & sursum enitentes. Id quoque argumentum quod de interitu afferebatur, vanum est. Non enim in contrarium abit quidquid interit, sed à contrario corrumpitur. Sic ignis vel aqua dum perimitur, in aerem mutatur. Nam Aeschylus non tam tragicè quàm verè dixit:

Compesce aquam, ignis supplicium.

Iliad. φ. & Homerus fluuio Vulcanum, Neptuno Apollinem in pugna physicè magis quàm fabulosè opposuit. ac Archilochus de contraria sentiente non malè dixit,

Illa dolos nectens, aquam ferebat altera
Manu, alteráq; ignem. —

Apud Persas verò supplicādi genus erat acerrimum & repulsæ securum, si supplex cum igne in fluuium descendens, minaretur ignem se in eũ abiecturum nisi impetraret quod petebat. fiebat enim compos voti, sed puniebatur propter comminationem, vtpote iniustam & naturæ contrariam. Illud quoque tritum, Ignem aquæ misces, vsurpatum in eos qui vi conātur efficere quod fieri est nefas, testari videtur igni aquam esse hostem, ab eáq; illum perimi & exstinguendo multari: nõ ab aëre, in quem suo interitu mutatur. Si enim id, in quod quidvis mutatur, cõtrariũ est: magis adversabitur aëri ignis quàm aqua. Mutatur enim in aquam, dum coit: in ignem, cùm disipatur. sicvt rursum aqua disipando in aërem, coëundo in terram abit: vt ego arbitror, ob familiaritatem & cognationem cum vtroq;, non quòd alteri eorum contraria sit atq; inimica. Illi vtro modo dixerint, argumentum corrumpũt. Absurdissimum verò dictu est, ab aëre aquâ cogi, cùm ipsum aërem nusquam videamus concrescere. Nubes enim, nebulæ, & nubeculæ, congelatio non sunt, sed coitio quædam & crasicies humidi ac vaporibus repleti aëris: cùm siccus aer ne ad eam quidem vsque mutationem refrigeretur. Sunt enim certi quidam montes

Causa congelationis.

montes qui neq; nubem, neq; rorem, neq; nubeculam admittunt, verticibus eorum in aerem purum humorisque expertem penetrantibus. vnde liquet vel in primis inferioris aeris coitionem & densationem aeri ob humoris & frigoris admixtionem contingere. Rationi autem consentaneum est, quòd magnorum fluminum ima non constringuntur gelu. Superiora enim congelata, exhalationem non trāsmittunt: eáque intus contenta atque relisa calorem præbet humori, qui in profundo est. quod eo demonstratur, quia glacie soluta multum vaporem aquæ emittunt. Hinc & animalium corpora per hyemem sunt calidiora, quòd calorem à foris circumstante frigore intrò compulsum intus cohibent. Illæ verò sursum exhaustiones aquę & in sublime elationes, non tantùm calorem aquis auferunt, sed & frigiditatem. itaque minimè niuem aut ex hac expressum humorem mouent, qui valdè frigidam requirunt. motus enim vtrunque amolitur. Hanc autem vim non aeris esse sed aquæ, sic licet de integro ratiocinari. Principiò probabile non est aerem, qui ætheri appropinquat, superficiémque eius contingens, ab ignea tangitur substantia, vi esse præditum contraria. nam neque aliàs id fieri potest, cùm tangatur & extremis continuetur ei suis: & rationi non convenit, naturam deinceps à corrumpente posuisse, eíque contiguum feciſse id quod corrumpatur, tanquam ea non communicationis & consonantiæ, sed pugnæ esset effectrix. Vtitur verò naturā rebus non sinceris, neque repugnantibus: sed alternatim positum quendam rerum ordinémq;, non perimendis, sed communicandis naturis aptum mediis insertis instituit. Talis est aeris natura, qui inter ignem & aquam interiectus, & vtrunque eorum contingens, neque calidus ipse est, neque frigidus, sed temperie ex vtroque extremorum leui innoxiáque mixtus. Porrò aër vbique est æqua-

Aerem non esse frigidũ.

lis: non tamen omnibus in locis æquè hyems & frigus sunt. nam aliæ partes orbis terrarũ frigidæ sunt & humidæ, aliæ siccæ & calidæ, non fortuitò quidem hoc, sed quòd vna est frigoris & humidi natura. Africę enim maior pars calida est & aquarum expers. Scythiam, Thraciam, & Pontum qui pervagati sunt, lacus habere magnos aiunt, ac fluminib. permeari magnis. & quæ in medio sunt paluſtria & lacuum similia, maximè frigent ob exhalationes humorum. Posidonius dũ frigoris causam facit, quòd aër paluſtris recens sit & humidus, noſtram opinionem magis etiam probabilem facit, tantum abest vt fidem ei deroget. non enim aër vt recentior quisq; est, ita videretur frigidior, nisi in humidis origo inesset frigoris. Rectius ergo Homerus fontem eius indicans dixit:

Odyſ. 4, 469 *Frigida de lymphis ſpirabat fluminis aura.*

Præterea verò sensus nos sæpenumero fallit, vt vestem aut lanam tangentes frigidam, humidâ nos tangere putemus: quòd scilicet vtriusque est qualitatis communis substãtia, naturæq; vicinæ & familiares. In gelidis porrò regionibus multa rumpit frigus vasa ærea & figlina: nullum tamen inane, sed plena omnia, frigore vim aquę faciẽte. Sanè ait Theophrastus aërem vasa rumpere, vsum humore tanquam clauo. Sed vide ne elegantiùs quàm veriùs hoc ille dixerit. nam hac ratione ea oportuit magis ab aëre rumpi, quæ pice aut lacte essent repleta. Sed videtur aqua suapte natura & primò esse frigida. opponitur enim ratione frigoris calori ignis, vt siccitati humiditatis, & grauitatis leuitati. deniq; ignis naturam habet dissipandi & diuidendi: aqua glutinandi & continendi, frigore constringens & cogens. quod etiam innuens Empedocles, subinde ignem Litem pernicioſam, aquam Amicitiam vehementem appellauit. Etenim ignis quidem alimentũ est id quod mutari in ignem potest: mutatur autem, quod familiare

miliare ei est: sicvt mutari id nequit, quod eius est contrarium, vt aqua. nam & hæc, vt simpliciter dicam, neq; vri potest, & facit vt materia, herba, lignũ humida difficulter vrantur, & ob virorem flammam edant languidam ac caliginosam, humore calori ob naturalem inimicitiam repugnante. Atque hæc tu cum illorum argumentis comparando perpende. Cæterùm Chrysippus censens aërem primò frigidũ esse, eò quòd tenebrosus est, mentionem fecit dunтaxat eorum, qui longiùs distare aquam ab æthere quàm aërem dicerent: & cõtra eos aliquid dicturus, Hoc pacto (inquit) etiam terram diceremus primò esse frigidam, quia longissimè abest ab aere. itáque hanc rationem tanquam planè absurdam repudiat atque reiicit. Ego autem pro terra quoque adferri posse puto probabilia argumenta, quibus eam primò frigidam esse fides fiat. Idq; primum ponã, quo Chrysippus pro aere vsus est præcipuo. quódnam? quia is primùm sit tenebrosus. Nam si ille duas sumens facultatum oppositiones, ex vna alteram necessariò sequi arbitratur: sexcentæ nimirum iam terræ aduersus aerem oppositiones & aduersationes possunt proferri, quibus etiam hanc, de qua agimus esse consequentem asseramus. Non enim opponitur tantùm terra aeri vt grauis leui, deorsum vergens sursum se efferẽti, aut vt densa raro, tarda & stabilis velocibus prædito momentis: sed vt grauissima leuissimo, densissima rarissimo, deniq; vt immobilis omnino suapte natura, ei qui sponte sua citatur motibus, & medium obtinens locum ei qui sẽper in orbem circumvoluitur. Non est itaq; absurdum, his tot ac tantis oppositionibus etiã calidi ac frigidi contentionem comitari? Non sanè. Splendidus verò est ignis, terra tenebrosa. immò autem tenebrosissima omnium rerum, luminisque vacuissima. Aer quidem primùm particeps est luminis, mutatúrque celerrimè, impletúsque splendore, eum vs-

Terra an primò frigida.

quequaque differt, seipsúmq; corpus lucis præbet. Sol enim surgens, vt quidam scriptor dithyrambo-rum cecinit, statim implet magnam ventorum per aërem ingredientium domum. ex hoc lacu mariq; portio luminis immittitur, renidéntq; flumina quatenus aër ea attingit. Sola omnium corporum terra semper luminis expers est, neque radiis Solis & Lunæ illuminantibus percellitur. fouetur quidem ab iis, & exiguam sui partem à calore subeunte patitur tepefieri: sed ob soliditatem suam lumen non admittens, tantùm in superficie circùm illustratur: interiora tenebræ, chaos, & inferi nominãtur, & erebus nihil est aliud, quã tenebræ in terræ corpore. Porrò noctem poëtæ terra natã fabulantur: mathematici ostendunt vmbram esse terram adverso Sole lumini officientem. aër enim tenebris impletur à terra vt lumine à Sole: & quæ non illuminatur pars aëris, noctis est ea quantitate, quantam vmbra obtinet. Itaq; exteriore aëre etiam per noctem homines ac bruta animalia vtuntur, ambulántq; in eo per tenebras, in quibus vtcunque vestigia quædam lucis atque reliquiæ dispersæ sunt. intra domos autem & tectis parietibúsque inclusus, omnino cæcus est & luminis expers, terra scilicet circumquaq; ambiente. Quin & tergora & cornua integra ob soliditatem lumen non transmittunt, dissecta autem & polita aeris participatione fiunt pellucida. Existimo terram quoq; à poëtis identidem nigram appellari, ob tenebras & luminis vacuitatem. vt preciosa illa tenebrosi cum splendido contentio, terræ magis quàm aëri congruat. Verùm ea ad propositam quæstionẽ nihil facit, cùm ostenderimus, multa frigida esse splendida, multa calida obscura & tenebricosa. Illæ verò frigoris magis cognatæ sunt facultates, graue esse, permanens, densum, immobile: quarum aëri nulla, terræ omnes magis quàm aquæ insunt. Et quidem præcipuè frigidum sensu iudice durum est, ac duriciei

Frigoris adiuncta.

ciei efficax, & resistens. nam Theophrastus narrat, pisces gelu concretos, si in terram demittãtur, frangi ac conteri vitrorum instar aut fictilium vasorum. Apud Delphos ipse audiuisti eorum, qui Parnasum conscenderant opitulatum Thyadibus à vehementi vento & niue circumventis, ita gelu duratas ligni in morem diriguisse chlamydes, vt distentæ etiam rumperentur aĉ confringerentur. Quin & neruis & linguæ motum eripit, duriciémque infert nimium frigus, congelans humidas & molles partes corporis. Quæ cùm sint in conspectu, rem nunc sic consideremus. Omnis nimirum facultas quando prævalet, ea est natura vt mutet sibíque simile faciat id quod ab ipsa est victum. ita quod ab igne vincitur, incendi, quod à spiritu, in aerem verti, quod in aquam incidit, nisi effugiat, videmus penitus humectari. Est ergo necesse vt quæ valdè frigore afficiuntur, mutentur in id quod primò est frigidum. frigefactionis verò exsuperantia, est congelatio, quæ ad extremũ rem in lapidem convertit, vbi frigore prorsus obtinente humor congelauit elisо calore. Itaq; terra in profundo concretum aliquid frigore, & (vt sic dicam) glacies est. frigus enim merũ & nulla alia qualitate emollitum ibi habitat, lõgissimè ab æthere repulsum. Ista autem conspicua, præcipitia, scopulos, saxa, Empedocles censet ab igni qui medio terræ ardeat edita sustentari. magis tamẽ apparet, ea quorum calor elisus est prorsúsq; ablit calor, hęc omnino à frigore constringi & indurari: vnde & pagi Græcis dicuntur. multorúmq; extrema denigrata, quâ ignis excidit, igni advsta videntur intuentibus. Frigus enim alia magis, alia minus congelat, maximè ea quibus primò inest. Sicvt enim quando caloris est leue reddere, quod calidissimum, idem & leuissimum est: & quia humiditas mollit, quod humidissimum, simul etiam mollissimum est. ita si frigoris est cogere, frigidissimum quod est, erit etiam

concretiſsimum, videlicet terra. Quod autem natura eſt frigidiſsimum, id vtique etiam primò erit frigidum. vnde conficitur, terram primò & natura eſſe frigidam. Idq; nimirum etiam ſenſu depræhenditur. Nam & lutũ aqua eſt frigidius: & ignem terra ingeſta exſtinguunt. Fabri quoq; ferro candenti & emolito marmorum ſcobem ſeu ramenta inſpergunt, nimium fluxũ inhibentes ac refrigerantes. Puluis etiã athletarũ corpora refrigerat, ſudoréſq; exſtinguit. Quid verò ſibi vult noſtra quotannis migratio, dũ hyeme longiſsimè à terra nos in ſublimia ſubducimus ædificia, æſtate autem rurſum ad inferiora & humilia confugientes, ſuauem in vlnis terræ habitationem quærimus? nónne id facimus, quia frigus pertentes ſenſu ad terram deducimur, eámq; primùm natura frigidum agnoſcimus. certè ad mare per hyemem victus, fuga quodammodo terræ eſt, relinquentium ob gelu eam quantum omnino fieri poteſt, aerémq; maritimum, vtpote calidum, amicientium. at æſtate terrigenam rurſum & mediterraneum aerem adverſus ardores deſideramus: qui non frigidus ipſe eſt, ſed ex eo quod primùm & natura frigidum eſt editus, terræ virtute imbutus eſt, tanquam ferri quadam tinctura. Nam fluentium quoque aquarum eæ ſunt frigidiſsimæ, quæ de montibus aut ſaxis manant, & putealium aquarum quæ in profundiſsimis ſunt puteis. his enim ob profunditatẽ non ampliùs admiſcetur exterior aer: illæ è ſincera terra erumpunt. qualis eſt apud Tænarum, quam Stygis aquam appellant, è ſaxo parcis ſcaturiginibus confluens, ita frigida, vt omnia vaſa rumpat, ſoláq; aſini vngula poſsit cõtineri. Atq; etiã medicos audimus omni vniuerſæ terræ facultatem refrigerãdi ac adſtringendi naturalem tribuere, multáque ab iis foſſilia recenſeri, quibus in medicina vis inſit obthurandi atque cohibendi. Quippe elementum terræ non ad ſecandum, aut mouendum natura aptum eſt, neque

neque acumina habet, neque molliri aut facilè circumfundi poteſt. ſed cubi in morem firma eſt ac ſtabilis. itaq; & grauitate prædita eſt, & frigore: ſiquidem ea vis eius eſt vt denſet, compingat, elidat humorem, horrores & tremores in corporibus efficit ob inæqualitatem: quòd ſi ſuperet omnino calore fugiente aut exſtincto, habitum conſtituit omnino congelatum atque exanimem. Itaque terra prorſum non ardeſcit, aut lentè admodum atq; ægrè vritur. Nam aer ſæpe ex ſeipſo flammam edit, fluitq; & fulgurat accenſus: humore autem alimenti loco vtitur calor. non enim ſolidæ, ſed humidæ ligni partes cremando ſunt idoneę: quo exſiccato, ſolidũ & ſiccum relinquitur, in cinerem redactũ. Neq; ij quicquam agunt, qui hunc quoque mutari & conſumi contendentes, ſæpe oleo aut adipe humectantes incendũt: cùm rurſus ac denuò pinguedine exvſta, omnino tamen ſuperet ac permaneat quòd eſt terreum. Itaque terram, quòd non tantùm locum ſuum ſeruet, ſed etiam ſubſtantia ſit immutabili, ac ſemper in deorum maneat domicilio, à ſtando Heſtiam ſeu Veſtam nominauerunt priſci ob ſtatum & concretionem: cuius vinculum eſt frigus, vt Archelaus phyſicus aiebat, nulla eam re laxante, nullo molliente, vt quæ calefieri aut tepeſcere neſciret. ij autem, qui aerem & aquam frigida ſe cognouiſſe aiunt, terram negant: reſpiciunt ad proximam terram, aere, ſpiritibus, aqua: & calore plenam mixturam atque congeriem. Nihil verò differunt ab ijs, qui nõ ætherem primò & natura calidum, ſed aquam feruentem aut candens ferrum pronunciant: quòd hæc tangunt & contrectãt, primum purum cœleſtémq; ignem non ſentiunt: vt hi quoq; terram in imo latentem nõ vident, quæ maximè terra intelligenda eſt, ab omnibus aliis ſecreta. Cuius tamen indicium etiam hæc ſunt ſaxa, quæ è profundo magnum & toleratu difficile frigus emittunt. Qui autem potum frigidiorem

facere volũt,ii silices in aquâ iniiciunt.fit enim spissior, & vis eius intenditur frigore quod à lapidibus recens & sincerũ in eam emittitur. Veteres ergo sapientes ac doctos censendum est statuisse cœlestia terrestribus non permisceri:non quòd velvt in trutina ad inferiora loco & superiora respexerint, sed ad facultatum differentiam. quippe calida,splendida, velocia, leuia, immortali ac sempiternæ naturæ adscripserunt: tenebrosa, frigida, tarda, mortalium & inferorum sortem parum beatam arbitrantes. Quãdo corpus etiam animalis dum spirat,&(vt poëta ait) viret, tantisper etiam calore vitáq; fruitur: his priuatum, & iam solis terrestribus restantibus partibus, statim frigore & gelu corripitur.scilicet quòd in quavis potiùs quàm terrena re secundũ naturam calor insit. Hæc tu, Phauorine,cũ iis compone,quæ ab aliis sunt dicta.quæ si non multum vincant vincantúrq; probabilitate,valere iube opiniones,& existima, Philosophi magis esse in rebus dubiis assensionem cohibere, quàm aliquid tanquam certum probare.

PLVTARCHI
Commentariolus,Bellóne an pace clariores fuerint Athenienses.

* * *

Historici res gerentibus posthabentur.

ATQVE hoc quidem rectè respõdit ipsum subsecutis ducibus Themistocles, quibus ille aditũ ad res gerẽdas patefecit, barbaro profligato,& liberata Græcia.Rectè autem dicetur in eos idipsum, qui propter liberos à se scriptos multũ sibi tribuunt. Si enim desint qui res gerant,nullus erit historiæ scriptor.

ptor.Aufer Periclis administrationẽ reip.& de naualis prœlij victoria ad Rium à Phormione erectũ trophæum,tum Nicię apud Cythera,Megara & Corinthum egregia facinora,Pylũ Demosthenis,Cleonis captiuos cccc,& Tolmidam qui circũ Peloponnesum nauiget,ac Myronidẽ qui Bœotos vincat apud Oenophyta seu Vineta: iam deleueris Thucydidẽ. Tolle Alcibiadis conatus audaces apud Hellespontum,Thrasylli ad Lesbum,& eversam à Theramene paucorũ in rep.potestatem, Thrasybulũ & Archippum,ac LXX istos qui à Phyla profecti contra principatum Spartanorũ insurrexerũt, & Cononem res Athenienses rursum in mare deducentem: sustuleris Cratippum. Ipse verò Xenophon suæ sibi historię fuit argumentum,scribens quomodo exercitum duxerit, & quid præclarè gesserit rei,ac de iis compositam historiam esse à Themistogene Syracusio. gloriam hanc alij deferens scriptionis, vt de seipso tanquam alio scribens faciliùs fidem inveniret.Reliqui omnes historici, Clinodemi,Diylli,Philochori,Philarchi, alienorum amorum tanquã fabularum fuerunt histriones, imperatorum & regum res gestas disponentes,ac sub eorum memoriam subeuntes, vt ab ea in partem aliquam splendoris & lucis collocarentur. Quippe ab autore factorum recellitur in scriptorem, atque in eo resulget imago gloriæ:vbi tanquam in speculo apparet in oratione effigies alieni facinoris. Profectò vrbs hæc multarum etiam aliarum mater, nutrixq; benigna fuit artium: quarum alias prima reperit inque lucem protulit, aliis honorem,vim,incrementa contulit. non minimam verò ei debet & inventionis & exornationis partem ars pingendi. Nam Apollodorus pictor,qui primus hominum invenit colorum temperationem diuersorum, & vmbræ coloribus exprimendæ rationem, Athenis natus fuit. cuius operibus inscriptum fuit,

Pingendi ars.

Facilius hæc culpabit quis, quàm imitabitur.

Tum Euphranor, Nicias, Asclepiodorus, Plæstænetus frater Phædiæ: quorum alij ducum victorias pinxerunt, alij pugnas, alij heroas. vt Euphranor, qui Theseum à se pictum Parrhasij Theseo comparans, hunc dixit rosas edisse, suum autem bubulas carnes. Re vera enim Parrhasij pictus effictúsq; fuit nitidè: & similis nonnihil alterius est. sed Euphranoris videns aliquis, non inscitè diceret:

Ilia. ß, 547

Ad ciues ingenti pectore præditi Erechthei,
Quem Ioue nata Minerua aluit.—

Pugnæ ad Mantineã expictio.

Pinxit etiam equestre aduersus Epaminondam prœlium ad Mantineam pugnatum Euphranor non sine diuino quodam instinctu. Res ita habuit. Epaminondas Thebanus Leuctrica victoria elatus, cùm insultare Spartæ ruenti, fastúmque & dignitatem ciuitatis conculcare in animo haberet, principiò cum LXX millium exercitu facta impressione ditionem Laconicam vastauit, finitimósque ad defectionem à Spartanis faciendam pertraxit. Deinde apud Mantineam cùm ij aciem opposuissent, ad pugnam prouocauit. cúmq; recusarent, & congredi non auderent, sed ab Athenis suppetias exspectarent: noctu castra mouit, hostibúsq; deceptis in Laconicam descendit: parúmq; abfuit quin ipso aduentu suo Spartam desertam caperet. tamen sociis Lacedæmoniorum id sentientibus, & celeriter ad tutandam vrbem auxilia ferentibus, præ se tulit, rursum se ire agros populatum: itáque deceptis & sopitis hostibus noctu è Laconica mouit, continentíq; itinere Mantinensibus nihil tale exspectãtibus supervenit: cúmque ij tum maximè de mittendis Spartam suppetiis deliberarent, statim Thebanos se armare iussit. Ergo Thebani, vt qui in armis sibi multum tribuerent, statim accurrere, & vrbem in orbem cingere. Mantinenses verò trepidare, promiscuè vociferari,

ferari, discursare, vt qui neque tantas copias subitò fluctus in morem irruentes propulsare possent, neq; spem auxilij vllam viderent. Ecce autem hoc ipso temporis & fortunæ in articulo Athenienses è superioribus locis in Mantinensem agrum descendunt, ignari momentorum, & quantam præsens periculũ festinationem requireret, sed lento gradu iter institutum peragentes. Verùm vbi quidam excurrens quo res loco esset exposuit: tametsi & pauci erant, si quis cum hostium numero compararet, & ex itinere defessi, aliorum etiam sociorum præsentia destituti, statim tamen aciem instruxerunt. equitésq; instructi & provecti vsque sub ipsas portas murósque Mantineæ, acre prœlium equestre commiserunt, victoriáq; potiti eam vrbem è manibus Epaminondæ eripuerunt. Hanc rem Euphranor pinxit, videreq; est in pugnæ eius imagine, quanta vi ac feruore animorum pugna fuerit cõmissa atq; peracta. sed non puto vos pictoris artificium ducis virtuti comparaturos, aut passuros si quis tabulam trophæo, & imitationem ipsi rei vellet præferre. Dixit quidem Simonides picturam esse poesin tacentem, poesin picturam loquentem. Nam quas res tanquam si coràm agerentur pictores repræsentãt, hæ vt præteritæ oratione enarrãtur atq; conscribuntur. ac cùm pictores idem coloribus & figuris exprimant, quod scriptores verbis & dictionibus: tantùm hi materia & modo imitationis differunt: vtrisque idem est finis propositus, isq; optimus historiæ scriptor habetur, qui narrationem personis animoque mouendo aptatis figuris ita conformat, vt picturã referat. Ad hanc quidem Thucydides euidẽtiam semper enititur, vt auditorem tanquam spectatorem faciat: & quæ animorum perturbationes atq; consternationes spectãtibus accidissent, in easdem lectorem coniiciat. Nã ad ipsius Pyli asperum litus Athenienſium aciem instruens Demosthenes, Brasidásque gubernatorem

Pictura & poesis.

vt soràs nauim impelleret instigans, & ad transtra vadens, ac sauciatus & animo deficiens, & ad locum remigibus vacuum declinans: tum è mari pedestre certamen Spartani, nauale è terra Athenienses obeuntes: rursúmq; bello Sicilienſi terrestre prœlium, * * nauali æquali Marte. hæc inquam omnia ita sunt descripta, itáq; evidenter quasi ob oculos posita, vt nõ minores ferè quàm in re præsente factum fuisset motus perturbationesque animus legentis persentiat. Tamen si pictores non comparamus imperatoribus, ne historicos quidem iis æquabimus. De Marathonia autem pugna nuncium attulit Therſippus Eræensis, si Heraclidæ Pontico credimus. Plerique ferunt Euclea cum armis à pugna adhuc calentem in fores principum incidisse: idque vnum fatum, Saluete, salui sumus, illico exspirasse. Verùm hic quidem nuncius venit rei quam coràm vidisset, interque alios pugnasset. Agedum si quis de colle aliquo aut specula caprarum ouiúmve pastor eminùs pulcerrimi istius certaminis, omnémque orationem superantis spectator, in vrbem nuncium rei attulisset, ipse sine vulnere & incruentus, ac præmij loco eos poscceret honores, qui Cynægiro, Callimacho, Polyzelóque habiti sunt, propterea quòd eorum res gestas, facinora, vulnera, interitus ipse renunciasset: nónne videretur tibi omnem excessisse impudentię magnitudinem? quando Lacedæmonios aiunt nuncio victoriæ ad Mantineam partæ, quam descripsit Thucydides, carnem è phiditio muneris loco misisse. Scriptores quidem rerum gestarum, nuncij quidam sunt vocales, résq; ipsas orationis vi atq; pulcritudine æquant. debéntq; iis gratiã, qui primi eos legunt atq; cognoscũt. sed & laudatur eorũ memoria propter eos, quorũ præclara facinora litteris cõmẽdauerunt. Non enim oratio, quamtumuis eã dignemur auditione, res efficit. quando etiam poëtis gratiam honorémque inuenit, factis similia narrans, vt ait Homerus: *Plurima*

Plurima narrabat conficta, simillima ueris. Odyss. τ, 203

Ferunt etiam Menandro familiarium quendam dixisse: instant Liberalia, & tu comœdiam nondum composuisti? atque eum respondisse: Ego mehercle comœdiam feci, argumento iam materiáq; dispositis: restat tantùm vt ei versus accinam. Nam ipsi quoque poëtæ existimant res magis esse quàm verba necessarias atq; præcipuas. Corinna etiam Pindarum iuuenem adhuc, & audaciùs eloquentia vtentem monuit, esse eum artis musicæ rudem, quòd nullas fabulas scriptis insereret, quod poëtæ esset officium: cùm elocutio, & figuræ, ornatúsq;, & cantilena ac carminis modus tantùm eò afferantur, vt reb. propositis suauitatem concilient. Huic admonitioni Pindarus, cùm animum perattentè advertisset, carmen scripsit, cuius est initium:

Ismenumue, an aureis utentem fusis Meliam,
Aut Cadmum, aut Spartorum genus uirorum,
Aut Herculis omnia superantis uim canam?

cúmq; id Corinnæ exhibuisset, ridens ea, Manu, inquit, ferendum est, non toto sacco. verè enim congesta omnis generis fabularum semina promiscuè in illam odam Pindarus confudit. Enimverò poësin fabularum compositione occupatam esse, etiam Plato docuit. Est autem fabula narratio falsa, veræ similis. longè itaque abest à rebus. Narratio enim rei, fabula narrationis simulacrum est: tantóq; interuallo absunt fingentes à narrantibus, quanto hi à rem gerentibus. Sanè poëseos & lyrici carminis opificem nobilem Athenæ nullum tulerunt. Cinesias quidem videtur infelix fuisse dithyramborum conditor, homo nullis natalibus & ignobilis: exagitatúsq; à comœdiarum scriptoribus & derisus, famam parum sibi fauentem expertus est. De dramatibus autem comœdiam ita censuerunt esse rem indecoram & importunam, vt lege Areopagitæ cauerint, *Scenicam poesin eleat,*

ne quis porrò comœdiam scriberet. Floruit interim tragœdia, ac celebri fuit gloria, auditio & spectaculum quod eius ætatis homines maiorem in modum admirarentur. quia fabulis animorumque motibus fraudem faceret, qua & qui deciperet (vt dicebat Gorgias) non decipiente iustior, & qui deciperetur non decepto sapientior esset. iustior decipiens, quia præ se hoc tulerat: sapientior deceptus, quia qui nō planè sunt stupidi, facilè voluptate orationis capiuntur. Et tamen, quam vtilitatem pulcræ istæ tragœdiæ Athenienſibus attulerunt? Themistoclis certè calliditas muris vrbem muniit, Periclis industria arcem exornauit, Miltiades libertatem reddidit patriæ, Cimon ad principatum evexit. Si Euripidis sapientia, Sophoclis facundia, Aeschyli grandiloquentia perinde vel aduersitatem aliquam depulit, vel splendorem parauit Athenienſibus: par est dramata cum trophæis conferri, ac theatrum prætorio opponere, & disciplinas cum rebus præclarè gestis comparare. Placetne ipsos viros introducere, notas & insignia suorum operum adferentes, seorsimq; vtrisq; ingressum dare? Accedant ergo præcinentibus lyris & tibiis poëtæ dicentes & cantantes: Fauete linguis, cedite nostris, si quis imperitus talium orationum, aut linguam non habet puram,
* aut nobilium orgia Musarum neque cecinit, neque choris ducendis interfuit, neque cornigeri tauriuori lingua Bacchi sacra peregit. simul gestent instrumēta, laruas, aras, machinas in scena versatilis, & tripodes victoriarum præmia. vnà eant Tragi histriones, & Nicostrati, & Callippidę, & Menisci, & Theodori, & Poli, tragœdiæ tanquam sumtuosæ mulieris comtores & gestatores, aut potiùs tanquam statuarum incrustatores, deauratores & tinctores. sequantur etiam vasa, personæ, trabeæ purpureæ, machinæ à scena: tum choros conficientium & stipatorum negocioſissima turba: sumtúsq; in istas res magnificus pare-

paretur. Quæ omnia cernens Laco ille nō ineptè diceret, Grauiter peccare Athenienſes, res serias in ludicrum impendentes: hoc est, magnarum classium & exercituum cōmeatum atq; sumtus in theatrum prodigentes. Si enim rationes subducantur quanti constiterint singulæ Athenienſibus fabulæ: appare bit eos in Bacchas, Phœnissas, Oedipos, Antigonā, Medeæq; & Electræ mala plus feciſſe sumtuū, quàm in bella pro imperio & libertate contra barbaros gesta. Etenim imperatores sæpe ad pugnandum eduxerunt viros, cibum ignis expertem secum portare iussos. & triemium præfecti sociis naualibus naues instruxerūt, parata iis farina, atq; obsonij vice cepis & caseo. At choragi chorum agentibus anguillas, lactuca, alliorum nucleos, medullā apponentes, per multum tempus conuiuia præbebant, vocem exercentibus atq; luxuriantibus. atq; hi quidem si vincerentur, restabat vt exagitarentur atq; derideren-
tur. victoribus non tripos erat, aut donarium quod * ob victoriam dedicaretur, vt Demetrius ait: sed in funibus effusa vita, & inanis tumulus desertæ domus. * Hoc enim vectigal est poetices, nihilque ex ea splendidius exspectandum. Contrà nunc huc accedentes consideremus imperatores, quibus progredientibus revera fauendum est linguis, debentq; iis de via decedere quicunq; nulla re domi militiæque gesta nihil tale audent, animóq; non sunt puro, neq; Miltiadis Medicidæ, neque Persicidæ Themistoclis manu orgiis sunt initiati. Martia hæc est caterua, in terra phalangibus, in mari classibus, spoliisq; & trophæis admixtis onusta. Audi Alala belli sororem hastarum hoc exordium. Audite viri sacris mactantem mortem, vt aiebat Epaminondas Thebanus: pro patria, sepulcris, & aris in pulcerrima vos & splendidissima date certamina. Videre mihi videor victorias eorum accedere, non bouem trahentes præmiū aut hircum, neq; coronatas edera, & fæcem Bacchi-

Victoriæ Athenien-sium.

cam redolentes. Totas ſecum vrbes, inſulas, continentes, & oras maritimas adducunt, coloniáſq; populorum ampliſsimas, vndiq; trophæis & ſpoliis coronatæ. quarum ornamenta & monimenta ſunt parthenones c pedum menſura, auſtrini muri, naualia, propylæa, Cherroneſus, Amphipolis. Marathon Miltiadis victoriam deducit, Salamis Themiſtocleam, mille nauium inſiſtentem naufragiis. Fert Cimonis victoria c triremes Phœniſſas ab Eurymedonte. Demoſthenis & Cleonis à Sphacteria captum Braſidæ ſcutũ, vinctóſq; milites. Cononis victoria mœnia Vrbi circundat. Thraſybulæa populum liberum à Phyla reducit. Alcibiadeæ apud Siciliam res Vrbis labaſcentes erigunt. è certaminib. Nelei & Androcli apud Lydiam & Cariam vidit Ioniam Græcia reſurgentem. Reliquarum ſingulæ, ſi interroges quid boni attulerint reipublicæ: hæc Samum, alia Lesbum, alia Cyprum, alia Pontum Euxinum, alia ɔ triremes, alia ccɔɔ talentorum ſui mercedem ac trophæorum reſpõdebit. Ob hæc populus feſtos agitat dies, ac diis ſacrificat: non ob Aeſchyli aut Sophoclis victorias: neque quando Carcinus cum Aëropa rem habuit, aut cum Hectore Aſtydamas. ſed ſextam Boëdromionis diem hodieq; Athenæ feſtam celebrant, memoria Marathoniæ pugnæ. Sexta vltra decimam eiuſdem menſis, vinum funditur ob victoriam naualem Chabriæ apud Naxum ea die partam. Duodecima gratiarum ob receptam libertatem agendarum cauſa ſacrificabãt. tunc enim à Phyla in vrbem redierunt. Tertia autem eiuſdem menſis die apud Plataeas prœlio vicerunt. Decimamſextam Munychionis Dianæ conſecrauerunt. tunc enim Luna vincentibus apud Salaminam Græcis pleno orbe apparuit. Duodecimam Scirophorionis ſacram fecit pugna ad Mantineam, in qua pulſis cedentibúſq; ſociorum copiis, ſoli à ſua parte vicerũt Athenienſes, trophæumque de victoribus hoſtibus poſue-

poſuerunt. Hæc vrbi gloriam, hæc maieſtatem parauerunt. hæc ſunt ob quæ Pindarus Athenas fulcrum Græciæ nominauit. nõ quòd ea Phrynichi vel Theſpidis tragœdiis Græcos erexiſſet: ſed q̃ primũ (vt idem ait) apud Arthemiſiũ filij Athenienſiũ iecerunt ſplendidũ libertatis fundamentũ: & ad Salaminam, Mycalen, Plateas tanquam adamantinis fulcris muniuerũt Græciæ libertatem, & ad alios homines propagauerunt. At verò dices, poëtarum ſcripta eſſe ludicra. oratores autem habere aliquid, quo cum imperatoribus comparentur: vnde, vt apparet, ſumtum ſit quod Aeſchines Demoſthenem ſubſannans, eum dixit ſcribendo litem intendere oratoriæ contra artem imperatoriam. Ergóne dignum eſt præferre Plataicam Hyperidæ orationem Ariſtidæ rei ad Plateas geſtæ? aut Lyſiæ in xxx tyrannos orationem, Thraſybuli facto, aut Pelopidæ Archiam tyrannum interficientis? aut Aeſchinis in Timarchũ de ſcortatione, Phocionis facinori Byzantio auxilium ferentis, quo fecit, ne confœderatorum filij ludibrio & contumeliis Macedonum eſſent obnoxij? aut publicis coronis quibus ob liberatam Græciam ille ornatus eſt, cõparabimus Demoſthenis orationem pro corona? in qua id vnum ſplendidiſsimè ac doctiſsimè fecit orator, quòd maiores ſuos iurauit qui apud Marathonem pro libertate propugnaſſent: potiùs, quàm eos qui ſcholis adoleſcentulos docẽt, in quibus erant Iſocrates, Antiphontes, Iſæi: verùm illos quorum ciuitas publica ſepultura reliquias dignata eſt, in deorum numerum retulit orator, iurãs eos, quos non imitaretur. Iſocrates autem cùm eos qui in Marathone periculum vitæ pro patria adiiſſent, tanquam alienis animis vſos decertaſſe dixiſſet, & eorum audaciam mortiſq; contemtionẽ prædicaſſet maiorem in modum: ipſe (vt fertur) iãm ſenex factus, interroganti quomodo viueret, Ita, reſpõdit, vt homo qui nonageſimum annum exceſsit,

Oratores extenuat.

ac malorum omnium maximum mortem existimat. Non enim gladium acuens, non cuspidem lanceæ præfigens, non galeam poliens, non militans, non remum ducens: sed opposita, paribus membris constantia, similiter desinentia glutinans atque componens, ac tantùm non dolabris atque scalpellis læuigans ac complanans circuitiones verborum, consenuerat. quomodo itaque non metuisset is homo strepitum armorum & acierum armatarum conflictum, qui timuisset vocalem collidere vocali, & isocolon vna syllaba curtatum enunciare? Profectò Miltiades ad Marathonem profectus, postridie à commisso prœlio in vrbem venit victor cum exercitu. Et Pericles cùm Samios nono mense subegisset, Agamemnoni se præferebat, qui Troiam decimo demum anno cepisset. Isocrates autem tres penè olympiades consumsit scribēda Panegyrica oratione: cùm quidem tanto temporis spacio nunquam neque militasset, neq; legationem obiuisset, neq; vrbē condidisset, neq; classi præfectus emissus esset. & tamen innumera bella in id tempus inciderūt. Verùm interim dū Timotheus Eubœam liberat, Chabrias nauali prœlio apud Naxum depugnat, Iphicrates apud Lechæum Lacedæmoniorum legionē (Moram ipsi dicunt) concidit, & populus omni in libertatem restituta vrbe, secum vt sentiret Græcia effecit: noster ille domi desedit, librum vocabulis suis effingens tanto tempore, quanto Pericles Propylæa & Hecatompedum exstruxit. Quanquam hunc ipsum quoque, vt opus tardè conficientem, dicterio impetens Cratinus, ita ferè loquitur de ducendo per medium muro:

Verbis eum Pericles promouet quidem,
Ipsa tamen re proficit nihil. ——

Ac mihi sophisticam considera pusillanimitatē, quę nonā vitæ partem in vnius orationis compositione conterat. Iam vt ad Demosthenis veniamus orationes, ęquúmne est eum imperatoribus comparari, aut orationem eius in Cononem de iniuria cum verberibus coniuncta æqualem iudicari apud Pylum statuto trophæo? aut eam quæ est in Amathusiū de mācipiis, iis quos manu cepit ille Spartanis? aut quæ ille de inquilinis scripsit, paria putare rebus ab Alcibiade gestis, cùm is Eleos & Mantinenses Atheniēsibus contra Spartanos adiunxit? Quin & publicæ eius orationes id habēt admiratione dignum, quòd in Philippicis ad res gerendas cohortatur, & Leptinæ factum laudat.

PLVTARCHI
De exsulio, cōmentariolus.

QVod de amicis dicitur, idem etiā de oratione rectè vsurpatur, eam esse optimam atq; fidissimam, quę rebus aduersis vtiliter adest, auxiliúmque suggerit. Nam multi esse præstò solent calamitate aliqua ictis, cúmque his colloqui, sed inutiliter, atq; adeò damnosè. sicvt natare nescientes, dum in aquis demergi incipientibus conātur opem ferre, iisque complexu nectuntur, vnà etiam infra aquas deferuntur. Oportet autem ei qui in dolore est, orationem ab amicis adhiberi, non quæ assentetur, sed quæ consoletur. Quippe in rebus aduersis non opus nobis est qui vnà nobiscum tragici in modū chori plorent atque lamententur: sed qui liberè nos moneāt, doceántq; nos: quòd cùm alias dolori indulgere, & animo concidere inutile sit atq; futile & fatuum. tum, vbi res ipsæ ratione tractatæ atque ante oculos expositæ monent te sic teipsum debere compellare,

Non facta tibi est, si dissimules, iniuria:

nimis quàm ridiculum esse non carnem interroga-
re, aliquídne ei acciderit, non animum, an iste eum
casus deteriorem fecerit: sed foris nobiscum dolen-
tibus atque indignantibus magistris lugendi vti. vn
de fit, vt ipsi cùm soli sumus, calamitatum tanquam
onerum pondera examinemus cum animo nostro.
* At verò corpus premitur mole imposita: animus ple
runque à se grauitatem rebus adiicit. Lapis durus
est, frigida glacies: suapte vtrunque natura, non ex-
trinsecus istis adscitis suis qualitatibus. Sed exsulia,
ignominias, honorum amissiones, cõtráq; coronas,
magistratus, primum in consessu locum, quæ vt no-
bis vel gaudium vel mœsticiam adferant, non in i-
psorum est situm natura, sed nostro iudicio iis mo-
dus præscribitur: ea quivis nostrûm sibi vel facilia to
leratu, vel difficilia suo arbitratu facit. Audire licet,
quid Polynices, interrogatus,

Eurip. Phœniss.

Quid? patria carere num magnum est malum?

respondeat:

Est maximum, & re maius, quàm dici queat.

Sed cognosce quid in diuersam sententiam Alcman
dixerit, vt quidam de eo hoc epigrãmate expresit:

O mea, maiorumq; meorum patria Sardes,
Mihi in te si obtigisset educarier:
Rumperem in aurata caua nunc ego tympana ueste,
Magnæ sacerdos matris, aut fœdus spado.
Alcmanem nunc me Lacedæmon nomine ciuem
Agnoscit, eruditum Graiis litteris:
Quæ me non paulo uestris fecere tyrannis
Præstantiorem, seu Gyge, siue Dascyle.

Ita eandem rem nomismatis instar vel vtilem vel da-
mnosam redigit opinio. Esto tamen, vt multi dicunt
atq; cantant, exsulium res grauis atque dura. Atqui
multi sunt cibi amari & acres, mordẽtésq; palatum,
aut linguam vellicantes: quibus tamen dum dulcia
quædam & grata admiscemus, id quod offendebat

Remedium aduersus ea, quæ molesta habentur.

adi-

adimitur. Sunt & colores adspectu molesti, ad quos
ob vehementiam nimiámq; vim oculorum acies cõ-
funditur & hebetatur. at pro remedio iis adiicere li-
cet vmbras, aut avertere oculos ad viridia & iucun-
dum habẽtia colorem. Idem hoc facere potes in tuo
casu, vt cum eo temperes quæ tibi in præsentia com
moditates adsunt atque oblectamenta. diuitiæ pu-
ta, amici, ocium, & quòd nulla res ad vitam necessa-
ria tibi deest. Paucos enim Sardianos puto esse, qui
nõ malint cum tuis fortunis etiã extorres esse, opti-
méq; secũ actũ putare, si ita potiùs apud exteros iis
detur viuere, quàm domo affixos testudinis instar
nihil habere boni quo absque molestia perfrui pos-
sint. Quemadmodũ ergo in comœdia quidã amicũ
fortunæ iniquitate læsum bono animo esse, fortunã-
que vlcisci iubet: quærentiq; quónam id facere mo
do posset, Philosophicè faciendum respõdet: ita &
nos eam, vt dignum est nobis, philosophicè vlciscã-
mur. Quid enim? quomodo pluuiarum & Aquilonis
iniurias defendimus? non equidem sedemus pluuia
vel Borea incidẽte, aut flemus: sed ignem, balneum,
vestem, tectum quærimus. Tibi verò ita, vt non faci-
lè vlli alteri, hanc vitæ quasi occupatam frigore par-
tem datum est refocillare, atq; recalfacere: non quî
indigeas adminiculis externis, sed vt rationi cõve-
nienter vtaris iis quæ tibi parata sunt. Nam cucurbi
tulæ medicorũ humorem è corpore pessimum ad se
trahentes, alleuant & seruant reliquũ. qui verò ægri
tudini animi nimis sunt dediti, ij dũ pessima quæq;
suarum rerum cõquirunt, de iis secum soli disputãt,
inhærentq; iis vnde ad ipsos molestia pervenit: ij e-
tiam ea, ex quib. vtilitatem capere poterant, invtilia
sibi reddunt. Quo quidẽ tempore potissimùm iis o-
pitulandum est. Duobus enim istis doliis, quæ fa-
talium euentuum plena Homerus in cœlo ait ia-
cere: non Iupiter promus adsidet, vt aliis lenia &
temperata, aliis sincera malorum exhibeat fluen-

Ilia. ω, 527.

ta.sed nostrûm vnusquisq;,si sapimus,haurientes de bonis quo mala temperemus, vitam facimus iucundiorem & tolerabiliorem : cæteris tanquã colis aut cribris intus manent atq; inhærent, optimis per foramina aut rimas eiectis. Quapropter si in veram aliquam incidimus calamitatem : id quod ad hilaritatem animiq; tranquillitatem facit ex iis quæ in nostra sunt potestate accersere debemus, & bonorum quæ nobis adhuc supersunt consideratione alivnde oblatum incõmodum mitigare. Vbi verò in ipsa re nihil inest mali,sed omnis dolor inanis opinionis error confictus est: ibi quemadmodum laruas pueris metuentibus propiùs adhibemus retectas, inq; manus tradimus,vt adsuescant eas contemnere:ita nos quoq; rationis lumine propiùs admoto detegemus quidquid præter rem putridum,vanũ,& tragicè inflatum nobis obiicitur. Talis autem est tua ẽ patria, quam putas,nunc tibi imperata cõmigratio.Natura enim patriam nullã cuiquam fecit, vt neq; domum, neq; agrum,neq; æreriam, vt Aristo dicebat,neque medicam officinã : sed fit,aut potiùs nominatur horum vnumquodq; quovis tempore ab eo,qui possidet & vtitur.Quippe homo,si Platoni credimus,plãta est nõ terræ infixa aut immobilis,sed cœlestis,cuius tanquam è radice caput sursum erectum in cœlũ dirigatur.Inde est,quod Hercules dixit:

Patria quæ sit.

Argiuus aut Thebanus haud enim peto
Vnius esse ciuis urbis patria
Græca urbs mihi quæcunq; est.——

Et Socrates meliùs,qui non Athenienſem,nõ Græcum, sed mundanum seu mundi ciuem se esse dixit. noluit enim sic à patria ista appellari, quomodo Rodius aut Corinthius aliquis diceretur : neq; se includ sit Sunio,Tænaro,aut Ceraunìis montibus.

Ex Euripide.

Vides sublime fusum immoderatum æthera,
Quid tenero terram circumuectu amplectitur?

Cic.2. Nat. deor.

isti

isti patriæ nostræ sunt termini.neq; hæc quisquã exsul,hospes,peregrinus est,vbi idem ignis,aqua, aer. vbi iidem gubernatores atq; dispensatores,Sol,Luna,Lucifer.vbi eædem omnib. leges, sub eodem magistratu,solstitium æstiuum, bruma, æquinoctium, Pleias, Arcturus,tempora serendi,tempora plantandi.vbi vnus rex & princeps deus,principiũ, mediũ, finémq; cõplexus Vniuersi rectà pergit, & secundũ naturam circumiens.Hunc comitatur Iusticia vltrix eorum qui diuinam legem deseruerunt. hac omnes homines natura adversus oẽs vtuntur tanquã ciues. Quòd autẽ non habitas Sardibus,nihil est. Nam ne Athenienses quidẽ omnes Colyttũ inhabitant, neque vniuersi Corinthij Craneum,neq; Pitanam Lacones.Ergóne tibi peregrini atq; extorres videbuntur Athenienses,qui ex Melita in Diomeã cõmigrauerunt? Illi verò & mensem Metagetnionem appellarunt,& sacrificia Metagetnia peragunt, cõmigrationem in viciniã è suis sedibus (vnde illis nomen) æquo hilariq; animo ferentes. Quæ aũt terræ pars ab altera longè potest distare,cùm ipsam totã mathematici demonstrent cum cœlo cõparatam puncti loco esse? nos aũt instar formicarũ aut apum,si ex vno formicarum nido aut alueari excidimus,in mœrore sumus, & peregrinos nos esse factos ægrè ferimus, ignari omnia, vt sunt,nostra putare atque vsurpare. Ridemus quidem eum,qui dixit meliorem Athenis esse lunã quàm Corinthi. & tñ idẽ quodãmodo nobis evenit,cùm extra patriã constituti terram,mare, aerem cœlũ dubij cõsideramus,tanquam diuersa ab iis quib.adsueueramus. Quippe natura nos liberos solutósq; dimittit:ipsi nosmet devincimus,in angustias cõcludimus,inq; arctũ cõpingimus. Ergo Persarum reges subsannamus,qui (siquidẽ hoc verè narratur) solam Choaspis aquã bibentes, totũ reliquũ orbẽ terrarum aquæ expertem sibi faciunt:ipsi interim aliò locorũ translati, Cephisi,Eurota,Taygeti,

Ex Plat. I V.Leg.

Parnasſive deſiderio mundum nobis ad habitandum non ſatis idoneum reddimus? Sanè quidã Aegyptiorum ab offenſo & irato rege in Aethiopiam deportati, hortantibus vt ad liberos & vxores ſuas redirẽt, pudenda (caninum quidem ſatis hoc) oſtẽdentes reſponderunt, Quandiu hæc ſecum eſſent habituri, neque vxores ipſis neque liberos deſore. Honeſtius hoc & maiori cum grauitate dixeris, Hominem vbicunq; mediocriter ſuppeditabunt res ad vitam tolerandam neceſſariæ, neq; vrbe neq; lare cariturũ: tantùm adſit mens & ratio, anchoræ & gubernatoris vice, vt quouis portu, ad quem delatus fuerit, vti poſſit. Vt enim diuitiæ amiſſæ non facilè aut celeriter poſſunt reparari: ita patria ſit quæuis vrbs homini qui rebus vti poſſit, radicesq; habeat, quibus viuere vbiq; & ali, & adnaſci queat. quales habuit Themiſtocles, habuit Demetrius Phalereus. Hic enim poſtquam in exſulium fuit actus, Alexandreæ primo inter Ptolemęi regis amicos loco, non ipſe modò vixit in abundantia rerum, ſed Athenienſibus etiã dona miſit. Themiſtocles cum regio ſumtu omnia ſuppeditarentur, ad vxorem & liberos dixiſſe fertur: Periiſſemus niſi periiſſemus. Ideò Diogenes etiam dicenti, Sinopenſes te exſulio è Ponto damnauerunt: reſpondit: & ego illos manſione in Ponto,

Ad Euxini maris prærupta litora.

Stratonicus autem in Seripho ex hoſpite quæſiuit, quódnam flagitium apud ipſos exſulio puniretur. reſpondentíque eos qui mala fraude egiſſent, Cur, inquit, ergo nõ falſum cõmittis, vt ex his anguſtiis emigres? & tamẽ Comicus ibi ait ficus fundis deiici, omniáq; habere neceſſaria inſulã. Enimverò ſi ipſam veritatem remota inani opinione cõſideres, qui vni vrbi ſe addicit, is à reliquis omnib. eſt alienus, & peregrinus in iis. non. n. iuſtũ videtur, ſua relicta eũ habitare aliã. Spartã nactus es, eam orna: etiam ſi obſcura ſit, ſi morbis obnoxia, ſi ſeditionibus maliſq; reb. turbe-

turbetur. Cui verò ſuam vrbẽ fortuna adimit, ei concedit habitare quam delegerit. Pulcrum enim illud Pythagoreorum præceptum, Delige vitæ rationem optimam, ſuauem eam conſuetudo faciet: etiam hìc ſapienter poteſt vſurpari. Vrbem delige optimam & tibi iucundiſsimam: patriam eam tibi tempus faciet. & quidem patriam, quæ te non diſtrahat occupationibus, non moleſta ſit interpellando, non iubeat modò Romam ire legatum, excipere modò præfectum, aliàs publica obire miniſteria. Quæ ſi quis memoria repetat nõ planè faſtu inflatus, ſua patria eiectus vel inſulam ſibi pro domicilio deliget. Gyaron puta, aut Cinarum aſperam, ſterilem, atq; cultu difficilẽ. ídq; non animo æger, non lugens, neq; iſta mulierũ apud Simonidem vſurpans verba:

Tenet me purpurei maris
Fremitus circũm exagitati.

Anguſtia loci nihil adimi felicitati.

Sed illud Philippi potiùs ſecum reputabit, qui cùm aliquando in palæſtra cecidiſſet, poſtquam conſus in puluere ſuam vidit imaginem: Dij boni, dixit, vniuerſum terræ orbem appetimus, tam exigua terræ portione à natura nobis tributa? Exiſtimo Naxũ abs te ſpectatam, aut ſaltem Thuriam ei vicinam. atqui illa Otum & Ephialtem cepit, hæc Orionis fuit domicilium. Et Alcmæo in limo recèns compacto quem Achelous adgeſſerat, ſedem poſuit, cùm (vt eſt apud poëtas) Eumenides fugeret. ego autem arbitror eum quoq; ciuiles fugiſſe magiſtratus & ſeditiones furioſáſque calumnias, ac ſibi delegiſſe exiguam ſedem, vbi in ocio tranquillè viueret. Tib. ſanè Cæſar ſeptennium vſque ad mortem Capreis vixit, tantóq; tempore totius orbis terrarum imperij ſacra in vno corde concluſa, locum nuſquam mutauerunt. Verùm ei quidem curæ imperij circumfuſæ & vndiquaq; ingruentes, non conceſſerunt purã & tranquillam quietem inſularẽ. Cui verò licet in exiguam digreſſo inſulam non paruis liberari malis,

is miser est, si non secum Pindarica ista loquitur, ac sæpe cantillat:

Amabo leuem cupressum.
Omissis Cretæ pascuis
Terræ mihi datum est parum,
Careo interim doloribus:

& verò absunt seditiones, mandata principum, ministeria publica, & officia difficulter excusanda. Si enim rectè dixit Callimachus, non debere nos sapientiâ schœno (mensuræ hoc genus) Persica metiri: cur beatitatẽ schœnis aut parasangis metientes, si insulâ incoleremus c c stadiorũ, non ut Sicilia quatridui ambitu cõtentâ, deploraremus nosmet tâquâ infelices? Quid. n. cõfert loci amplitudo ad molestiæ vacuitatẽ? Nõ audis quid in tragœdia dicat Tantalus:

Bis sex dierum mensura consero ego agros,
Berecynthia arua.—

ac paulo pòst dicentem:

Animus meus sursum usq; euectus ad polum,
Decidit humi, & me sic uidetur alloqui:
Disce haud nimis magni facere mortalia.

Et Nausithous amplam spaciis Hyperæam deserẽs, quòd vicini ei essent Cyclopes, in insulam commigrauit,

Odyss. ξ, imitio. *Quæ procul à reliquis mortalibus usq; remota,*
Solaq; in undosi sedes foret æquore ponti:

& evitatis aliorum hominum cõmerciis, suauissimâ suis ciuibus viuẽdi rationem parauit. Iam Cyclades insulas olim Minois filij, postea Codri & Nelei pro-
Insularum laus. genies inhabitauerunt. hodie in iis fatui exsules supplicium se perferre putant. Quanquam quæ tandem exsulibus destinata insula non est amplior Scilluntio prœlio, in quo Xenophon post expeditionẽ illam nobilem præclarè consenuit. Academia tribus drachmarum millibus emta, domicilium fuit Platonis, Xenocratis, Polemonis ibi disputantium ac to-

tam ætatem conterentiũ: vnica demta die, qua Xenocrates quotannis in Astu iuit Liberalibus, vt (quod aiunt) nouorum tragicorum histrionum concoraret festiuitatem. Aristoteli etiam exprobrauit Theocritus Chius, quòd Philippi & Alexandri conuictum amans,

Spreta Academia, loca quâ se Borborus amnis
Effundit posthæc maluerit colere.

Est enim fluuius apud Pellam, qui Macedonibus dicitur Borborus: cùm Græcè ea vox cœnum significat. Quid quòd Homerus insulas nobis quasi ex professo prædicat atque celebrat,

Lemnum diuini uenit inde Thoantis in urbem. item: *Iliad. ξ, 230.*
Et quæ Lesbus habet sedes præclara deorum. Et: *Iliad. λ, 664.*
Scyron Enyei celsam cum cepimus urbem. rursum: *Ilia. β, 625.*
Tum qui Dulichiam, sacras & Echinadas.—

Ac de illustribus viris habitasse in insulis aiunt diis charissimum Aeolum, sapientissimum Vlissem, fortissimum Aiacem, hospitalitatis laude clarissimum Alcinoum. Equidem Zeno, cùm narratum ei esset nauim, quam vnam reliquam habuerat, vnà cũ mercibus esse à mari absorptam, Bene, inquit, ô fortuna facis, in pallium me & vitam compellens philosophicam. Homo autem non fastu tumens, neq; planè insaniens turbæ hominum amore, non (puto) cul pabit fortunam si ab ea in insulam aliquâ detrudatur: sed gratias aget, quòd ipsi multas istas molestias, vagósq; errores, & iactationes peregrinationum, pericula nauigationũ, tumultúsq; forenses adimens, stabilem & quietã, ociosámq; & suauissimam re vera vitam dederit, rerum necessariarum mensuram velvti circino describens. Quæ enim insula est, quæ non habeat domum, ambulationem, lauacrum, pisces, lepores, siquis venatione & animi oblectatione parum seria vti velit? Et quod est potissimum, quies, cuius sitis plerosque tenet, tibi plerunque in

manu tua erit. Tesseris ludentes, & domi sese occultantes, investigant sycophantæ & curiosi homines, consectantúrq;, & ex subvrbanis, hortísq; in forũ & aulam vi pertrahunt. in insulam nemo interpellandi, petendi, æs alienum contrahendi, aut ad fideiussionem exorãdi, vel ad comitia pro ipso obeundum petendi gratia nauigat: sed hoc faciunt necessariorum & familiarium optimus quisque, benevolentia & desiderio impulsus. reliquum vitæ tanquã in asylo constituti & sacrosancti est ei, qui velit & didicerit liberali ocio frui. At qui foris discurrentes, vitæque maiorum partem in diversoriis publicis & teloniis consumentes beatos prædicant, similes sunt eorum qui planetas inerrantibus stellis meliore putant esse conditione. Et tamen vnusquisq; planetarum suo in orbe tanquam insula aliqua ita circumvertitur, vt suũ seruet ordinem. Sol enim (inquit Heracletus) nunquam suos fines transgredietur: si peccauerit, Furiæ eum Iusticiæ adiutrices invenient. Verùm enimverò hæc, amice, his dicimus atq; accinimus, quibus cum in insulam commigratũ est, commercia cum aliis præcidit

Vnda maris, multos inuitos illa repellens.

Tibi, cùm nõ sit vnus adsignatus locus, sed vno prohibitum: dum vno interdicitur, omnium aliorũ potestas est data. Porrò autẽ his cogitationibus, Non gero magistratum, non sum in senatu, non præmiorum in certaminibus sum arbiter, si hæc opponas: Non interfumus seditionibus, non sumtus facimus, non fores præfecti obseruamus, non curæ nobis est cui nunc provincia nostra obtigerit, iracundúsne sit an importunus, * Sed quemadmodum Archilochus Thasi insulæ frugifera arua & vineta silentio prætermittens, eam ob asperitatem & inæqualitatem traduxit, ita scribens,

—illa asini dorsum uelut

Stat,

Stat, materie syluestri prorsus obsita:

sic nos exsulij vnam partem acriùs consideramus, in qua est obscuritas & ignominia: ab altera ocium, quietem, & liberalitatem negligimus. At enim reges Persarum eo nomine felices prædicant, quòd hyemem Babylone, æstatem in Media, Susis suauissimum veris tempus exigerẽt. Licet verò exsuli mysteriorum tempore Eleusine degere, Liberalibus Argis festiuitati solenni interesse: Pythiis Delphos, Isthmiis Corinthum se conferre, siquidem spectaculis delectatur. sin verò, ocium in manibus est, deambulatio, lectio, somnus absque interturbatione, Diogenis illud, Prandet Aristoteles quando Philippo lubet, Diogenes quando Diogeni: cùm neq; negocium, neque magistratus, neque præfectus victus rationem vsitatam tibi interrumpat. Ob hãc adeò causam paucos de prudentissimis & sapientissimis invenies in sua patria sepultos. Plerique nemine cogente revulsis anchoris vitæ nauim ad alium portum applicuerũt: alij Athenas, alij ex Athenis. Quis enim ita patriam suam laudauit, vt Euripides cuius hæc sunt:

Primùm, nec inquilinus nos populus sumus,
Sed indigenæ, natiq; in hoc adeò solo:
Cùm cæteræ urbes tesserarum instar citæ
Aliis aliæ ciues mittant identidem. *
Quòd si quid extra propositum me, feminæ,
Iactare fertis. cœlum temperie optima
Tellurem apud nos ambit. haud æstus grauis
Nos urget, haud hyems gelu nimio premit.
Tum quidquid habet Asia, aut iucundum Græcia,
Hoc omne confectamur genij gratia.

Et tamẽ is ipse, qui hæc scripsit, in Macedoniã abiit, atque apud Archelaum vitæ reliquum exegit. Audiuisti (puto) etiam hoc epigramma:

Aeschylus Euphorionis, Athenis natus, in aruis
Frugifericiacet hîc post sua fata Gelæ.

Nam & hic in Siciliam abiit, & ante eum Simonides. Tum illud, Herodoti Halicarnassei historiæ editio hæc: sunt qui sic scribant: Herodoti Thurij. Migrauit enim Thurios, párſq; fuit eius coloniæ. Iam sacrum illum & diuinum Musarum spiritum, Phrygiæ exornatorem pugnæ Homerum, nónne hæc est causa cur tam multæ vrbes sibi vindicare voluerint, quòd non vnam aliquam laudat? At Ioui quoq; Hospitali multi habentur magníque honores. Quòd si quis dicat, istos gloriam & honores captasse: ad sapientes animũ refer, sapientésq; illas Athenienſium scholas & disputationes tecum recense, Lycei, Academiæ, Stoæ, Palladij, Odei. Si Peripateticam reliquis præfers philosophiam: Stagira patriam habuit Aristoteles, Eressum Theophrastus, Lampsacũ Strato, Troadem Lyco, Chium Aristo, Phaselites fuit Critolaus. Si Stoicam probas: Citiensis erat Zeno, Cleanthes Assius, Chrysippus Solensis, Diogenes Babylonius, Antipater Tarsensis. adeóq; Athenienſis Archedemus ad Parthos abiit, ac Babylone Stoicæ scholæ successionem reliquit. Quis autem illos extorres egit? Nemo. sed vltrò ocium sectantes honestum, quod non temerè contingit iis qui in patria alicuius nominis sunt aut potentia pollent, reliqua verbis, nos docuerunt hoc factis. Atque etiam hodie celeberrimi & præstantissimi viri viuunt extra patriam, non indicto, sed vltrò suscepto exsulio, neque iussi fugere, sed sponte sua fugientes negocia, occupationes, molestias, quas patria adfert. Etenim Musæ, quãtum video, veteribus pulcerrima & nobilissima scripta vt componerent, exsulium pro adiumento adsumserunt. Thucydides Athenienſis bellum Peloponnesiorum & Athenienſium conscripsit in Thracia apud Scapten Hylen: Xenophon in Scillunte Elidis: Philippus in Epiro: Timęus Tauromenij

menij in Sicilia natus, Athenis: Androtion Athenienſis Megaræ: Bacchylides poëta Ceus in Peloponneſo. Hi omnes, iisq; adhuc plures, patria sua amissa non desponderunt animos, neq; sese proiecerunt: sed bonitate suorum ingeniorum vſi, tanquam commeatum fortuna exsulium suppeditante, apud omnes etiam post mortem fama sunt celebri: neque ab illis vlla vllius qui in exsuliũ egisset facta interim extat mentio. Quare is quidem ridiculus est, qui exsulium putat cum ignominia coniunctũ. Quid enim dices. Obscurus fuit Diogenes? quem cùm Alexander vidisset in Sole apricantẽ, & quæsiuisset aliquáne re indigeret: isq; respondisset, nulla, nisi vt paulùm secedens Solis radios non intercipias: miratus animi magnitudinem, amicis dixit, Nisi Alexander essem, Diogenes vellẽ esse. Obscurúsne fuit Camillus Roma eiectus? qui nunc alter Romæ cõditor dicitur. Et quidem Themistocles solum Græcię coactus vertere, non amisit partam apud Græcos gloriam, sed apud Barbaros nouam est adeptus. neque adeò quisquam est abiecto animo, qui nõ mallet esse Themistocles eiectus, quàm Leobates qui de eo retulit eiiciendo: aut qui Clodius potiùs rogationem de Cicerone in exsuliũ mittendo ferens, quàm Cicero exulare iussus esse cuperet: vel Aristophontis accusatoris statum Timothei patria extrusi conditioni præferret. Cæterùm, quando multos verba Euripidis mouent, qui vehementer accusare exsuliũ videtur: videamus quídnã ille singulatim dicat, interrogante & respondente introductis.

IOC. *Quid, patria carere num magnum est malum?*
POL. *Est maximum, & re maius, quàm dici queat.* *Euripides refutatur. Phœniss.*
IOC. *Modus exsulî quis est? quid exsulibus graue est?*
POL. *Hoc maximum unum est, libertate quòd carent.*
IOC. *Seruile sanè est, non dicere quod sentias.*
POL. *Dominorum ad hæc oportet ferre insciti am.*

Hæc neque rectè, neq; verè concedi sibi ille postulat. Principiò enim nō serui hoc est, nō dicere quod sentias: sed viri cordati, cùm occasio & res silētium taciturnitatémve desiderant. quod ipse alio loco meliùs pronunciauit.

Tacere, ubi res poscit: cùm tutum est, loqui.

Deinde dominorum, siue eorum penes quos potestas rerum est, insciti am non minùs ij coguntur ferre, qui domi sunt, quàm qui exsulant: imò illi metu calumniarum aut violentiæ magis plerunq; tolerare istam cogūtur. Illud verò grauissimum est, & absurdissimum peccatum, quòd exsulibus libertatem adimit. Mirū enim si dicendi libertas Theodoro Cyrenæo fuit ademta. qui, cùm ei rex Lysimachus diceret, Te, quia talis esses, patria eiecit: Omnino, respōdit: neq; enim me ferre poterat, sicvt & Bacchum Semele eiecit, cùm ferre nequiret ampliùs. cúmque ei rex Telesphorum ostendisset, qui oculis, naribus, auribúsq; mutilatus in cauea continebatur, ac diceret, Sic ego tracto eos qui mihi malè faciunt: * Quid? An Diogeni libertas fuit ademta, qui cùm in castra Philippi bellū Græcis inferentis venisset, essetq; ad ipsum pro exploratore adductus: fassus est se venisse exploratum Philippi inexplebilem auariciam ac dementiam: qui eò iret, vt momento horæ de imperio suo atque etiam vita pugnæ aleam subiret. An verò Annibal non vsus est libertate dicendi adversus Antiochum, exsul adversus regem. quem cùm oblata occasione iussisset hostes aggredi, isque mactata hostia negaret exta addicere: Quid, inquit? tu carnem pluris facis, quàm hominem prudentem? Porrò autem cùm soli mutatio neq; geometris neque litteratoribus libertatem adimat de rebus sibi perceptis differendi: bonis atq; honestis viris eam adimet? Enimverò futile ingenium vbiq; & vocem intercludit, & linguam pervertit, suffocat, silere cogit. Qualia verò sunt, quæ sequūtur apud Euripidē?

IOC.

IOC. *At spe tamen feruntur exsules ali.*

POL. *Vultu aspiciunt iucundo: cunctantur tamen.*

Id crimē profectò stulticiæ potiùs intentetur, quàm exsulio. Qui enim non didicerunt, neque norūt rebus præsentibus rectè vti, ij semper à futuris pendentes, & absentia desiderantes, spe tanquam rate feruntur atque fluctuant, etiam si nunquam extra muros prodeant.

IOC. *Patris iuuere nil amici & hospites?*

POL. *Felix vide ut sis: nil miseros isti iuuant.*

IOC. *Non nobilitas in altum te tua extulit?*

POL. *Malum est, habere nihil me non aluit genus.*

Hæc verò iam Polynices ingratè dicit, ignominiam nobilitati, amicorum inopiam exsulio inscribēs. qui & ob generis splendorem exsul regiis est dignatus nuptiis, & amicorum sociórúmque tanta stipatus multitudine bellum suscepit. quod ipsum ipse paulo pòst sic fatetur:

Multi Mycenæorum, multi principes
Danaorum & unà nunc adsunt, mihi gratiam
Dantes molestam hanc, qua mihi sit peropus tamen.

Qualis verò est illa lamentatio matris?

Non ego tibi pro more in nuptiis
Facem succendi: non lauacra mollia
Ismenus præbuit tibi.

Enimverò gaudere debebat, ac gratissimum habere, quòd inaudiret filium in tanta regia habitare. illa verò non accensam facem deplorans, & non suppeditatas ab Ismeno aquas (quasi verò Argis & aqua & ignis deessent nuptiis) fastus & stoliditatis mala exsulio appingit. Attamen, inquies, exprobratur exsuli exsulium? à quo tandē, nisi à fatuis? qui & paueriem, & caluiciem, & breuitatem staturæ exprobrāt, & pro flagitio deputant, si quis peregrinus sit, aut inquilinus. verùm qui in horum sententiam non

Exsulium nō esse probrosum.

descendunt, ij admirationi habent viros bonos, siue pauperes ij sint, siue peregrini, siue exsules. Nónne autem videmus vt Parthenonem & Eleusinũ, ita etiam Theseium ab omnibus adorari? & tamen exsulauit Athenis Theseus, cui hoc debent homines, quòd Athenas inhabitant: vrbéq; excidit, quã non inquilinus tenuit, sed ipse cõdidit. Quid verò Eleusini præclarum relinquetur, si nos Eumolpi pudet? qui è Thracia Athenas profectus initiauit sacris, atque etiamnum initiat Græcos. Cuius deniq; filius Codrus Athenis regnauit? nónne Meláthi, qui Messena extorris fuit? An non laudas Antisthenis dictũ? qui obiicienti matrem ipsius Phrygiã fuisse, respondit, Etiam deorũ matrem Phrygiam fuisse. Tu quoque, si quis te probri causa exsulem appellet, respondebis: Etiam Herculis, cui ob victoriarum pulcritudinem Callinico nomen factum est, pater exul erat: & auus Liberi patris, missus ad quærendum Europam, domum non rediit:

Phœnixq; natus, exsul mutauit genus,
Thebas profectus.—

* vbi mulieres furibundæ Bacchum ab eo genus ducentem sacris venerantur. Quod verò Aeschylus obscurè innuit, dicens:

Castumq; Apollinem, exsulem cœlo deum:

de eo meum os, vt cum Herodoto loquar, continẽs esto. Empedocles porrò sic orsus suã philosophiam:

* *Fata iubent, stant hæc decreta antiqua deorum.*
Si quid peccando longæui dæmones errant:
Quisq; luat pœnas, cœloq; extorris ab alto
Triginta horarum per terras millia oberrat.
Sic & ego nunc ipse uagor, diuinitus exsul.

equide ostẽdit nõ se modò, sed suo exemplo omnes homines hîc exsules & inquilinos esse. Hoc enim voluit intelligi. Non sanguis vobis, ô homines, non spiritus concretus animæ ortũ naturámq; præbuit: sed

sed ex his corpus conformatum est terrigenum atque mortale. originem animæ alivnde huc aduenientis leniſsimo vocabulo peregrinationis indico. quæ, si verisimè loqui velis, exsulat & vagatur diuinis eiecta decretis atq; legibus. Deinde tanquã in insula quæ multis agitatur fluctibus, ostrei in morem, vt Plato ait, illigata corpori, quia nõ meminit, neq; reminiscitur ex quanto honore, & quanta beatitate demigrauerit, non Sardibus Athenas, nõ Corintho in Lemnum aut Scyrum, sed de cœlo & luna in terram & terrestrem vitam delata, vt ibi exiguum subinde locum alio loco mutet, ægrè fert insolentem sui mutationem, ac tanquam degener planta emarcescit. Quanquam plantæ quidem vnus locus alio est crescendo germinandóq; aptior. Homini felicitatem nullus locus adimit: vt neq; virtutem, neque prudentiam. Itaque & Anaxagoras in carcere quadraturã circuli descripsit: & Socrates venenum bibens philosophabatur, ádq; philosophandum familiares exhortabatur, beatúsq; ab iis prædicabatur. Phaëthontem autem atque Tantalum, cùm ij in cœlum adscendissent, poëtæ in maximas tradũt ob stultitiam deveniſse calamitates.

PLVTARCHI
De Inuidia & odio.

TA quidem videtur nihil ab odio differre inuidia, sed idem esse. Vniuersè autem malicia tanquam multis hamis prædita, prauis ab ipsa dependentibus affectionibus hinc inde variè in sese implicatur atque committitur: quæ morborum modo vna alterius inflámatione excitátur. Cui res sunt secũdæ, is odium

gerenti & inuidenti æquè est molestus. quare benevolentiam vtrique vitio censemus opponi, quę vult vt proximo bene sit: & invidere atq; odisse pro eodem ducimus, quia contrarium benevolentiæ studium habent. Sed quoniam non ita cõveniunt similitudinibus duo hæc, vt differentiis discrepant: has cõsectemur, initio ab origine vtriusq; ducto. Odiũ gignitur, quòd quem odio quis habet, eũ vel simpliciter, vel erga se malum esse imaginatur. Nam & qui iniuria se affectos putant, autorem iniuriæ odisse solent: & qui aliâs iniurioſi aut malicioſi videntur, eos aversamur atq; molestè ferimus. Invident autẽ simpliciter iis, qui fortuna vtuntur propicia. Itaq; invidentia videtur infinitũ esse quidpiam: sicvt ophthalmia, quæ est oculorũ vitioſus affectus, omnib. splendidis offenditur. Odium semper definitur subiecto certo, in quod incumbit. Deinde, odium concipitur etiam in bruta animalia. Sunt enim qui feles, cătharides, rubetas, serpentes oderunt. Et Germanicus galli gallinacei neq; vocem neq; adspectũ ferebat. mures magi Persarum interficiebant, quòd & ipsi eos odio haberent, & ideo inviſos arbitrarentur. Ex æquo enim & Arabes omnes, & Aethiopes murem abominantur. Invidia soli homini adversus hominẽ est. Neque enim probabile est brutam bestiam brutæ inuidere: cùm de alterius vel secundis vel adversis rebus nihil imaginetur, neq; de bona aut mala alterius fama: quibus opinionibus maximè exasperari solet invidentia. Interim oderunt invicem bruta, exercéntq; inimicicias, & fide maiora bella gerunt. Pugnãt inter se aquilæ & dracones, cornices & vulæ, parus & carduelis, quorum etiam sanguinem occiſorum permiſceri negant, sed etiam si quis confundat, vtrunq; seorsim diffluere narrant. Probabile est etiam leoni adversus gallum, & elephanto adversus murem atrox odium esse à metu natum. Quod enim timetur, id odio est. Hoc ergo vidẽtur odium & invidia

vidia discrepare, quòd hanc brutorum natura non item vt illud admittit. Præterea invidia cõtra neminẽ iustè suscipitur. nemo enim eo iniustè agit, quòd faustis vtitur successibus: propter quos tamẽ ei invidetur. At multi meritò odio habentur: & qui eos non fugiant atque aversentur, ipsos odio dignos dicimus. Atq; huius rei magnum hoc est argumentũ, quòd sunt qui multos se odisse fatentur: nemini autem dicunt se invidere. Odium enim malorum, laudabile habetur. & fratre Lycurgi natum Charilaum Spartæ regem, benignum mansuetúmq; hominem cùm laudarent nonnulli, collega eius: Et quomodo, inquit, probus iste sit, qui ne malis quidem se difficilem gerit? Ac Thersitæ corporis vitia Homerus cùm multiplici atque copioſa oratione depinxisset, animi prauitatem breuissimè, ac quasi vno verbo expressit:

Pelidæ in primis erat, atque inimicus Vlissi. Ilia. β, 220.

nam maior nulla potest esse vitioſitas, quàm optimis esse inimicum. Quinetiam negant se inuidere: & si arguantur, sexcentas præscriptiones adferunt: irasci se dicentes, aut metuere, aut odisse hominem, aut quodvis aliud nomen affectioni prætendentes, quo invidiam velent, vt solam omnium animi morborum infandam. Porrò necesse est easdem vt stirpes, ita etiam affectiones iisdem ali atque augeri rebus. Atqui eos magis odimus, qui deteriores fieri pergunt: invidetur iis potissimùm, quorum virtus crescere videtur. itaq; etiam Themistocles dicebat, se adolescentem nullum splendidũ feciſse facinus: nondum enim sibi fuisse inviſum. Sicvt enim cantharides maximæ adultis iam frugibus, & rosis florentibus incumbunt: ita invidia maximè adoritur bonos, & ad virtutem proficientes atq; gloriam. Rursum extrema malicia facit vt simul etiam odium fiat vehementius. eos quidem, quorum calumnia Socrates fuit oppressus, vt extremè malos, ita ode-

runt, itáque aversati sunt ciues, vt neque ignem eis accenderent, neque interrogantibus responderent, neque in balneo aqua vterentur eadem, sed qua illi lauissent, eam tanquam pollutam iuberent à ministris effundi: donec illi impatientia odij sese suspenderunt. At rerum secundarum excellentia atque splendore sæpenumerò extinguitur invidia. Non enim verisimile est Alexandro quenquam aut Cyro inuidisse, postquã summa rerum sunt potiti. Sed quemadmodum Sol quorum per verticem transit, in eos diffuso lumine aut nullam aut exiguam vmbrã facit: sic qui prosperitate elati supra caput æmulorum eminent, splendore suo eorũ inuidentiã coërcent atque abolent. Odium verò potentia & excellentia inimicorum non minuit. nam Alexander neminem quidem habuit qui inuideret ipsi: qui odissent, multos, quorum tandem interfectus est etiam insidiis. Similiter etiam aduersæ res inuidiam tollunt, odia non perimunt. nam etiam deiectos inimicos oderunt: cùm nemo inuideat misero. Sed & hoc verum est, quod nostra ætate quidam sophista dixit, Inuidos ad miserandum esse facilimos. vt in hoc etiam magnum inuidiæ & odii discrimen appareat: cùm hoc neutram fortunam relinquat, illa vtriusque abundantia elanguescat. A contrario denique idem hoc intelligemus. Inimicicia & odium tolluntur, vel vbi fides fit nos non esse affectos iniuria, vel vbi quos vt malos oderamus, bonos eos esse persuadetur, vel beneficio accepto. vltima enim gratia, vt Thucydides inquit, etsi minor sit, tamen tempestiuè inita, potest maius diluere crimen. Horũ primum inuidiam non perimit. oderunt enim, quantumvis constet nulla se affectos iniuria. Reliqua duo etiam augent eam. nam & magis inuident iis quos bonos putant, vtpote virtute rerum bonarum optima prę-ditis: & si beneficium à fortunatis accipiant, ægrè ipsis est, inuidéntq; iis & voluntatem & facultatem: quorum

quorum illa virtuti, hæc fortunæ debetur, vtraque bonum est. Ergo planè diuersæ sunt affectiones odium & inuidia: quando quibus illud lenitur rebus, iis hæc exasperatur. Iam nunc porrò vtriusque affectionis propositum consideremus. Institutũ est eius qui odit, malè, si possit, facere. atque ita odium definiunt, affectionem quandam & propositum malè faciendi, eiúsq; occasionem captandi. Verùm hoc quidem ab inuidia abest. Multi familiaribus ac domesticis suis inuident, quos perire aut in calamitatem incidere nollent: tantùm molesta ipsis eorum est prosperitas, & gloriam splendorémq; eorum pro viribus minuunt. graue autem incommodum & perniciem inferre nollent, contenti velvti excelsæ domus eam partem quæ lumini officit deiecisse.

PLVTARCHI

Consolatio ad vxorem suam.

PLVTARCHVS vxori S. Quem misisti mihi de obitu filiolæ nunciaturum, eum apparet à via aberrasse cùm Athenas iret. Ego autem Tanagram veniens, de nepte inaudiui. Et quæ ad sepulturã quidem pertinent, existimo iam esse peracta: itáque velim facta omnia, vt & nunc & in posterum quàm maximè tibi vacuitatem doloris præstent. Quod si quid volens prætermisisti, meámq; exspectas sententiam, arbitrarísq; te faciliùs laturam me præsente: hoc quoque fiat citra omnem curiositatem & superstitionẽ, à quibus alioquin longè abes. Tantùm, mea vxor, & me & te huic casui serua animo composito atq; tranquillo. Ego enim ipse scio, atque definio quanta sit

accepta calamitas. si verò te grauiter ferendo modum excedentem offendero, id me magis etiã quàm res ipsa perturbabit. Sanè ipse quoq; nõ sum (quod aiunt) è quercu natus aut saxo. quod tute scis, quæ me tot liberũm educandorum adiutorem habuisti, quos omnes domi nostræ, nostráque opera educauimus. Hanc autem, quæ tibi desideranti filia post quatuor filios nata fuit, occasionémque mihi dedit vt tuum ei nomen imponerem, scio egregiè caram fuisse. & peculiaris dolori acrimonia inest apud animum liberorum amore flagrantem, cùm consideratur quàm illa delectauerit, quàm ingenio fuerit mũdo, & omnis iræ reprehensionisque puro. tum naturalis illa bilis vacuitas & mansuetudò, mutuúsq; amor & gratia simul & voluptatem exhibebat & humanitatis contemplationem. non enim aliis modò infantibus, sed vasis etiam atq; ludicris quibus delectabatur nutricem mammam præbere hortabatur; præ humanitate tanquã ad mensam communem ea vocans, suauissimisque rebus impertiens ea quæ habebat iucunda. Verùm non video, mea vxor, cur hęc & alia id genus viuente ea nos cùm delectauerint, nũc in memoriam reuocata perturbare & dolorem adferre debeant. Sed metuo vicissim, ne vnà cũ dolore etiam memoriam abiiciamus. vt Clymene illa dicens,

Odi nunc arcum corneum habilem,
Exercitationes pereant:

quia semper fugiebat & formidabat recordationem pueri qui vnà eas obiuerat. fugit enim natura omne id, quod molestiam adfert. Oportet autem, quemadmodum ipsa nobis fuit omnium iucundissimũ oblectamentum & spectaculum atque auditio: ita recordationem quoque ipsius nobiscum adsiduò esse atque viuere, quæ multo, immò multis modis plus adferat læticiæ quàm doloris. siquidem par est eorũ sermonum, quos sæpenumerò inter nos habuimus,

Mortuorum recordatio qualis esse debeat.

suo

suo tempore ad nos quoq; aliquam redire vtilitatem: neque nos desidere, & multiplices iis quæ læta percepimus dolores opponere. Hoc quoq; narrant qui interfuerunt, & admirantur, te neq; lugubrem sumsisse vestem, neq; vel tibi vel ancillis vllam intulisse deformitatem, vllum planctum: neque fuisse in sepultura sumtum vllum insolentem aut magnificum adhibitum, sed cum necessariis omnia esse peracta modicè & tacitè. Atq; id quidem mirum mihi non est visum: si, quæ ne ad theatrum quidem aut solennes pompas vnquam te comere aut ornare consueuisses, luxúmq; adeò ad ipsas invtilem voluptates putauisses: in tristi materia frugalitatem conseruasses. Non enim in bacchationibus modò oportet modestã mulierem corruptelæ expertẽ manere: sed ita sentire etiam, in luctu quoq; concussionẽ animi opus habere continentia. nõ quæ adversus naturalem in liberos parentũ amorem pugnet, (vt multi arbitrãtur) sed contra incõpositos intemperantésque animi motus. Condonamus enim dilectioni liberorum desideriũ, honorem, & memoriam defunctorũ. Sed lugendi inexpleta cupiditas, ad lamentationes planctúsq; provehens, nõ minùs turpis est quàm intemperantia voluptatũ: verbis tamen effectũ est, vt veniã impetraret, quia loco delectationis dolor & acerbitas turpitudini cõiungũtur. Quid enim, quęso, magis est à ratione alienũ, quàm nimiũ risum & gaudiũ amputare, fletui & eiulatui ex eodem fonte promananti fluxũ liberũ permittere? aũt de vnguento & purpura nonnullos cũ vxoribus delitigare, interim concedentes tonsurã lugubrem, atratam vestem, sessionẽ deformem, accubitũ laboriosum? aut, quod omniũ est atrocissimũ, si seruos ancillásve domine aliquando immodicè & iniquè puniãt, obstare iis & prohibere: pati interim eas ipsas acerbè de seipsis sumere ac crudeliter suppliciũ tali in casu, qui aliquã animi relaxationem humaniorẽ requirat? Ve-

Vxoris Plutarchi laus.

rùm nobis, mea vxor neq; ista opus fuit lite, neque hac opus fore puto. Nã frugalitate quod vel ad cultum corporis, vel ad victus rationẽ attinet, nullus philosophorũ est quem nostra familiaritate ac consuetudine vsum nõ in tui admirationẽ traxeris: neque ciuiũ cui non in sacris, sacrificiis, & theatris tua cultus vilitas spectaculo fuerit. Iam verò etiã in simili re magnã animi grauitatẽ declarauisti, liberorum natu maximo amisso: & rursum, cùm nos elegãs iste Chæron reliquisset. Memini enim quãdo à mari cum hospitibus mihi domũ redeunti allatus est de pueri morte nuncius, illíq; vnà mecum domum venerunt, aliis etiam comitãtibus: eos cùm omnia intus pacata, altámq; offendissent tranquillitatẽ, opinatos fuisse (id quod postea etiam aliis narrauerũt) nihil accidisse aduersi, vanúmq; fuisse illum rumorem. ita tu tum modestè domũ adornaueras, eo tempore, quod magnam confusionis materiam præberet. Atq; hunc quidem tuis vberibus lactaueras, ac mammæ collisionẽ passæ sectionem sustinueras. Hęc enim generosam & prolis suæ amantem decẽt. alias pleraſq; matres videmus, quando liberos suos tanquam ludicrum aliquod ab aliis in manus traditos sumunt, postea iis mortuis in vanum ingratúmq; luctum effundi. non ob amorem hoc, (is enim honestè ac circumspectè agit) sed quòd exiguæ naturali affectioni multum vanæ gloriæ studium admixtũ, feros facit, & furiosos, implacabiléſq; luctus. Atque hoc videtur non ignorasse Aesopus. Ait enim ille, cùm Iupiter diis honores diuideret, & Luctus quoque sibi aliquid poscereț: concessum ei esse vt honoraretur, sed tantùm ab iis qui volentes vltróque id facerẽt. Et profectò ab initio luctus ita habet. Vnusquisque luctum sibi ipse adsciscit. qui vbi actis radicibus subsedit, familiaríſq; est factus, non iam volentibus his quos occupauit rursum abit. Ergo præforibus ei repugnandum est, neq; committendũ vt veste,

Luctus natura.

veste, tonsura, aliáve consimili re nobis quasi præsidium imponat: quæ quotidie occurrentia, & fatuum incutientia pudorem, ita deiiciunt, inque angustias redigunt, & meticulosum faciunt animum, vt luctus gratia sic obsessus, neque risum, neq; lucem, neque mensam humaniorem participet mœrens. Huic malo comitatur corporis neglectio, & aversatio vnctionis, lauacri, ac reliquę victus rationis. cùm cõtrà debeat anima à corpore bene habente sibi auxiliũ accersere. Magna enim pars mœsticiæ retunditur atq; luxatur, quando corpus velvti fluctus in tranquillitate maris diffusum est. vbi autem æstus & asperitas ex victus mala ratione obortus facit, vt corpus nihil commodum aut gratum animo suggerat, tantùm dolores & molestias, tanquam acerbas quasdam & infensas exhalationes submittat: ne volentes quidẽ facilè ad quietẽ animi sese possunt recipere, tot prauis affectionibus animo læso. Id verò quod in tali re maximum est, & apprimè metuendum, nihil me terret. scilicet malarum mulierum aditus, voces, & in lamentando societas: quibus illæ dolorem exacuũt, non sinentes eum vel aliis rebus, vel à seipso confici atque elangueſcere. Non enim nescio quantum nuper certamen certaueris, cùm opem tulisti Theonis sorori, & pugnauisti contra mulieres, quæ extrinsecus cum eiulatibus & conclamationibus tanquam ignem inferentes accurrebant. Quippe amicorum ædes cùm vident ardere homines, vnusquisque ad exstinguendum incendium omnem suam celeritatem, omnem vim confert. cùm animum vident ardere, ipsi fomites & alimenta incendio suggerunt. Et cui oculi dolent, illum non patiuntur, quantumvis cupientem, inflammationi manum adiungere, neque eam ipsi tangunt: qui in luctu est, sedet dolorẽ suum exhibens cuivis tanquam fluentum aliquod commouendum atque exacerbandum: cùm quidem is ex leui agitatione & titillatione in magnum ac

difficillimum curatu morbum abeat. Verùm ego
Præteritorũ recordatio. satis scio, ab his te tibi cauturam. At enim id te conari velim, vt frequenter te cogitatione in illud transferas tempus, quo tempore nondum nobis ista prole nata nihil erat quod cum fortuna conquereremur. deinde hanc cum illa continues tempestatem, atque sic ratiocinêre, eundem nunc esse nostrũ, qui tunc fuit, statum. Alioqui videbimur, mea vxor, iniquè ferre illum filiolæ nostræ partum, si res nostras ante ortum eius minùs culpandas pronunciemus fuisse. Biennium verò, quod intercesit, neutiquam eximendum est memoriæ: sed voluptati nobis ducendum, quòd nobis gratam oblectationem præbuerit. neque debemus exiguum bonum pro magno malo deputare: aut aduersus fortunam ingrati pro eo quod dedit esse, quia nõ adiecit id quod spe conceperamus. Semper quidem pulcrum suauémque fructum fert de diis bona verba dicere, fortunámque æquo animo & citra incusationem ferre. in tali autem casu qui bona in memoriam sibi reuocat, & cogitationem ab obscuris & animum conturbantibus ad lucida ac splendida conuertit: aut omnino is dolorem exstinguit, aut cum contrarijs temperando exilem debilémque reddit. Sicvt enim vnguentum semper olfactui adfert delectationem, aduersus fœtida etiam remedij vim obtinet: sic bonorum in animo commemoratio rebus aduersis vsum quoq; necessarij auxilij præbet iis, qui non fugiunt meminisse commodorum præteriti temporis: neque vbique & semper culpant fortunam. Quod sanè minimè nos decet, vt calumniam vitæ nostræ impingamus, si ea libri instar reliquis omnib. puris & sinceris vnicam lituram habet. Sæpenumerò hoc audiuisti, beatitudinem pendere à rectis consiliis in affectionem animi cõstantem desinentibus: fortunæ aut em mutationes nullum magnum momẽtum adferre ad summam vitæ. Si tamen opus sit nos quoq; guberna

ri re-

ri rebus externis, ac fortuita cum vulgo enumerare, iudicibúsque nostræ felicitatis vti quibusvis hominibus: noli respicere in præsentes lacrymas, & luctus hominum qui ad te veniunt casum tuum miserantes, prauo quodam more susceptos. sed hoc potiùs considera, quomodo ij te singuli suspiciant ob liberos, domum, vitam. Turpe verò fuerit, cùm alij tuam exoptent fortunam etiam cum hoc quod nũc nobis molestiam adfert coniunctam, te eam præsentem vituperare: neq; ex ipso calamitatis morsu sentire, quantum habeant gratiæ ea quæ supersunt. An sicvt nonnulli capite vel fine carentes Homeri versus seligunt, multis interim tot atque præclaris eius poëmatum partibus supina oscitantia præteritis: ita incommoda vitæ calumniosè conquiremus & enumerabimus, commodis promiscuè neglectis? imitabimurque auaros & sordidos homines, qui multa vbiq; quæsiuerunt, nõ vtuntur partis, sed amissa deplorant? Sin autem eam miseraris quòd innupta atque sine sobole decesserit: alia habes quibus te consoleris, in quibus nihil tale deest. non enim sunt hęc magna mala iis quibus desunt, & interim parua bona habentibus. Illa verò cum iam eò venerit, vbi nullus est dolori locus, nihil nostro opus habet dolore. quid enim nobis ab ea mali evenire potest, cùm omni ipsa vacet molestia? nam magnarum rerum amissiones dolorem abiiciunt, cùm eò pertinuerint, vt nihil iis dolore sit opus. Cæterùm Timoxena tua paucis est priuata rebus: pauca enim norat, paucísque gaudebat, quæ verò neque sensu neque cogitatione percepit, quomodo ei hæc ademta diceres? Enimverò quæ alios audis dicere, quibus persuadent vulgo nullum malum, nullum incommodum esse iis qui soluti sunt corpore: scio ne credas vera, impediri te doctrina à maioribus accepta, ac mysticis tesseris sacrorum Bacchi, quæ nobis inter nos notæ sunt, qui eas communicamus. Itaque ergo

animam, vtpote interitus expertem, cogita idem pati, quod accidit auibus captiuis. Si enim multum tẽporis in corpore ea fuerit educata, multísque rebus & longa consuetudine cicurata huic vitæ se subdiderit: rursum avolans, denuò subit corpus, nequo desinit nouis ortibus subinde implicari huius vitæ casibus atq; eventis. Noli enim arbitrari propterea senectutẽ malè audire & culpari, quia rugas, canos imbecillitatémq; corporis secum trahit. sed hoc habet molestissimum ea, quòd animam rerum ad corpus pertinentium memoria quasi obsolescentem, hisq; nimio studio deditam redigit: flectitq; & premit, figuram quam affecta à corpore accepit, conseruans. illa autẽ accepta quidem * à melioribus, tenetur: tanquam è molli flexu renitens ad suam naturã. Sicvt enim ignis exstinctus, si quis illico accendat, rursum exsuscitatur, ac celeriter reficitur * * *

Aut simul est natus, Plutonia tecta subire.

nisi quòd magnus ei amor rerum terrestrium ingeneratur, emollitúrq; vsu corporis & tanquam medicamentis colliquatur. Sed in acceptis à maioribus per manus moribus atq; legibus magis elucet quid in his rebus sit verum. Suis enim infantib. mortuis neque inferias libant, neq; aliud quicquam faciunt eorum, quæ fieri mortuis apud alios solent. neque enim terræ, aut terrestrium infantes vllam partem percipiunt. neque circum eorum sepulcra & monimenta ac cadáuerum expositionem commorantur aut adsident. nam leges id non permittunt: quia hoc nefas sit, cùm ij in meliorem ac diuiniorem conditionem simul locúmque concesserint. * Quoniam verò difficilius est fidem iis derogare quàm adhibere: externa quidem sic vt leges præcipiunt constituamus: interna autem etiam magis incontaminata, pura atq; moderata sunto.* * *

Infantum mors.

PLV-

PLVTARCHI
De fato libellus.

NOSTRAM de fato sententiam qua fieri potuit perspicuitate ac breuitate cõscriptam, ad te mitto, carissime Piso: quando ita tu flagitasti, non ignarus quàm cautè me ad scribendum conferam. Primùm hoc scito, Fatum dupliciter & dici & intelligi: vel vt actionem (sic enim energeian Grẽcorum liceat interpretari) vel vt substantiam siue naturam. Actionem in Phædro adumbrauit Plato, sic scribens: Léxq; hæc est Adrasteæ, vt quæcunq; anima deo comes, etc. Et in Timæo: Leges, quas de natura Vniuersi deus sanxit animis immortalib. Et in Republica, Fatum ait esse orationem virginis Lachesis, quæ Necessitatis sit filia: non tragicè, sed theologicè suam opinionem enũcians. Quod si quis hęc velit magis vulgaribus verbis exprimi: dicamus in Phædro Fatum describi, vt sit diuina oratio, quam transiri sit nefas, & quæ à causa pendeat nulli impedimento obnoxia. in Timæo, Legem appellari comitem naturæ Vniuersi, secũdum quam omnia quæ fiunt transigantur. hoc enim efficit Lachesis, verè Necessitatis filia, vt & antè commemorauimus, & postea progressu disputationis pleniùs aperietur. At Fatum quod substantia sit, est (vt apparet) vniuersa mundi anima, in tres partes quasi distributa: scilicet in portionem inerrantem, in eam quæ errare siue vagari putatur, & in eam quæ infra cœlum circa terram versatur. harum suprema Clotho appellatur, proxima Atropos, infima Lachesis, quæ sororum sua rum cœlestes actiones excipiens connectit, & in terrestria, quib. præfecta est, didit. Quid, quotuplex, & quale sit Fatum, quod substantia censetur, quis eius

Lib. X.

ordo, quis ad se invicem, quis ad nos respectus, compendio diximus. singula autem alia in Repub. fabula mediocriter suo inuolucro innuit: & nos pro virili conati sumus tibi ea enarrare. Nobis ad Fatũ quod in actione sit referenda est oratio. nam de hoc sunt illæ tam multæ naturalium, moralium, & ad dialecticam pertinentium rerum quæstiones. Satis definitum est, quid sit hoc Fatum. Dicendum ergo deinceps, quale sit: quanquam hoc multis videtur absurdum. Fatũ enim cùm suo orbe omnia quę infinita ex infinito in infinitum fiunt, cõplectatur, infinitũ ipsum non est, sed finitum. Nam neque lex, neque oratio, neque diuinum quicquam infinitum esse potest. Idque rectiùs percipies, quod dixi, si consideres totam conuersionem, & vniuersum tempus, quando octo orbium (vt ait Timæus) inter se finibus continuis coniunctæ celeritates ad caput redeunt, dimensa circulo eiusdem & eodem semper modo moti orbis. Hac enim ratione, quæ definita est * & animo cernitur, omnia quæ in cœlo & in terra sunt, necessariò ex hoc primordio efficiuntur, stabúntque, cùm ad idem redierit principium, & eodem vt antè facta erant modo reddentur. Itaque solus cœli habitus & erga se, & erga terram ac terrena omnia ita est constitutus, vt longis temporum circuitionibus omnia revoluantur atque revertantur: eáque est rerum necessitas, vt illum omnes deinceps suo ordine causæ comitentur. Atq; hoc nunc evidentiæ gratia in nostris rebus intellige, non sine efficacitate cœlestium (vtpote quæ omnium rerum causæ sunt) vel me nunc scribere isthæc, vel te quidquid agis, eo modo agere quo agis. Rursum itaque, cùm eadem redibit causa, ij ipsi nos eadem ista eodémq; modo agemus. idémq; de omnibus hominibus & omnibus aliis rebus accipe, omnia vt sunt, vnica Vniuersi cõuersione in eundem statum restitutum iri. Manifestum ergo iam est quod diximus, Fatum

Fatum finitum.

tum quodãmodo infinitum, nõ esse tamen infinitũ: mediocritérq; potuit perspici esse circulũ quendã. Vt enim motus est circularis, & circulus tẽporis eũ metientis: ita ratio etiã eorum quæ circulo fiunt, est pro circulo habẽda. Ferè id quoq; liquet, qualis res sit Fatum, id tamẽ nondũ explicatum est singulatim. Quale ergo est ipsa sui forma? Est, quantum coniici potest, similis ciuili legi. Primùm enim si non omnia, tamen pleraq; conditione certa mandat. deinde quidẽ vniuersẽ sua potentia omnia cõplectitur, quę ad ciuitatẽ pertinent. quorũ vtrunq; quale sit, agedũ cõsideremus. Suo ordine ciuilis lex de eo qui rẽ fortiter gesserit, & de eo qui ordinẽ deseruerit, verba facit, eodemq; modo etiã de aliis: non tamen de certis personis. sed quæ vniuersa sunt, ea principe loco, cõsequenter ea quæ sub iis cõtinentur, proponit. Itaque legibus dicemus esse præceptum, vt iste vel iste ob rem præclarè gestam honore afficiatur, alius ob desertã aciem puniatur: scilicet quia lex facultate, & non expressis quidẽ verbis, sed tamen ita vt istos ea cõprehendant, de iis sanxerit. sicvt medicorum quoq; & corpora exercentium leges, singularia in vniuersalib. potestate inclusa proponunt. Ita naturæ etiã lex vniuersalia primariè ac præcipuè, cõsequenter singularia instituit: vt ista fatalia sint quodãmodo, hæc eorum fatis omnia adhæreant, sintq; (vt sic dicam) consatalia. Sed fortassis eorum aliquis qui isthæc nimis accuratè examinant, subtiliúsque rimantur, contrà dixerit fato præcipuè singularia, propter hæc vniuersalia demum tanquam consatalia destinari, quæ horũ gratia sunt: præcedit enim id propter quod reliqua sunt, & posteriora sunt quę alterius gratia sunt iis propter quæ sunt. Verùm de hoc alibi agetur. non omnia aũt simpliciter atq; expressè fato contineri, sed tantùm vniuersalia, id in præsentia dictum & ad sequentes & ad præcedentes nostræ disputationis partes congruit. Quod enim definitum est, id diuinæ conuenit providentię:

Leges.

& verò in vniuersali conspicitur. talis ergo est & diuina lex, & ciuilis: in singularibus infinitas locum habet. Videamus nunc quid sit cum conditione poni, quod ex hypothesi Grecis dicitur: & tale esse fatum monuimus. Poni ergo certa quadam conditione dicitur, quod non per se vel absolutè, sed ad aliud relatum, eo posito ponitur ipsum: atq; hac ratione iudicatur, hoc illius esse consequens. Atque talis est Adrasteæ sanctio. Quicũq; animus Dei comes factus aliquid veri perspexerit, is vsque ad alterum circuitionẽ à supplicio sit immunis: & si possit perpetuò id facere, perpetuò sit illæsus. Hoc & vniuersè dictum est, & cum conditione. Ipsum autem fatum tale esse, è natura eius, & appellatione constat. Hæmarmene etiam dicitur, quasi nexa & conserta: & sanctio est ac lex, quia ciuili modo constitutum habet quid ex factis consequatur. Deinceps consideremus ea quæ ad mutuam relationem seu affectionẽ attinent: id est, quo pacto Fatum cum Prouidentia, cum Fortuna, cum eo quod in nostra est potestate, cum contingentia comparetur atque componatur: addendúmque est, quatenus verum sit, quatenus falsum, Omnia fato fieri. Hæc ergo enunciatio, si quidem id notat, Fato omnia contineri, prorsus est cõcedenda. siue quis de rebus humanis & terrestribus, siue de cœlestibus velit intelligi. atque hoc in præsentia, quod ad nostram attinet disputationem, concessum esto. Sin, quod multo magis illa vox præse fert, Fatum non omnia, sed illud potissimum significat, quod Fati est consequens: non dicendum est omnia fieri secundum fatum, ne si comprehenderẽtur quidem fato. Non enim legitima sunt, neque iuxta leges fiunt omnia, quæ legibus continentur. Nam & proditionem, & ordinis desertionem, & adulterium aliaque id genus multa leges complectuntur: quæ legitima esse nemo dixerit. & ego ne rem quidem egregiè gerere, aut tyrannum interficere,

Plat. Phædro.

cere, aut tale aliquid dicturus sim esse legitimum. Quod enim legitimum est, legis est mandatum. At si ista leges iuberent, quomodo nõ contumaces ac legibus adversi iudicarentur ij, qui nullum præclarum edunt facinus, qui non cædunt tyrannos, qui nihil id genus rerũ gerunt? aut si hi nihil contra leges delinquunt, cur non iustũ est illos alteros puniri? Proinde cùm his nulla faueat ratio, ista tantùm dicemus legitima esse, & secundũ leges fieri, quæ legib. sunt expressa: quocunq; aliàs modo acta sint. Eodémq; iure illa tantũ fatalia cẽsebimus, & fato fieri dicemus, quæ cõsequuntur causas in diuina dispositione causarum antegressas. Hinc concluditur, omnia quæcũque fiunt, fato cõtineri: multa autem, atq; adeò pleraq; antecedentibus causis effecta, nõ rectè fato addici. His ita constitutis, porrò dicendũ est, quomodo potestas in reb. & actionib. nostra, fortuna, possibile, & cõtingẽs, & q̃ alia his cognata in antegrediẽtib. ponuntur causis, constare cõstante fato possint. Etenim Fatũ omnia cõtinet, sicvt etiã videtur. neq; tamen propterea omnia necessariò evenient, sed vnumquodq; pro suæ naturæ modo. Natura porrò ita cõparatum est, vt possibile tanquã genus contingenti sit prius: contingens velvti materia subiiciatur iis quæ in nostra sunt potestate, & nostrum arbitrium quasi dominium exerceat in cõtingentia. At Fortuna iis quæ in nostra sunt potestate incidit, ob libera in vtranq; partẽ eventus momenta cõtingentiæ sese ingerit. Atq; id quod dixi, palàm intelliges, si hoc consideres, omne id quod oritur, ipsúmq; adeò ortum non esse absq; facultate: facultatem non absq; substantia. Tum si neq; ortus, neq; id quod oritur, absq; facultate esse potest: ista autem circa hominem sunt, homo substantia est: præterea autẽ facultas (quam potentiam vsurpant) medio loco est inter substantiã quæ potest, & inter motum quo res fit (generationem vocant) ipsúmq; effectum, quorum

Quomodo omnia fatalia.

vtrunq; est de possibilium genere. fit, vt cùm hæc sint tria, facultas, id quod agere potest, & id quod fieri potest: id quod vim habet agendi, facultatem anteeat, hæc possibili sit prior. Atque sic existimo quid possibile sit, explicatũ esse satis perspicuè. Rudi aute Minerua possibile diuidas licet, in id quod vsitatiùs sic dicitur, quia facultatem habet ad fiendũ: & in id quod magis propriè ita appellatur, quia nihil foris est quod impedire possit quò minùs fiat. Nam possibilium quædam nunquam possunt prohiberi: vt ortus occasúsq; cœlestium corporum, & id genus alia quædam possunt prohiberi, vt pleraque humana, multa eorum etiam quæ in sublimi fiunt. Ac prioris quidem generis quæ sunt, necessaria nominantur, quia necessariò fiunt. posterioris contingentia, quia contingere potest, vt in diuersam partẽ eueniant. Sic etiam distinguere licet. Necessarium tale fas seu possibile est, cui opponatur nefas seu impossibile. contingens tale possibile, cuius etiam cõtrarium sit possibile. Nam Solem occidere cùm necessarium est, tum possibile: quod autem ei aduersatur, Solem non occidere, id impossibile est. occidente Sole imbrem fieri, contingens est, & possibile: itidémq; contingens & possibile Sole obeunte non delabi imbrem. Rursum eorum quæ contingentia diximus, alia plerunq;, alia rarò, quædam æqualibus in vtranq; partem momentis & vtrum fors tulerit fiunt. Quorum hoc sibi invicem opponi satis est manifestũ: sicvt & quod plerunq;, & quod rarò fit, inter se pugnant. quę duo maximè in reb. naturalibus: quod æqualia vtroq; momenta habet, in nostris locum habet actionibus. Nam quòd sub ortum caniculæ æstus est, plerunque contingit: rarò, quòd frigus. deambulare aut non deambulare possumus, & quæ alia similia nostræ voluntati sunt subiecta, ac in nostra esse potestate, & consilio delectúve nostro dicuntur fieri. Generis tamẽ vox est magis, cùm in nostra potestate esse dicimus: cuius duæ sũt species.

Possibile, necessarium, Contingens quid?

vna eorum quæ subito animi motu, aut ex ira, vel cõcupiscentia fiunt: altera, vbi ratiocinatio & deliberatio præcessit: quę iam cõsilio & delectu agi dicũtur. Id aũt interest inter cõtingens ac possibile, & id quod in nostra potestate est atq; appetitu nostro incitante fit: ꝙ ratione futuri possibile & cõtingens dicitur: ratione præsentis temporis, in nostra potestate & secundũ appetitum. atq; sic etiam discernere possis: Contingens est quod & ipsum & eius cõtrarium fieri potest: in nostra potestate, altera iã contingentiæ pars quam voluntas nostra delegit. Ergo cõtingẽti possibile ordine naturę anteit, cõtingẽnsq; eo quod in nostra esse potestate dicitur prius existere. qualia sint, quæ nominũ ratio, quę adiuncta, ferè explicatum iã est. Proinde de Fortuna & casu, & quæ cum his in cõsiderationem veniunt, dicendum est. Est itaq; fortuna ex causarũ numero. Causæ aũt aliæ per se sunt causæ, aliæ per accidẽs. verbi gratia, domus aut nauis causa per se est ars ædificandi vel naues cõpingendi: per accidens, musica, geometrica, & quidquid omnino arti domũ nauim ve fabricãdi siue corporis, siue animi, siue externarũ respectu rerum accidit. vnde perspicuũ fit, quod per se est, id vnicum esse & finitũ: id quod per accidens, neq; vnum esse, & infinitũ. nã vni rei infinita inter se differentia accidere possunt. Cæterùm quod per accidens est in iis, quæ nõ modò finis gratia fiunt, sed etiam vbi cõsilium seu delectus locum habet, id iam fortunæ appellationẽ habet. vt si quis plantandi causa fodiens, aurum reperiat: aut si quid præter morẽ tibi eueniat fugienti, insequenti, ambulanti, te obvertenti, cuius gratia tu istud nõ susceperis. Propterea veterum nõnulli fortunam causam dixerunt esse, quæ humana prouideri ratione non possit. De Platonicorum verò sententia, qui propiùs ad rei explicationem accesserunt, definitur fortuna causa per accidens eorum quæ fine proposito in iis fiunt quæ

De Fortunæ

consilio aguntur,addúntq; eam improuisam & ignotam humanæ rationi esse. Et quidem iisdem de causis etiam rarum & præter opinionem esse inhærent ei quod per accidens fit.quod quale sit,si non exdisputatis, saltem ex Platonis verbis liquidò intelligi potest.Sic enim scribit in Phædone. PH. Ergo ne de iudicio quidem inaudiuistis, quo modo fuerit peractum? ECH. Immò.nam renunciauit quidam nobis. ac mirati sumus, quòd dudum eo cõfecto tam multo pòst sit moriturus.quídnam hoc rei est,cedò Phędo? PH. Fortuna ei,ô Echecrates, quædam evenit. Pridie enim eius diei, qua iudicatum est, casu puppis coronata fuit eius nauis, quã Athenienses quotannis in Delum mittunt. In his verbis vocabulum EVENIT nõ significat factum aliquid fuisse, sed multo magis concursu quodam causarum obtigisse,alio alîus gratia facto. Nam sacerdos nauẽ coronauit nõ Socratis,sed alîus rei causa. illi autem aliam ob causam Socratem damnauerunt.Id ipsum verò quod evenit, præter rationem, ac tale evenit,quale etiam providentia vel hominis vel diuina effici potuisset. Atque hæc de fortuna sufficiant. * vt simul subsistere sit necesse, & quod ab eo deducto nomine dicitur. docuimúsque poni antè debere,id in nostra esse potestate. *De casu.* Casus autem latiùs patet quàm fortuna: quando & eam complectitur,& multa alia quæ aliàs aliter accidere suapte natura possunt. Ipsum nomen hoc indicat. Est enim automaton Græcis,quod vltrò & à se fit:intelligitúrq; casus,cùm quod alterius causa fieri solet, fit non propter illam causam. quale * frigus sub caniculæ ortum esse videtur. non enim frustra,neq; * Deniq;,sicvt quod est in nostra potestate, pars est contingentis : sic fortuna pars est casus.vtq; casus contingenti,ita iis quæ in nostra sunt potestate fortuna accidit: non omnibus tamen,sed in quibus consilium delectúsque adhibentur: vti diximus. Proinde casus communis est animatorum & animæ

animæ expertium.fortuna hominis est propria, eius qui iam agere possit.Idq; hinc constat,quòd fortunatum esse & felicem esse pro eodem habentur.& felicitas est quædam agendi dexteritas : hæc autẽ solius est perfecti hominis. Quæ ergo fato comprehenduntur,hæc sunt:cõtingens,possibile,delectus, in nostra situm potestate,fortuna,casus,iisq; adiuncta, de quibus est etiam fortasis,& perinde quæ omnia continentur quidem fato, nullum autem eorũ fatale est. Restat vt de providentia etiam dicamus, quomodo hæc fatum complectatur. *De prouidẽtia.* Est itaque providentia,suprema quidem & prima, primi dei intelligentia siue mavis voluntas benefica erga res omnes,qua primùm singulę diuinæ res omnino optimè ac pulcerrimè sunt ordinatæ. Secunda verò,secundorum est deorum. qui per cœlum ingrediuntur, qua & mortalium res ordinatè fiunt, & singulorum generum permansio atque salus procuratur. Tertia non absurdè dicetur providentia atque procuratio geniorum, qui circa terram collocati humanarum sunt custodes inspectoréque actionum. Cùm ergo triplex spectetur providentia,quarum prima præcipuè & potissimùm sic nominatur : non verear dicere,tametsi hoc philosophorum sententiis repugnãs videri poterit, omnia fieri fato & providentia, non etiam natura.sed quædam fieri secundum providentiam,alia quidem secundum aliam,quædam iuxta fatum:& fatum omnino subesse providentiæ, hanc fato nequaquam. loquimur autem hæc de principe & summa. Quod autem fit secundum aliquid,posterius eo est secundum quod fieri dicitur : vt quod secũdum legem fit,lege, & quod secundum naturam, natura est posterius.ita & quod fit secundum fatum, fato est recentius. Summa autem providentia,omnium est antiquissimum, eo excepto, cuius est siue intelligentia, siue voluntas,siue vtrunq;.est autem,vt antè dixi,patris & opificis omnium. Dica-

Origo mundi.

mus enim, inquit Timæus, causam, cur vniuersum hoc machinatus sit autor. Bonus erat: in bonum autem nulla adversus quicquam aut vlla de re cadit invidia. Ea itaque vacuus, voluit omnia sibi quàm maximè fieri similia. Hanc de origine mundi sententiam potissimam à prudentibus traditam rectissimè amplectéris. Volens enim Deus omnia bona, nihil (quantum omnino fieri posset) malum esse, ita omne id quod cernitur adsumens, non quietem, sed motibus citatum incompositis & vitiosis, in ordinem dispposuit: ratus hunc vtique confusione meliorem esse. Fas enim neq; fuit neque est, vt optimus aliquid facere nisi pulcerrimum. Hæc & quæ sequûtur vsq; ad disputationem de animis humanis, de prima sunt accipienda providentia, quæ principiò omnia constituerit. Pòst ita loquitur. Igitur postquam Vniuersum condidisset, animas distribuit æquali cum stellis numero, & cuique suam dedit, ac tanquam in vehicula imposuit, naturámque Vniuersi monstrauit, & leges fati eis dixit. Hæc quis non censeat expresse ac planissimè de fato dici, tanquam fundamento quodam & ciuili lege, quæ humanis conveniat animis. cuius etiam causam deinceps explicat. Secundam verò providentiam his indicat verbis. Cùm verò ita legibus latis omnia constituisset, vt si quid postmodò accideret mali, ipse eius culpa vacaret: alios in Solem, alios in Lunam, alios in alia temporis instrumenta disseminauit. ac post factam sementem iunioribus diis tradidit, vt ij mortalia effingerent corpora, & quod reliquum est animæ humanæ indigens illis apponerent: reliquisque horum consequentia quæ essent perfectis, præessent, animálque mortale gubernarent quàm fieri omnino posset optimè, ne id sibi ipsi mala adscisceret. His enim vocibus, Vt si quid postmodò accideret mali, ipse eius culpa vacaret, luculentissimam fati causam reddidit. Iuniorum porrò deorum ordo & ministe-

rium,

rium, secundam declarat providentiam, videtúrque simul etiam tertiam attingere: siquidem propterea legibus ita omnia sanxit, vt extra culpam mali esset, quod singulis erat eventurum. Deus autem vitij & maliciæ exsors, neque legibus neque fato opus habebat: sed providentia conditoris vnusquisq; tractus suas res agit. Hęc autem vera, & Platoni placentia, manifestè id testari videntur mihi, quod in Legibus autor legum sic dicit: Quod si quis homo ingenio his sufficiat, diuino natus fato, nihil illi opus fuerit legibus quibus pareat. Nulla enim legum constitutio scientiæ eius præstat: neque fas est vlli parére aut subditum esse eum, sed omnibus præesse ac imperare debet, qui verè liber est natura. Atque ego proinde Platonis sententiam hac imagine complector. Cùm triplex sit providentia: vna quidem quippe quæ fatum genuerit, quodammodo illud complectitur. Ea quæ vnà cum fato est genita, omnino in illa vnà cum fato continetur. reliqua, vtpote post fatum genita, ab illo compræhenditur. sic vt & de eo quod in nostra potestate est, & de fortuna dictum fuit. Quorum enim consuetudinem genius suscipit, iisque opem fert, ij (vt ad Socratem loquitur Theages, tantùm non hinc quoque sanctionem quandam Adrasteæ proponens) sunt quos etiá tu sentis: ij celeriter proficiunt. Quibus in verbis quòd ait quosdam diuinitus adiuuari: id vtiq; tertiæ providentiæ adscribendum est. atque id ipsum velox incrementum fato debetur. neque obscurum est quin hoc totum sit aliquòd fatum. Ac fortasse multò probabilius videbitur, etiam secundam providentiam à fato contineri, atque adeò omnia, quæ fiunt: siquidem rectè à nobis fatum quod substantia definitur, in tres diuisum fuit partes: & illa catenæ fabula, cœlestes orbium circuitiones cum iis recensetur, quæ conditione quadam eveniunt. Verùm de his quidem ego nolim vehementiùs contende-

* * *Totus locus est lacer.*

re, priùs cum conditione dicta, aut quòd magis cũ fato, præcedente fatali fati decreto. Noſtra ergo ratio, vt in ſumma dicam, talis ferè eſt. Qui autem cõtra nos ſentiunt, non tãtùm in fato includit omnia, ſed & fato fieri omnia affirmat. Alteri autem conſonant omnia: & quæ vni, ſatis conſtat etiam alteri conſentire. Ac ſecundum hanc rationem dictum eſt quid ſit contingens, quid in noſtra poteſtate, ſecundum atque tertium: tum quid fortuna, caſus, & alia quæ ab iis pendent. quarto loco dictum eſt de laudibus, vituperationibus, & quæ his ſunt cognata: quinto loco ponamus vota ad deos, eorúmque cultum. Nam iſtæ argutiunculæ, quæ Ignaua oratio, & Metens, & is qui de Fato appellatur: revera fallaces ſunt concluſiunculæ è diſputatione de fato tractæ. Ex opinione contraria, id maximè primóq; videbitur ſequi, nihil fieri ſine cauſa, omnia cauſis antegreſsis. Deinde, à natura hunc mundum gubernari, conſpirantem ſecum, mutuíſq; obnoxium affectionibus. Tertio loco, videbuntur iis quædam fauere teſtimonia. diuinationem puta, quæ vt verè à deo profecta in ſummo eſt apud homines honore. tum ſapientium ad quaſvis res accidentes æquanimitas. tanquam ſi omnia fato eveniant ſecunda. Tertium eſt pervulgatum illud, Omne enunciatum aut verum eſſe, aut falſum. Atque horum hactenus mẽtionem fecimus, vt ſumma breuitate quæ * de fato * quæ oportet perſcrutari, & vtriuſque diſputationis rationis ſubtiliſsima ſtatera perpendere. Iam nunc ad ſingularia excutienda veniendum eſt nobis.

* * * *

PLV-

PLVTARCHI

De Muſica commentarius.

HOCIONIS, eius qui Probus vſurpatus eſt, vxor ſuum ornatũ eſſe dicebat mariti ſui res præclarè geſtas. At ego ornamentũ non mihi tantùm peculiare, ſed cum omnibus familiaribus commune exiſtimo mei magiſtri in doctrina bonarum artium diligentiam. Nouimus enim, imperatorũ pulcerrima facinora ſalutem attuliſſe duntaxat è præſenti periculo paucis militibus, aut vni ſiue vrbi ſiue gẽti: meliores neutiquam feciſſe vel milites iſtos, vel ciues, vel gentiles. At liberalem diſciplinam, quæ & felicitatis eſt corpus, & conſilij boni cauſa, non familiæ modò aut vrbi vel populo, ſed vniuerſo generi humano vtilem comperias. Quanto igitur ea eſt quàm res omnes bellicæ vtilior: tanto etiam magis colenda eſt eius memoria. Enim verò ſecunda Saturnaliũ die Oneſicrates, homo egregius, ad conviuium vocauerat Soterichum Alexandrinum, & Lyſiã vnum eorum, qui ab ipſo ſtipendium ſumebant. Poſtquam omnia ritè peracta fuerũt, ita infit. Quę cauſa ſit humanæ vocis, ô ſocij, in conviuio quærere non convenit, & magis ſobriam ea quæſtio requirit diſputationem. Sed quoniam optimi grammatici definiunt vocem aërem percuſſum eſſe, qui auditu ſentiatur: heríq; à nobis de grammatica eſt inquiſitum, vt arte, quæ facultatem habeat voces literis exprimendi, ac memoriæ tanquam in penu recondendi: videamus nunc quæ poſt eã proximè ſequatur ſcientia ad vocem pertinẽs. Eſt autem, niſi fallor, Muſica. Pium enim eſt, ac præcipuum hominum hoc ſtudium, laudes canere deorum, qui ſoli ipſis articulatam vocem ſunt largiti. quod Homerus his verſib. ſignificauit.

Ilia.æ.472. *Ergo die tota placabant carmine Phœbum,*
Formosum Pæcona Achaica turba canentes,
Et magna laudes modulantes arcitenentis.
Illius auditu pertentant gaudia pectus.

Agite ergo,ô chori musici sodales, in memoriâ redigite, quis primus musica sit vsus, quid ei tempus adiecerit, qui musicam scientiam tractando nobiles exstiterint.nec non & ad quot quantásq; res musica sit vtilis.Hæc cũ dixisset magister,Lysias sermonem excipiẽs:Quæstionẽ,inquit,bone Onesicrates,proponis à multis agitatã. nam & Platonicorũ pleriq;, & Peripateticorũ prẽstantissimi de veteri musica,& quæ ei áccidit corruptela scribendi laborem susceperunt.Sed & grammaticorum atq; harmonicorum doctissimi multum in eam rem studij impenderunt. Magna verò est eorum qui de hac scripserunt dissensio. Heraclides in libro, in quem collegit res musicas, citharæ cantum eiúsq; artem excogitatam primùm perhibet ab Amphione Iouis & Antiopæ F.patre nimirum docente. atq; fidem facit huic sententiẽ ex descriptione quę Sicyone est dedicata,ex qua & sacerdotes Argiuas, & poëtas, & musicos nominat. Eadem tempestate Linũ ex Eubœa oriundũ ait lugubria carmina fecisse:& Anthẽ Anthedone Bœotia natũ hymnos: & Pierium è Pieria de musis poëmata.Philammonem quoq; Delphum Latonæ,Dianæ, & Apollinis natales carmine explicasse,& ab eo primùm choros apud Delphicũ templum fuisse institutos. Thamyrin autẽ Thracem genere vocaliùs & elegantiùs omnibus ea ætate ceciniſſe: vnde eum poëtæ cũ Musis certamen iniuisse dixerint.fertur autem poëma scripsisse deTitanũ bello adversus deos. Fuisse etiã Demodocum Corcyræum veterem musicum, qui carmine expresserit Ilij excidium,& Veneris cum Vulcano nuptias. Sed & Phemium Ithacensem de reditu eorũ qui cum Agamemnone fuerant

Musici primi.

rant ad Troiam profecti versus feciſſe. Neque verò iam commemoratorum poëmatũ solutam fuisse dictionẽ,aut quæ mensura careret:sed Stesichori alio rúmq; veterum Lyricorũ poëmatis similem,qui versibus modos quibus canerentur adiecerunt. Nam & Terpandrũ ait citharœdicorum poëtã modorũ(nomus Græci,hoc est leges,appellant) & sua & Homeri carmina in certaminibus certo quodq; modulo ceciniſſe: eúmq; primum modis citharœdicis nomina imposuisse. Simile Terpandri studio studiũ fuisse Clonæ,qui princeps tibicinum nomos & accentus instituit,scriptor elegiarum & epicus. Eodémq; poëmatis vsum genere Polymnestum Colophoniũ, qui ætate fuit posterior.Nomi autem(hanc enim vocem ambiguitatis vitandæ gratia vsurpemus) erant ergo,mi Onesicrates,nomi quibus illi vterentur tibicinũ, Apothetus, Elegi,Comarchius,Schœnion, Cepion,daus,Trimeles,siue triplex.Postea temporis etiam inventa sunt Polymnastia quæ vocantur. At citharœdicæ artis nomi multo ante tibicinũ nomos tempore instituti sunt à Terpandro.Is ergo citharœdicis nomina fecit Bœotium, Aeolium, trochæum,acutum, Cepionem,Terpandrium,Tetracœdium. Fecit etiam Terpander procœmia citharœdica in heroicis carminibus.Quòd autem citharœdici nomi antiquitus ex heroicis versibus cõstiterint, Timotheus declarauit: qui primos nomos heroicis permiscens, dithyrambicá cantauit dictionẽ,ne prima fronte videretur veterem musicá violare.Apparet autem Terpandrum citharœdica arte excelluisse.ná quater vicisse Pythia deinceps scribitur. Admodum verò antiquus est.nam Glaucus Italus, quodam in libro de veterib. poëtis & musicis, priorem eum Archilocho pronunciat. ait enim eũ secundum extitisse post eos qui primi tibiis canere instituerũt. Alexander in collectaneis de Phrygia,primũ Olympum asserit in Græciã pulsationem fidium intulisse:

Nomi.

deinde Idæos dactylos. & Hyagnidem primũ tibia ceciniſſe: pòſt Marſyam huius filium, inde Olympum. Terpandrum porrò æmulatũ eſſe Homeri verſus, Orphei cantilenas. Orpheus autem neminẽm videtur imitatus. nemo énim tunc natus fuit, extra poëtas qui facerẽt ea, quæ tibiis canerentur. horum autem cũ opere Orphicum nihil habet ſimile. Clonâs verò tibicinum modos qui fecit, paulo poſterior Terpandro, fuit patria Tegeates, ſi Arcadibus credimus: Thebanum enim Bœoti affirmant. Poſt Terpandrum & Clonâm Archilochus extitiſſe traditur. Alij nonnulli ſcriptores Ardalum aiunt Trœzenium Clonâ priorem tibicinam inſtituiſſe muſicam. Fuiſſe etiam Polymneſtum poëtam Meletis Colophonij F. qui Polymneſtum & Polymneſtam nomos fecerit. Quod autem Apothetum & Schœnionem nomos fecerit Clonâs, ſcriptores recenſionum memorant. Polymneſti mentionem Pindarus & Alcman lyrici faciunt. Et quoſdam citharœdicorum nomorum à Terpandro factorum, Philammonem Delphum veterem aiunt compoſuiſſe. In ſumma autem, citharœdica muſica Terpandri ætate vſurpata, etiam vſque ad Phrynidis tempora planè ſimplex perdurauit. Neq; enim antiquitus, vt nunc, licebat cithara canere, neq; harmonias (ſiue concẽtus mavis) & rythmos ſiue numeros tranſferre. Nam in quovis nomo propriam conſeruabãt intentionem. atque hinc nomi dicti ſunt, hoc eſt leges: quòd in vnoquoq; non licebat tranſgredi prę-ſcriptam intentionem. Etenim vbi deorum veneratione erant ſuo arbitrio defuncti, tum ſtatim ad Homeri & aliorũ poëmata tranſibant. ídq; manifeſtum eſt ex initiis Terpandri. Figura etiam citharæ primùm facta eſt ſub Cepione Terpandri diſcipulo: & vocabatur Aſiatica, quia Lesbij citharœdi ad Aſiã accolentes ea vterentur. Ad extremum fertur Periclætus citharœdus Lacedæmone viciſſe Carnea, domo Lesbius. quo mortuo continuam citharœdorum apud Lesbios deſiiſſe ſucceſsionem. Quidam falſò putant Hipponactem fuiſſe Terpandri ætate: cùm etiam Periclætus Hipponactem præceſsiſſe videatur. Sed quoniam ſimul veteres tibicinum & citharœdorum nomos retulimus, tranſibimus iam ad tibicinũ nomos. Traditũ eſt enim Olympũ de quo diximus, cùm eſſet tibicen è Phrygia, tibicinum nomum feciſſe in Apollinem, qui Polycephalus, id eſt, Multiceps, diceretur. hunc Olympum aiunt vnum fuiſſe eorũ cui deſcenderunt à primo Olympo Marſyæ diſcipulo, qui nomos in deos fecit. is enim cùm amaſius fuiſſet Marſyæ, & ab eo artem tibia canendi didiciſſet, harmonicos nomos in Græciam intulit, quibus nunc Græci vtuntur in feriis deorum. Alij Cratetem polycephali nomi autorem faciunt, qui Olympi fuit diſcipulus. Pratinas Olympo iuniori adſcribit. Harmatiũ autem nomum, cui à curru nomen videtur eſſe, dicitur primus feciſſe Olympus, Marſyæ diſcipulus. Marſyam quidam Maſſen appellatum, alij Marſyam dicunt: eſſe autem Hyagnidis filium, eius qui primus artem tibia canendi invenit. Olympi autem eſſe harmatium nomũ, ex Glauci veterum poëtarũ recenſione cognoſci poteſt: tũ hoc, Steſichorũ Himeræum neq; Terpandri fuiſſe imitatorem, neq; Antilochi, neq; Thaletæ: ſed Olympi: vſum nomo harmateo, & ea ſpecie quæ dactylo procedit, quã alij de orthio nomo eſſe volunt. Alij quidam à Myſis inventũ nomũ illum aiunt. nã veteres fuiſſe Myſos tibicines. Eſt & alius antiquus nomus, qui Cradias dicitur, quo Mimnermum ceciniſſe ait Hipponax. Initiò enim elegias modulatas tibicines canebant. quod Panathenæorũ deſcriptio indicat, vbi de muſico certamine verba fiũt. Fuit & Sacadas Argiuus qui odas & elegias fidibus accommodatas ſcripſit. idẽq; bonus poëta, ter viciſſe Pythia in recenſionib. traditur. eiúſq; etiã Pindarus mẽtionem

facit. Cùm ergo de ſententia Polymneſti & Sacadæ
Toni. tria ſint tonorũ genera, Dorium, Phrygiũ, Lydium: ferunt Sacadã in vnoquoq; horũ feciſſe ſtropham, docuiſſeq; chorũ canere Doricè primam, Phrygicè ſecundam, tertiã Lydio tono. atq; hunc nomũ fuiſſe ob mutationem dictũ tripartitũ. (ſic enim Trimeres interpretemur.) In faſtis verò ſeu recenſione poëtarum quæ Sicyone eſt, Tripartiti huius nomi autor fertur Clonãs. Prima proinde muſicæ conſtitutio Spartæ facta eſt à Terpandro. Secũdæ autores hi potiſsimùm memorantur: Thaletas Gortynius, Xenodamus Cytherius, Xenocritus Locrenſis, Polymneſtus Colophonius, Sacadas Argiuus. Cùm enim hi introduxiſſent gymnopædias, hoc eſt, puto, ea quæ accinerentur nudis corporum exercitationibus: in Arcadia traduntur inſtitutę fuiſſe demonſtrationes quæ dicuntur, & Argis endymatia ſiue indumenta appellant. Fuerunt autem Thaletas, Xenodamus, & Xenocritus Pæanũ ſcriptores: Polymneſtus carmina cõpoſuit quæ orthia dicebãtur: Sacadas elegias. Alij Xenodamum nõ Pæanas ſcripſiſſe aiunt, ſed hyporchemata. in quorũ numero eſt Pratinas. ipſiúſq; adeò Xenodami cãtilena memoriæ prodita eſt, quæ non obſcurè hyporchema ſit. Vſus eſt hoc genere poëmatis etiã Pindarus. Differre autem pæanem ab hyporchemate, carmina Pindari docent: qui vtrũq; ſcripſit. Et Polymneſtus tibicinos nomos fecit: in orthio lyricis eſt vſus modulis, vt quidem harmonici aiunt: nõ enim certum poſſumus pronunciare, cùm antiqui hac de re nihil quicquam prodiderint. De Thaleta etiã Cretenſe dubiũ eſt, an Pæanes ſcripſerit. Nam Glaucus poſt Archilochum fuiſſe Thaletam affirmans, imitatũ eum odas Archilochi fatetur, prolixiùs tamen extendiſſe, & Maronem ac Cretenſem rythmum odarũ poëſi inſeruiſſe: quibus neque Orpheus vſus fuerit, neq; Terpander, neq; Archilochus. hæc enim ex Olympi tibicina muſica aiunt

aiunt Thaletã depromſiſſe, boníq; tibicinis laudem inveniſſe. De Xenocrito præterea, Locris Italicis oriundo, controverſia eſt, an is Pæanas cõpoſuerit: ferunt enim eum res ſcripſiſſe, quarũ heroica fuerint argumenta: eáq; ob hãc cauſam fuiſſe à quibuſdam dithyrambos nominata. Eundem Glaucus Thaleta poſteriorem fuiſſe ſcribit. Porrò autem Olympus, vt ait Ariſtoxenus, à muſicis putatur euharmonij ge neris fuiſſe repertor. nã ante ipſum omnia diatona fuerunt, & chromatica. Suſpicantur autẽ Olympum ſic inveniſſe. cũ verſaretur in diatono genere, & carmen ſæpe transferret in diatonũ parypatem, hoc eſt ſummæ proximã chordam, nunc ab ipſa media, nũc ab ei proxima fide: præterirétque lichanon diatoni neruum, depræhendiſſe eius conſuetudinis elegantiã, miratúmq; & amplexũ Syſtema, quod ea conſtitueretur proportione, id in Dorio vſurpaſſe tono. Non enim eum vel ea quæ diatoni ſunt propria, vel quæ chromatici attigiſſe: ac ne harmoniæ quidem. Fuiſſe autem ei prima euharmoniorũ talia. Primo enim in his loco ſpondeum ponunt: in quo nulla diuiſionum proprietatem ſuã indicat: niſi quis in contentiorem ſpondei vſurpationẽ reſpiciens, eum putet eſſe diatonicũ genus. Qui verò hoc ponet, eum liquet cùm falſum, tum abſonũ à cantu ponere. Falſum, quia dieſi inferior tono erit eo, qui principe ponitur loco. à cantu alienum, quòd etiã ſi quis in poteſtate tonici ponat contentioris ſpondeorum vſurpationis proprietatem: eveniet vt duo deinceps ſita ponantur diatona, compoſitum alterum, alterum incompoſitum. nam denſum illud euharmonium, quod in mediis fidibus collocatum hodie in vſu eſt, non videtur eſſe poëtæ. Facilè autem hoc animadverti poteſt, ſi quis aliquem priſco more canentem tibi audiat. nam etiam mediarum ſemitonium vult eſſe incompoſitum. Atq; tale fuit initio genus euharmonicum. poſtea temporis diuiſum eſt ſemito-

Euharmonius cantus.

nium in Lydiis & in Phrygiis. Videtur autẽ Olympus cùm auxisset musicam, nondum natam, ignoratámq; adhuc rẽ introduxisse, princépsq; fuisse Græcæ & pulcræ musices. Est etiam aliqua de rythmis ratio. Invenienda enim vlteriùs sunt quędam genera & formæ rythmorum: atque etiam cantilenas & rythmos scribentium. Primum enim Terpandri nouarum rerum in ea arte molitio, venustum quẽdam modum in musicam invexit. Eo post Terpandrũ vsi sunt deinceps Polymnestus, Thaletas, Sacadas. nam hi etiã rythmis conficiendis suffecerunt, nõ egressi sunt pulcram illam formã. Sunt & alia ab Alcmane & Stesichoro nouata: sed ita, vt à pulcro non discederetur modo. Krexus autem, Timotheus, atq; Phi loxenus, aliiq; ætate iis inferiores, importuniores aliquanto, ac nouitatis studiosi magis fuerũt. modũ enim affectauerunt qui humanus nunc & thematicus appellatur. Evenit enim, vt paucitas chororum, simplicitásq; & maiestas musicæ planè ob vetustatem spernenda videretur. * pro virili locutus de prima musica, de primis eius inventoribus, tũ quorum ea temporis progressu adinventionibus aucta fuerit, finem faciam dicendi: locúmque dabo socio meo Soterichо, qui nõ Musicã modò, sed & reliquũ disciplinarũ orbem studiosè excoluit. nos enim magis exercitati sumus in ea musicæ parte, quæ manu & instrumẽtis tractatur. His dictis Lysias obticuit. Tum Soterichus in hæc verba orsus est: De venerabili studio, & diis maximè accepto, optime Onesicrates, verba nos facere iussisti. Probo itaque Lysiæ præceptoris cùm doctrinam, tum memoriam, quam ostendit recensendis primis musicæ inventoribus, iisque qui has res conscripserunt. Id vnum monebo, eum tantùm scripta secutum esse in iis ostendendis. Nos autem non hominem aliquem accepimus repertorem musicæ bonorum, sed omnibus virtutibus ornatũ deum Apollinem. Non enim Marsyæ, aut

aut Olympi, aut Hyagnidis, vt putant quidam, inventum tibia, neque sola cithara Apollinis est: sed idem deus & citharæ & tibiæ cantum invenit. Manifestum hoc est è choris & sacrificiis quæ tibiis interim canentes deo adferebant: quod & alij, & Alcæus in quodam hymno narrat. Sed & simulacrum Apollinis in Delo positum in dextra manu arcũ, læua gratias habet, quarum quævis aliquod musicum instrumentum tenet: lyram vna, alia tibias, media fistulam ori admotam. Neque meus est hic sermo: sed Anticles & Ister in Illustrationibus suis hæc retulerunt. & simulacrum illud ita antiquum est, vt dicatur à Meropibus factum, qui Herculis ætate vixerunt. Sed & puerum, qui Tempicam laurũ Delphos defert, comitatur tibicen. Quin & Hyperboreorum sacra adhibitis tibiis, citharis, & fistulis in Delũ missa ferunt antiquitus. Sunt qui ipsum deum tibia cecinisse autumẽt: vt narrat optimus cantilenarũ conditor Alcmã. Corinna è Minerua didicisse tibiis canere Apollinem ait. Itaque veneranda prorsus est musica, deorum inventum cùm sit. Prisci porrò ea vt dignum fuit vsi sunt, vt & reliquis omnibus instituti. Nostra ætate maiestate eius omissa, pro mascula illa & diuina confractam & garrulam in theatra inducunt musicam. quam Plato 111 De rep. libro vituperat: Lydiam quidem harmoniam repudians, vt accommodatam lamentis: vnde & primam eius institutionem lugubrem fuisse dicunt. Nam Aristoxenus scribit in primo De musica libro, Olympum de morte Pythonis lugubre carmẽ tibiis cecinisse, Lydio modo. Sũt qui Melanippidem autorem eius cantilenæ faciunt. Pindarus in pæanibus primùm de Niobes nuptiis Lydiam harmoniam vsurpatam ait: Alij Torebum principem ea vsum dicunt: de quibus est Dionysius Iambus. Mixolydia quoque animum percellens, tragœdiis est apta. Hanc Aristoxenus scribit primùm à Sapphone inventam: ab ea di-

Apollo tibiæ & citharæ autor.

De harmoniis.

diciſſe tragœdos, qui cum Dorica coniunxerint cùm hæc maieſtatem conciliet, illa mentem perturbet: quibus rebus commixta eſt tragœdia. In hiſtoria muſica legitur eam à Pythoclida excogitatam tibicine. Lyſis perhibet, Lamproclem Athenienſem, cùm is animadvertiſſet nõ ibi eſſe diazeuxin, (quod nos deiunctionis verbo volumus intelligi) vbi ferè omnes eſſe putauerunt, ſed verſus acutam vocem: talem eius inſtituiſſe modum, qualis eſt à parameſa ad hypaten hypatôn. (id eſt, à mediæ chordæ proxima, ad ſummarum ſummam.) Quinetiam remiſſam illam Lydiam harmoniam, ſiue Mixolydiam, adſimilem Ionię, inventam autumãt à Damone Athenienſi. Has harmonias, cùm altera earum ſit ad lamentandum parata, altera diſſoluta, rectè Plato reiecit, ac Doricam, vt bellicoſis temperantibúſq; convenientem viris delegit. Neque is me hercle id fecit ignorans (quod ei impingit crimẽ Ariſtoxenus in ſecundo muſicarum rerum libro) etiam in iſtis aliquid eſſe quod parti reipublicæ, cui cuſtodiendi incumbit munus, proſit. Studioſiſsimus enim muſices fuit Plato: vt qui Draconem audiuiſſet Athenienſem, & Metellum Agrigentinũ. Sed quia, vt monui, magnã in Doria maieſtatem eſſe intellexit: eam harmoniam prætulit. non neſcius interim multa Doricè Parthenæa ſeu virginalia ab Alcmane, Pindaro, Simonide, & Bacchylide facta. quinetiam proſodia, (quæ apparet fuiſſe carmina, qualia ſupplicationibus deorum accinerentur) pæanes, adde etiam deplorationes tragicas, & amatoria quædam carmina, Doricæ harmoniæ eſſe incluſa. Sed ei ſufficiebant quæ in Martem Mineruámq; cantarentur, & ad libationes ſpondæa dicta. ſatis enim ea valebant ad animum viri honeſti confirmandum. Idem Lydiæ & Ioniæ harmoniæ vſum non ignorauit: ſciens iſta modulatione tragœdiam vti. Sed & veteres omnes nullius imperiti harmoniæ, tamen vſi quibuſdam modò ſunt.

Neque

Neque enim ignoratio tantas anguſtias & paucitatem chordarum peperit apud illos: neque inſcitia factum eſt, quòd Terpander, Olympus, horúmque ſectatores multitudinem & varietatem neruorum ſuſtulerunt. Atque hoc arguunt Olympi, Terpandri, & aliorum qui modum eundem tenuerunt carmina omnium. quæ cùm tribus ſint contenta fidibus ac ſimplicia, præſtant omnibus variis & multas chordas requirentibus: ita quidem, vt Olympi modum exprimere nemo poſsit, inferioréſq; eo omnes ſint, vbi ſe ad multiplicẽ & multis chordis opus habentem modulationem contulerunt. Quòd autem priſci in modo qui ſpondeis aptus eſt non ignorauerint tertiæ chordæ vſum, ſatis demonſtrat eius in pulſatione (Kruſin Græci dicũt) vſurpatio. nõ enim ea cum parhypata (quæ eſt proxima ſummæ chordæ) conſonante vſi fuiſſent, ſi vſum ignorauiſſent. ſed manifeſtum eſt, quòd elegantia quæ ſpondæaco modo conciliatur per tertiam, ſenſum eis præbuit transferendi carmen ad parhypaten. Eadem eſt etiam de neta ratio. Nam & hac in pulſatione vſi ſunt, & ad paranetam ſeu imæ proximam diſſonantium, & ad mediam conſonantium. Sed ratione cantilenæ non viſa eſt illis convenire ſpondæaco modo. Neque his tantùm, ſed & ſyemmena neta, hoc eſt adiunctarum chordarum vltima ſic vniuerſi ſunt vſi. Nam ſecundùm pulſationem ipſam diſſonabant ad paranetam & parameſam, & lichanum. ſed in cantilena vtenti pudorem incuſsiſſet, quia contra morem ibi vſurpata eſſet. Ex Phrygiis etiam conſtare, quod non ignorauerit Olympi & qui eum ſecuti ſunt. Vſi ſunt enim iis non tantùm in pulſatione, ſed & in cantilenis de matre deorum & quibuſdam Phrygiis. De hypatis etiam ſeu ſummis neruis conſtat, non ignoratione factum eſſe quòd eo quatrichordo non vſi ſunt in Dorio: cùm in aliis tonis vſi, vtique cognitum habuerint. Sed vt

morem seruarent, à Dorio tono id abstinuerũt, pulcritudinem eius venerantes. Tale est etiam in tragœdia quippiam. Nam chromatico genere & rythmo nusquam ne hodie quidem tragœdia vtitur. cithara autem, quæ tragœdiam ætate multis seculis anteit, ab initio vsa est. Chroma autẽ quàm harmoniam esse antiquius, in prõtu est. est enim nimirum ætas definienda secundum humanæ naturæ occursum & vsum. Nam quod ad ipsorum generum attinet naturam, non est aliud alio antiquius. Si quis ergo Aeschylum aut Phrynichum diceret ob ignorantiã abstinuisse chromate, non absurdè diceret? Idem enim etiam Pancraten diceret ignorauisse chromaticum genus: nam & is plerunque id vitauit, etsi in quibusdam est vsus. abstinuit itaque non ignoratione, sed consilio ductus: sectabatur enim, vt ipse aiebat, Pindaricum ac Simonideum modum, & omnino eum qui nũc antiquus appellatur. Eadem de Tyrtæo Mantinense, & Andrea Corinthio, Thrasyllo Phliasio, multisque aliis valet ratio: quos omnes scimus consultò abstinuisse chromate, mutatione, fidium multitudine, aliáque multa in medio sita rythmorum, harmoniarum, vocabulorum, modulationum, interpretationum genera. Statim enim occurrit Telephanes Megarensis, qui ita infensus fuit fistulis, vt tibiarum opifices nunquam sit eas passus imponere tibiis. quin & Pythico certamine hac maximè de causa abstitit. In vniuersum autem si quis ex eo, quòd vsum aliquis rei omiserit, colligendum putet eam ipsi rem ignotam fuisse: multi restant ei etiamnum inscitiæ damnandi. vt Dorionij, qui Antigenideum modum spernunt, siquidem eo non vtuntur: & rursum Antigenidei, qui eadem de causa Dorionium: & citharœdi, qui Timothei modum vitant. ferè enim abiuerunt in quisquilias, & ad Polyidi poëmata. Iam si quis rectè & peritè consideret varietatem, & prisca cum nostris comparet, olim quoq;

Chroma.

quoque varietatem in vsu fuisse inveniet. Nam varietate in rythmis faciendis, quæ magis varia esset, vsi sunt veteres. vt qui rythmicam varietatem in honore haberent. Sed & pulsationum elocutiones tunc fuerunt magis variæ. nam nostri discendi sunt studiosi, prisci rythmorum amatores erãt. Constat ergo, non ob ignorationem, sed consilio veteres fractis cantilenis abstinuisse. Neque hoc mirum est: cùm multa alia vitæ instituta non ignorentur ab iis, qui ea non vsurpant: vsuque dempto ea ab ipsis abalienantur, quod in quibusdam aliquid indecorum animad versum fuit. Sed Platoni neque ignorantiam neque imperitiam in causa fuisse vt quædam reiiceret: verùm id eum feciſſe, quia indecora reipub. iudicaret ea esse: iam nunc ostendemus, eúmque harmonicæ rei gnarum fuisse docebimus. Is ergo in ortu seu procreatione animæ ea, quam Timæo inseruit, suam in rebus mathematicis ac musicis diligentiam fecit testatam. Hæc enim sunt eius verba. Et secundum hæc impleuit cùm du “ pla tum tripla intervalla: portionésque inde absci- “ dit, & in medio eorum collocauit, vt in quòvis “ intervallo duo sint media. Hoc exordium manasse ab harmonica peritia, mox ostendemus. Tres “ sunt medietates (liceat enim sic verbum verbo referre) vnde omnis mediocritas æstimatur, Arithmetica, Harmonica, Geometrica. in prima æqualis est numerus quo se invicem excedunt excedunturque termini: in tertia eadem fit proportione: in media neque proportione, neque distantia eadem termini sese consequuntur. Itaque Plato, cùm animalem harmoniam quatuor elementorum, causamque ex dissimilibus inter se consonantia vellet harmonicè demonstrare: in vtroq; intervallo duas animales medietates musica ratione ostendit. Nam consonantia, quam in rebus musicis diapasõn Græci, nostri vulgo Octauam nominant, duo inter ex-

Platonem fuisse rerum musicarum peritum.

Proportio musicorum interuallorum.

tremos terminos media recipit. quorum proportionem ostendemus. Extrema consonantiæ diapason duplam inter se rationem tenent: vtque hoc intelligere exemplo possis, numeris rem explicabimus. Ergo maior extremitas ad minorem ita se habet, vt XII ad VI. Hoc interuallum (id enim adhuc diastema dicendũ putaui) ab summa mediarum (ea est hypate meson) chorda porrigitur vsque ad imam deiunctarum, hoc est netam diezeugmenon. Quærendi iam sunt duo numeri in medium intercidentes, ad quos extremorum maior ad sibi proximum sesquitertius, ad reliquũ sit sesquiplus siue sesquialter. ij numeri sunt XIX & IX. Nam VI semel, eiúsq; præterea triens in XIX cõtinentur: in IX semel cum semisse. Et alter extremorũ, XII puta, IX pro dodrante, XIX pro besse habet. Ergo his numeris inter VI & XII interiectis, cùm diapason constet ex intervallis diatessaron, (nos Quartâ) ac diapente (nos Quintam vsurpamus) distantiis: liquet mediæ chordæ numerum XIX, ei proximæ seu parameſæ IX deberi. quo facto, erit ea ratio hypatę seu summæ ad mediâ, quæ parameses erat ad imam seu neten adiunctarum siue connexarum. nam à parhypata mediarum erit diatessaron ad mediam: à parameſa ad netam diezeugménon, diapason. Eadémque invenitur numerorum proportio. eadem enim est VI ad XIX, quæ IX ad XII ratio. & vt VI ad IX sunt affecta, ita XIX ad XII. Nam XIX ad VI sesquitertiam habent rationem, & XII ad IX. & rursum sesquialteram, vt IX ad VI, ita XII ad XIX. Cæterùm hæc sufficient ad demonstrandum, quanta fuerit in rebus mathematicis industria atq; peritia versatus Plato. Porrò autem quòd harmonia res sit diuina, veneranda, magna: Aristoteles
» Platonis discipulus his verbis confirmauit. Enimvero harmonia res est cœlestis, eiúsque natura diuina
» atq; pulcra. Cùm autem sit facultate quatripartita,

duas

duas habet medietates, arithmeticã & harmonicã. « apparétq; partes eius, magnitudines, & eminentias « numero & mensuræ æqualitate constare. Nam in « duobus quatrichordis cantilenæ sua modulatione concinnantur. Atque hæc sunt verbis eius expressa. Corpus porrò eius constare dixit ex partibus dissimilibus, sed quæ inter se consonent. Quin & mediates earum arithmetica proportione consentire. Nam ima chorda ad summam proportione dupla coëunte, confici diapason consonantiam. cùm hypate VI, nete XII numero repræsentetur. Parameſe sesquialtera proportione hypatæ respondet, eique IX congruere, mediæ XIX diximus. At enim interualla musices prȩcipua constare his rationibus certum est, diatessaron sesquitertia, diapente sesquialtera, diapason dupla proportione. interim etiam conseruari rationem sesquioctauam, qualis est IX ad XIX, & tonum exprimit. Iam id quoque, in harmonia æqualib. terminos excedi atq; excedere, medietatésq; mixtũ ex arithmeticis & geometricis rationibus respectũ inter se habere. Atq; hoc sic declarat Aristoteles, vt neta triente maior quàm mese sit: & eadem portione parameſe hypatem excedat. itáque relatio quædam intervallorum siue discriminũ confiat, cùm termini æqualibus portionibus superent atque superentur: vtrobiq; sesquialtera & sesquitertia proportionibus rem gerentibus. Atque hæc est, quam harmonicam vocãt auctionem, vel (vt hodie vsitatis vocibus ipse vtar) progressionẽ. Nete autem à meſa, & parameſe ab hypata, arithmeticis * intervallorum discriminibus distant. nam parameſe meſam sesquioctaua ratione excedit. rursum nete ad hypatam dupla est, parameſa hypata semel eiúsque semissem valet: & meſa ad hypatam est sesquitertia. His ergo partibus atque numeris harmonia de Aristotelis sententia componitur. Idem optimè ex infiniti & finiti, paris & imparis,

atque pariterimparis natura eandem constituit, eiúsque partes. Tota enim par est, cùm constet quatuor terminis. partes ipsius, proportionibus continentur, quorum termini sunt pares, impares, pariterimpares. Nete enim par est, quia XII numero exprimitur. parameſe impar, quia IX. mesa pariterpar, quia IIX. hypate pariterimpar, quia V I. His ergo rationibus atque partibus conflata harmonia, sibi toti, omnibúsque partibus consonat. Sed & sensus, qui ob harmoniam corporibus innati sunt: cœlestes alij & diuini, cum deo sensum præbent hominibus visus & auditus, cum voce & lumine harmoniam ostendunt: & alij sensus horum comites, quatenus sensus sunt, secundum harmoniam constant. nihil enim ne ipsi quidem sine harmonia conficiunt: minores sanè illis, non tamen absque illis. illi enim simul cum adventu dei præstò adsunt iuxta rationem, & validam pulcrámque habent naturam. Porrò autem ex his planum fit, priscis Græcis haud iniuria id præcipuè curæ fuisse, vt adolescentes musica disciplina imbuerent. Horum enim animos existimabant musicæ opera fingi atque concinnari ad decorum posse. quippe quòd musica vt ad omnia, omnémque seriam actionem vtilis esset, ita in primis ad bellica pericula. Quam ad rem alij tibiis vsi sunt: vt Lacedæmonij, qui compositò agmine in hostem vadentes, Castoreum carmen præcini tibiis instituerunt. alij lyra: sicvt diu sic ad pugnam profectos Cretenses ferunt. nostra ætate tubæ in hunc vsum apud plerosque successerunt. Argiui ad luctam, quæ Stheniorum dicebatur, tibiam adhibebant. quòd certamen initio Danai causa institututum, postmodo Ioui Sthenio consecratum perhibetur. Enimverò hodiéque moris est, vt ad pentathlũ tibiis canatur. ac tametsi nihil accinitur certũ, nihil antiquum, aut quale priscis vsitatũ fuit: (quale erat carmẽ Hieracis ad hoc certamen factũ, quod

quod Endrome siue incursus dicebatur) tamen vt lãguidum & non certa destinatum lege eò fuerit, equidem accinitur nihilominus. At enim apud antiquiores Græcos ne notam quidem aiunt musicam quæ theatris inseruiret: totam scientiam illam deorum venerationi, adolescentúmque institutioni impensam fuisse: quòd tum nondum theatro vllo apud istos homines ædificato, musica adhuc in templis versaretur, deorum venerationi, & laudibus bonorum virorum inseruiens. Et verisimile est theatri vocem, ac multo antiquiorem theorãn, quod est spectare, à deo (ipsis Theos dicitur) deductas esse. Cæterùm nostris temporibus tantum est receptum discriminis, vt eius musicæ quæ ad disciplinam puerorum facit nulla memoria iam exstet, nulla cura sit: omnes qui animum ad musicam appellunt, theatris seruientem musam amplectantur. Sed diceret aliquis: heus tu, nihilne à priscis adinventum fuit, nihil nouatum? Equidem adinventa quædam fateor, sed cum maiestate & decoro. Qui historiam harum rerum scripserunt, ij Terpandro netem Dorij toni acceptam ferunt, cùm ea priores vsi non fuerint. quin & totum mixolydium tonum superadditum aiunt, & orthiæ cantilenæ modum, & orthiorum ad orthium notabilem trochęum. Si Pindaro credimus, etiam scolia carmina Terpander reperit. Sed & Archilochus trimetrorum rythmos excogitauit, & institionẽ in diuersi generis rythmos, & paracatalogam siue immutationem exitus, & pulsationem eorũ. primo ipsi etiam epoda, tetrametra, procriticum, & prosodiacum tribuuntur, primiúque augmentum. à nonnullis etiam elegiacum. Ad hæc iambici ad pæonem epibatũ intentio, & heroici aucti in prosodiacum & creticum: & quod iambicorũ alia dicuntur ad pulsationẽ, alia canuntur, id ab Archilocho monstratũ, à tragicis deinde vsurpatũ ferunt. idq; Krexum accepisse, & ad dithyrambũ tra-

Musicam veteres auxerint

duxisse. Putant etiam pulsationem sub cantilenã ab eo primùm inventam, cùm veteres oẽs ad chordas pulsassent. Polymnasto aũt tonum qui nunc hypolydius dicitur adscribunt: valdéq; ab eo auctã ferũt eclysin & ecbolam. Ipsum quoq; illũ Olympum, cui principium Græcę & nomis contentæ musicæ imputatur, genus harmoniæ protulisse in lucem tradunt: rythmósq; prosodiacum, in quo Martis est nomus, & choreũ quo multi vsi sunt in Metrois, hoc est carminibus de magna Matre. Quidam etiam Baccheiũ putant ab Olympo inventum. hęc ita esse, quovis antiquo carmine ostendi potest. Lasus vero Hermionensis cùm rythmos in dithyrambicam rationẽ trãstulisset, ac tibiarũ multiplices voces sectaretur, pluribus vtens sonis & dissipatis, antiquæ musicæ mutationem invexit. Idem fecit Melanippides odarum scriptor superveniens, qui in priore musica non acquieuit. vt neq; Philoxenus, neq; Timotheus. Hic enim, cùm lyra septẽ fidib. vsq; ad Terpandrum Antissæum contenta fuisset, in plures eam sonos dispersit. Verùm tibicina quoq; musica de simpliciore in magis variã est mutata. Nam antiquitus, vsq; ad Melanippidẽ qui dithyrãbos cõposuit, tibicines à poëtis mercedem accipere cõsueuerant: nimirũ primas gerente partes poëti, & tibicinib. operam iis qui fabulam docerent nauantibus. Is postea mos periit: adeò quidem, vt Pherecrates comicus musicã introduxerit figura muliebri, totum corpus verberibus fœdè multatam. facitq; iusticiam querentẽ de causa huius fœditatis, & poëtin sic respondentem.

Musicæ corruptores.

MVS. *Dicam, neq; hoc inúta. audire cùm tibi*
Mihiq; dicere uoluptatem animo adferat.
Malorum initium mihi fuit Menalippides.
Is primus arreptam me laxauit nimis,
Fidibusq; bis sex molliorem reddidit.
Ad calamitates ille non tamen meas
Suffe-

Suffecit unus hasce. Nam Cinesias
Athenienſis ille detestabilis,
Contra harmoniam dum flexus intulit strophis,
Pessundedit me sic, ut iam poeseos
Dithyrambicæ, perinde sic ut aspidis,
Quæ dextra sunt, sinistra quiuis deputet.
Neq; hoc tamen satis est miseriæ creditum.
Phrynis peculiarem immittens turbinem,
Flectendo me, & uersando totam perdidit,
In quinq; chordis bis sex harmonias habens.
Sed iste uir potuit adhuc tolerarier:
Peccata nanq; correxit rursum sua.
Ast Timotheus me confodit, carissima,
Turpissimeq; uulneribus me conscidit.
IVST. *Quis Timotheus.* MVS. *Milesius ille Pyrrhias*
Maiora mi mala, quàm reliqui omnes, intulit. *
Is solam ubi ambulantem me nactus fuit,
Bis sex me neruis illicò uinctam illigat.

Sed & Aristophanes comicus mentionem facit Philoxeni qui cantilenas in cyclios choros intulerit. & musica apud eum sic loquitur:

Exharmonios, hyperbolæos, niglaros:
Quibus me totam raphani in morem flexilem *
Oppleuit. —

Sed & alij comœdiarum scriptores demonstrauerũt eorum ineptias, qui postea temporis musicam in minuta quasi fragmenta conciderunt. Quòd autem educationem & disciplinam vel genuina vel praua artium tractatio sequatur, Aristoxenus ostendit. Nã Telesiam Thebanum, qui ipsius ætate vixit, narrat adolescentem in pulcerrima educatum musica, cùm aliorum nobilium poëtarum carmina didicisse, tum Pindari, Dionysij Thebani, Lampri, Pratinæ, & reliquorum qui lyrico carmine præstiterũt. eundémq;

etiam tibia bene ceciniſſe,& in reliquis totius diſciplinæ partib.ſatis felici cum induſtria verſatum fuiſſe.Aetate autem iam matura,adeò fuiſſe à ſcenica & varia illa muſica deceptum, vt contemtis pulcris iis in quibus enutritus fuerat, Timothei ac Philoxeni ediſceret carmina,ac de his ipſis ea potiſsimùm,quę maximè eſſent varia, plurimúmq; haberent nouitatis.cúmq; ſe ad lyricum pangendum carmen cõtuliſſet,ac tam Philoxeni quàm Pindari modũ tentaſſet,in Philoxeneo ei rem non ſucceſsiſſe: cuius cauſa fuerit pulcerrima illa primæ ætatis inſtitutio. Qui ergo vult muſica rectè & cum iudicio vti, is veterem modum æmuletur.Sed interim aliis quoq; eam perficiat diſciplinis, philoſophiámque ei pædagogi loco præficiat.ea enim iudicare valet quid muſicam deceat. Nam cùm muſica vniuerſè in tres diuidatur partes,diatonum,chroma,harmoniam:qui ad muſicam ſe applicat,is neceſſe eſt gnarus ſit hiſce vtentis rebus poëſeos,interpretationéque poëmatum præditus. Principiò itaq; tenendum eſt,omnem diſciplinam muſicam,adſuefactionẽ eſſe,quæ diſcenti nõ dum ſimul oſtendat,cuius finis gratia vnumquodq; præceptum diſcatur. Deinde id cogitandum eſt,ad huiuſmodi inſtitutionem non eſſe adhibendam modorum enumerationem. Sed pleriq; temere docent aut diſcunt quæ diſcipulo doctoríve placent. prudentes inania reiiciunt: vt antiquitus Lacedæmonij,Mantinenſes,Pellenæi. Hi enim vnum aliquem modum, aut paucos omnino deligentes, quos formandis morib.aptos iudicarẽt, ipſa muſica vſi ſunt. Hoc manifeſtũ evadet,ſi quis ſingulas ſcientias examinans, diſpiciat cuius vnaquæq; rei conſideratione tractet.Liquet enim harmonicã de cõcinno genere,diaſtematibus ſeu intervallis,ſyſtematibus,ſonis , tonis mutationibúſq; ſyſtematicis cognitionẽ habere:vlteriùs nõ progredi.itaq; id genus quæſtiones non ſuſcipit, an propriè poëta ſumſerit, ſimilia eſſe

Muſicæ rectus vſus.

eſſe hæc,ſi quis initio carminis hypodorium, in fine mixolydium aut dorium, hypophrygium & phrygium in medio adhibeat. Non enim harmonica eò vſq; pertingit,ſed multis præterea aliis opus habet. Vim enim proprietatis ignorat neq; adeo chromaticum aut enharmonium genus vnquam ad proprietatis perfectam vim procedit, qua de ingenio carminis iudicatur. hoc enim artificis eſt munus.Manifeſtum eſt ergo quòd vóx ſyſtematis alia eſt à modulatione cantilenæ in ſyſtemate: quam conſiderare, non eſt harmonicæ tractationis.Eadem eſt rythmorum ratio.nullus enim rythmus in ſe perfectam proprietatis vim habet. Propriè enim aut accõmodatè aliquid dictum cùm affirmamus,ad indolem ſeu naturam modi reſpicimus: eiúſq; cauſam eſſe dicimus cõpoſitionem quandam aut mixtionem aut vtrunque.vt quòd Olympus enharmoniũ genus in Phrygio poſitum tono cum pæone epibato miſcuit. hoc enim initium in Mineruæ nomo ſuam ei indolem cõciliauit.nam adſcitis modulatione & rythmi conſectione,artificioſéque eo tranſſumpto, & trocheo in pæonis recepto locum, Olympi enharmonium genus eſt conditum. Et tamen enharmonio genere & Phrygio tono totóq; ſyſtemate manentibus, magna mutatio genio carminis áccidit.quę enim in Mineruæ nomo dicitur harmonia, procul diſtat ab experimenti indole.Si ergo muſicæ peritiæ accedat facultas iudicandi , his præditum conſtat perfectum fore muſicum.Qui enim nouit Doricum tonum,neque tamen iudicare quit vbi is propriè & conveniẽter vſurpetur: non ſciet quid faciendum ſit,neq; genium eius ſeruabit. Nam de ipſis Doriis cantilenis quæretur an harmonica ſcientia diiudicet, vt Doriorum quidam putant:necne. Eadem eſt ratio etiã vniuerſæ rythmicæ ſcientiæ. Qui enim nouit pæonem,is proprietatẽ eius neſcit: tantùm hoc ſcit,vnde pæan cõponatur.Nã quandoquidẽ de ipſis pæo- *

nicis rythmorum confectionib. dubitatur, diſceptãtiuãne ſit an rythmica earum tractatio: aut, vt quidã dicunt, non eò vſq; ſe proferat. Oportet igitur eum, qui velit de his rebus iudicium ferre, ad minimum duo hæc poſſe perſpicere: proprium ſeu domeſticũ, & alienum: primùm eius affectionis ob quam facta eſt compoſitio: deinde eorum, ex quibus ea facta eſt. Proinde neq; harmonicã, neq; rythmicam, neq; vllam aliam quæ vt ſpecies muſicæ ſubiiciuntur, ipſam per ſe ſufficere ad intelligendum carminis genium, ac cætera iudicandum: ſatis puto dictum eſſe. Iam cùm tria ſint genera, in quæ harmonicum ſeu cõcinnatum illud diſtribuitur, cùm ſyſtematum quantitate, tum ſonorũ vi, atq; etiã quatrichordorũ æqualitate convenientia: vnũ duntaxat eorũ veteres tractauerunt. Etenim qui nos ætate anteiuerunt, neq; de chromate, neq; de diatono diſputauerunt: ſed de ſolo enharmonio. atq; adeò etiã de huius vnico ſyſtemate, ſiue cõplexu, quod eſt diapaſõn. Cõtroverſia quidem eius fuit de vſu: ſed quin hæc vnica eſſet harmonia, in id oẽs ferè conſenſerunt. Non ergo harmonicam quiſquã perſpexerit tractationem, qui vſque ad cognitionem eius fuerit progreſſus. Sed oportebit, vt liquet, eum perſequi particulares etiam quas vocãt ſcientias, totúmq; muſicæ corpus, & partium mixtiones atq; compoſitiones. Qui enim tantummodò eſt harmonicus, is circumſcriptus eſt certo modo. Vt aũt vniuerſè dicã, ſenſum & intelligentiam oportet concurrere in iudicandis muſicæ partibus: vt neq; præeant ſenſus, quod ãccidit præcipitibus: neque à tergo relinquantur, quod vſu venit tardis. Contingit aliquando in ſenſibus vtrunq; vt ob naturæ inæqualitatem & antecurrant & tardiùs æquo veniant. hoc ergo adimendum eſt ſenſui: vt poſſit æquali curſu comitari intellectũ. Sẽper. n. eſt neceſſe, tria hęc vnà in auditũ incidere: ſonũ, tẽpus, & litterã vel ſyllabã. Fiet aũt, vt è ſono eiúſq; ingreſſu harmoniã, è tẽpore rythmum, è littera aut ſyllaba id quod dicitur intelligas. quæ cùm ſimul procedãt, ſimul etiã ſenſus ea excipere debet. Simul & hoc evidens ſit, vbi horũ quodq; ſenſus à reliquis ſeparare nõ poſsit, ac ſeorſim perpẽdere: eũ nõ poſſe diſcernere vitioſum à recto. Enimverò principe loco de cõtinuatione eſt cognoſcendũ: quæ apprimè ad vim iudicãdi requiritur. Bene. n. an ſecus habeat carmẽ, nõ deiunctis à ſe invicem ſonis, tẽporibus, litteríſve cernitur. ſed in cõtinentib. eſt enim cõmixtio quędã partium quæ in vſu nõ ſunt cõpoſitæ. Ac de aſſequẽdo intelligẽtia carmine hæc ſint dicta. Secundũ hęc cõſiderandũ enim, muſicæ ſcientes nõ eſſe ſatis ad iudicãdi ſcientiã à ſe inſtructos. Fieri. n. nõ poteſt, vt abſolutus omnib. numeris ſit muſicus & criticus ſiue cenſor is, qui cõplexus cognitione ſit eas q̃ cenſenẽ muſicæ partes totius: peritiã inquã inſtrumentorum & cantilenarũ, ac exercitationis ſenſu, quod attinet videlicet ad harmonię & rythmi perceptionẽ. tum è rythmica & harmonica tractatione, & cõſideratione pulſationis atq; elocutionis, & ſi qua ſũt alia huc pertinentia. Cur aũt hæc omnia eum nõ poſsint prę ſtare perfectũ cenſorẽ, ſic conabimur expedire. Primò id nobis extra cõtroverſiã poſitũ eſto, eorũ quę iudicio ſubiiciũtur, alia perfecta, alia imperfecta eſſe. perfecta ſunt, cùm carmẽ vnumquodq;, quod vel voce, vel tibia, vel cithara canitur: tum eorundẽ expreſsio, vt tibiæ, vel vocis cantus, & cætera. imperfecta, q̃ huc conducunt, & propter iſta fiunt, vt expreſsionis ſeu interpretationis illius partes. deinde è poëſi. eodẽ. n. modo & ipſa habet. Audiẽs. n. aliquis tibicinẽ, dubitare poſsit, an cõſonent vel diſſonẽt tibię: & elocutio perſpicua ſit nécne. horũ aũt quodvis pars eſt interpretatiõis tibicinę, nõ finis ipſe, ſed finis cauſa ſuſceptũ. nam ſecũdum hęc & id genus alia omnia iudiciũ fieri debet de expreſsionis ſeu modulationis genio, an is accommodatus ei poemati,

Iudicium muſicum.

cui muſicè accinitur: an ſcilicet eam quæ petebatur placidam animi cõmotionem efficere poſsit. Eadẽ eſt etiam grauiorum animi perturbationum ratio, quas poëmata affectant. Verùm enimverò veteres, qui tantùm placidos animi motus cuarent, maieſtatem & ſimplicitatem priſcæ muſicæ primo coluerũt loco. Equidem Argiuos etiam multam definiuiſſe traditur iis qui muſicam violauiſſent: eámq; ab iis exegiſſe, qui primus fuiſſet auſus pluribus quàm ſeptem ab ipſis receptis fidibus,& ad mixolydium tonum alludere. Sed & Pythagoras,grauiſsimus ille philoſophus, improbauit iudicium muſicæ à ſenſibus profectum: ſoláq; mentis acie eam examinari voluit,& proportione harmonica,non auditu. Idem iudicauit intra diapaſõn debere contentam eſſe muſicam. Noſtræ ætatis homines pulcerrimum illud genus,cui ob maieſtatem antiqui maximè ſtuduerunt, ita omnino repudiauerunt,vt pleriq; nullam harmonicorum intervallorum habeant rationem. Atq; eò proceſſum eſt ignauię,vt dieſin harmonicam putent nullum ſui ne indicium quidem ſenſui præbere quidám,eámque è cantilenis exterminent, dicántq; nugatos eſſe qui de ea aliquid ſenſerint, aut iſtud muſicæ genus probauerint. Suæ ſententiæ validiſsimũ ſcilicet hoc firmamentum habent, ſuorum hebẽtudinem ſenſuum: opinantúrq; ſi quid ipſi percipiant, id planè iam nihil eſſe,neq; vllam habere vtilitatem. Alterum hoc,quòd conſonantiæ opera eius quantitas non poſsit expreſſa percipi:ſicvt ſemitonij,toni, & reliquorum intervallorum. Sed ignorant iſti,eadem ratiocinatione ſe tertium,quintum, & ſeptimũ intervallũ exturbare: quæ dieſes habent tres,quinque,ſeptem. Denique omnia in vniuerſum intervalla,quæ impari notãtur numero,neceſſe fuerit vt inutilia reiici. nullũ enim eorũ conſonantiæ adminiculo poteſt percipi:omnia inquã, quæ minima dieſi inæquali metitur numero. Hinc ſequetur,nullam quatri-

De dieſi, & aurium iudicio.

quatrichordorum diuiſionẽ vtilem eſſe,demtis his, quorum omnia intervalla pari numero definiuntur. qualis erit ſyntoni, diatoni,& toniæi chromatis. Atqui huiuſmodi ſententia eorum eſt hominum, qui non modò iis quæ in ſenſum incurrunt,ſed etiam ſibi ipſis ipſi repugnent. quippe cùm notum ſit eos talibus quatrichordorum diuiſionibus præcipuè vti, quæ vel imparibus numeris notentur,vel proportione reſpõdentibus. Molliunt enim ſubinde,lichanos, paranetas, atq; etiam ſtãtium ſonorum quodam intervallo quod ratione explicari nulla poſsit remittentes, tertiáſq; etiam & paranetas. atque hunc maximè vſum ſyſtematum probari putant,in quo multa ſint intervalla, quorum ratio numeris enunciari nullo modo poſsit: neque tantùm mobilium ſonorum,ſed etiam immobilium remiſsione facta. Non poſſunt hæc ignorare ij, qui ſenſu iſtiuſmodi rerum ſunt inſtructi. Vſum verò muſicæ convenientem Homerus docuit. Oſtendens enim muſicam multis in rebus eſſe conducibilẽ: introducit Achillem,qui iram adverſus Agamemnonem ſuam concoqueret muſicæ opera,quam didicerat à ſapientiſsimo Chirone.

Vſus muſicæ.

Inuenere illum mentem cithara oblectantem *Iliad.1,186.*
Affabrè facta,iugum erat ſolido ex argento:
Eetioneæ è ſpoliis quam ceperat urbis.
Hac animum mulcens,clarorum facta virorum
Inclyta cantabat. ——

Diſce,inquit Homerus,vbi ſit vtendum muſica. Achilles,quod dignum ipſo erat,filio iuſtiſsimi Pelei, canebat egregia facta virorum & ſemideorum. Ac præterea tempus idoneum vſui docens, in ocio degenti exercitationem vtilem iucundámque reperit. Bellicoſus enim homo Achilles, & gerendis rebus factus, ob iram in Agamemnonem conceptã, aberat à prœliis. cenſuit itaque eius herois animum pulcerrimis carminibus exacuendum eſſe, vt para-

tus esset ad eruptionem, quam erat paulo pòst factū-
rus. ídque fecit, commemorandis veteribus histo-
riis. Talis ergo fuit, & tales commoditates attulit
veterum musica. Namque & Herculem musica vsum
Iliad. λ, 831. fuisse audimus, & Achillem, & alios multos: quorū
magister fuit Cheron sapientissimus, musicæ simul,
& iusticiæ, & medicinæ doctor. Denique vt in sum-
ma dicam, non hoc vitio dabitur scientiæ, si quis ea
non vt par est vtatur: sed propria abutentis ea cul-
pa censebitur. Proinde si quis musicæ eum modum,
qui ad probè instituendam adolescentiam conduc-
cit, labore industriáque consecutus, in prima ætate
accuratione conveniente fuerit formatus: is pulcra
quidem laudabit & amplectetur, vituperabit autem
his adversa, non in musica tantùm, sed & aliis in re-
bus. erítque is homo vacuus omnis turpis actionis,
maximū hunc fructum è musica consecutus, & cùm
sibi ipsi, tum ciuitati plurimum proderit, nullo neq;
facto neq; verbo inconcinno vtens, sed vbique de-
corum modúmq; seruans. Cæterùm ciuitates quæ
optimis legibus vterentur, maximam ingenuæ mu-
sicæ curam gessisse, multis testimoniis doceri po-
test. Nobis satis sit Terpandrum produxisse, qui La
cedæmone coortam seditionem pacauit. & Thale-
tam Cretensem, quem Pythij Apollinis oraculo ac-
citum à Lacedæmoniis, musica pestem tum grassan-
tem sedasse Pratinas scribit. Sed Homerus etiam
Græcos pestem musica depulisse scribit, qua infe-
stabantur. Sic enim canit:

Ilia. α, 472. *Ergo die tota placabant carmine Phœbum,*
Formosum Pæenna Achaica turba canentes,
Et magni laudes modulantes arcitenentis.
Illius auditu pertentant gaudia pectus.

Hos ego, bone magister, versus, pro colophone mei
de musica sermonis attuli, cùm tu eos antè ad vim
musicæ indicandā allegasses. Re enim vera, primum
hoc

hoc eius est & pulcerrimum officium, grata adver-
sum deos remuneratio. proximum, animæ pura &
concinna sibíq; conveniens constitutio. Hæc locu-
tus Soterichus: habes, inquit, bone magister circu-
larem de musica disputationem. Admirationem au-
tem sui excitauit sua oratione, cùm suum musicæ stu
dium & vultu & voce demōstrasset. Magister autem
meus: vnà cum reliquis, inquit, id mihi vtriusq; ve-
strûm probatur, quòd suum vterq; ordinem serua-
uit. Lysias enim ea tantùm nobis proposuit, quæ ci-
tharœdum manibus opus facientem scire convenit.
Soterichus verò liberaliter admodum quæ ad vti-
litatem, contemplationem, vímq; etiam & vsum mu
sicæ pertinent attulit. Puto autem eos hoc, quod di
cam, volentes ac studio mihi reliquisse. non enim
hoc illis timiditatis impingam crimen, vt veritos
pronunciem musicam in sysitia seu conviuia detra
here. Nam si alicui in iis sit vsui, Homerus diserte id
docuit, sic dicens:

Cantusq;, & choreæ, dulcis donaria cœnæ. Odyss. ν. 153

Neque velim quenquam suspicari, id voluisse Ho-
merum significare, duntaxat ad delectationem con-
ducere musicā. sed altior latet sensus in illis verbis.
Adsciuit enim vtilitatē & auxilium musices oppor-
tunissimo loco, in cœnas inquam & conviuia vete-
rum. Ideò quippe eam his adhiberi receptum fuit,
quòd animum revellere, & vim caloris vini mitiga-
re valeret. In quam sententiam etiam Aristoxenus
noster dixit, musicam introductam in cœnas esse,
quòd sicvt vinum nimio ipso vtentium & animos &
corpora labefactat: ita musica suo ordine & concin
nitate in contrarium statum abducit atq; sedat. Ea
igit occasione Homerus ait priscos musica tanquā
remedio quodam vsos. Sed maximū, ô socij, & quod
maximè musicæ dignitatem maiestatémq; demon-
strat, à uobis omissum est. Etenim motus rerum, &
stellarum circuitiones Pythagoras, Archita, Plato,

reliquiq; antiqui philosophi sine musica neque fieri neque constare affirmauerunt: omnia enim à deo secundum harmoniam fuisse instituta. Verùm intempestiuum esset nunc de ea re disputationem protrahere. summum est, & musicæ convenientissimum, omnibus rebus suum modum imponere. Hæc ille fatus, pæanem cecinit: cúmque Saturno, eiúsque filiis diis omnibus ac Musis libauisset, conviuas dimisit.

PLVTARCHI

Comparationis Aristophanis & Menandri breuiarium.

VNIVERSE vt dicam, multo præfert Menandrum. Singulatim autem hæc adiicit. Genus dicendi tumidum & scenæ accommodatum atque illiberale Aristophanem vsurpasse, Menandrum neutiquam. Indoctus enim aliquis & plebeius illius oratione capitur, doctus offenditur. loquor de antithetis, similiter cadentibus, & paronymiis. quibus Menander rarò & cum ratione vtitur atq; accuratè: alter crebrò, & intempestiuè ac frigidè. Lauda tur enim, inquit, quòd tamias submersit, non tamiæ, id est promicódi, sed lamiæ seu striges quòd essent. * atque sic siue maliciam siue sycophantiam spirat. &, Ventre viuit, intestinis, artubus. &, Præ risu ad Gelã (quod ridere est) perveniã. &, Quid tibi faciam misera amphora exostracisata. (ostracismus modus est in exsulium agendi) & ostracus testa est, Camphora testacea notari videtur. &, Agrestia vos ò mulieres mala. quia ipse agrestibus erat enutritus oleribus. &: sed trichobrotes meum lophum devorauerũt. id est pediculi verticem meum exederunt. Item,

LA.

LA. Fer Gorgonitergum huc aspidis mihi circulum. Achar.

DI. Mihi placentæ caseitergum orbem cedo.

multáque id genus alia. Habet nimirum in apparatu verborum aliquid tragicum, nec non comicum, proteruum, pedestre, obscuritatem, communitatem, fastum, elationem, loquacitatem, nugas quæ nauseam cieant. Cúmq; dictio eius tantum habeat dissimilitudinis & inæqualitatis, ne decorum quidem singulis generibus & suum accommodauit locum. verbi gratia, regi fastum, oratori vim dicendi, mulieri simplicitatem, pedestrem sermonem plebeio, insolentem forensi. sed velvti sorte personis vocabula vt occurrebat vnumquodq; attribuit: vt dignoscere non possis filiúsne loquatur, an pater, rusticus, deus, anus, heros. At Menandri ita dolata est, itáque inter se conspirat contemperata dictio: vt cùm per tam varios omnis generis motus animorum ducatur, ac omnigenis accommodetur personis: vnica tamen vi deatur, æquabilitatémq; perseruet suam in vulgatis vsitatísq; vocabulis. Quòd si alicvbi res præstigiarũ aliquid strepitúsve requirat: tibicines solertes imitatur, qui omnibus tibiæ apertis foraminibus, mox vocem artificiosè in suam restituunt sedem. Tametsi autem multi fuerunt præclari opifices, nullus tamen calceum, laruam, aut vestem fecit. quæ simul viro, mulieri, adolescenti, seni, ac vernæ conveniret. At Menander tali est sermone vsus, qui congrueret cuivis naturæ, statui, ætati. cùm quidem & iuuenis se ad eam rem contulisset, & in ipso vigore scribendi ac docendi fabulas decesserit: quando maximè scribentes incrementa facere ad elocutionis virtutem Aristoteles testatur. Si quis verò primas Menandri fabulas cum mediis & vltimis comparet, iudicare poterit, quanta fuisset additurus si diutiùs vixisset. Item. Poëtarum comicorum alios in scribendo populo & multitudini se accõmodare, alios paucis: non facilè ex omnib. inveniri, qui vtriq; generi

se applicuerit. Sed Aristophanes neq; plebi placere, neq; ferri à prudentibus potuit. nam poesis eius similis est meretricis, quæ ætate iam vltra vigorem progressa matronam imitans, neq; fertur à vulgo hominum ob insolentiam, & graues homines impudicitiam eius maliciámque abominantur. Contrà Menander cum venustate quadam vbique se gratum aptúmq; exhibuit, in theatris, colloquiis, conviuiis: suámque poesin ita composuit, vt esset communissimus omnium quæ Græcia tulit bonorum commentarius, qui legeretur, disceretur, & certatim ageretur. ostenditque adeò quanta res esset dexteritas dicendi, vbique vi persuadendi inevitabili incedens, omniúmque auditum & intelligentiam Græcæ linguæ sibi subiugans. Cuius enim rei gratia vir rectè institutus venire dignaretur, quàm propter Menandrum? Quando implentur theatra viris eruditionẽ amantibus, quàm cùm comica ostenditur persona? cui in conviuiis iustiùs mensa cedit, locúmq; bacchus dat? Iam sicvt pictores oculis defessis ad floridos & virides se avertunt colores: ita philosophis & laborioſis requies grauium atque continentium meditationum est Menander, tanquam prato pulcrè florenti & opaco atq; auræ pleno excipiens animũ. Item. Cùm hoc tempus actores comœdiarum multos bonósq; vrbs ferat: Menandri comœdiæ plurimos habent sacróſq; sales, tanquam eo natos mari quod Venerem protulit. Aristophanis autem sales amari & asperi, acrem & mordentem, adeóq; exulcerãtem vim habent: vt nesciam vbi sit illa ab ipso decantata dexteritas, in verbísne an personis. Quinetiam quę imitatus est, corrupit. calliditatem facit nõ ciuilem, sed malicioſam: rusticitatem non cautam, sed fatuã: iocos nõ qui rideantur, sed derideãtur: amores non hilares, sed impudicos. Nulli enim mode rato videtur is homo suũ poema scripsisse: sed turpia & libidinoſa intemperãtibus, maledica & acerba inuidis atq; malignis hominibus.

PLVTARCHI
De vita decem Rhetorum.

ANTIPHON. I.

ANTIPHON Sophili F. tribu Ramnusius, patrem audiuit. is enim sophista fuit, cuius opera etiam Alcibiades adolescens vsus in discẽdo est, vt nonnulli tradunt. Facultatem dicendi adeptus (quidam suopte ingenio eam consecutum existimant) animũ quidem ad remp. appulit: tamẽ priùs ad scholã se convertit, & cum Socrate philosopho de ratione disserendi disputauit, non studio cõtendendi, sed industria redarguendi vsus. ita enim Xenophon in libris De dictis & factis Socratis scripsit. Præterea ciuibus quibusdam id petentibus orationes scripsit quibus causas in iudicio suas tuerentur: idq; primus ipse aggressus à nõnullis dicitur. Sanè eorum, quos ipse ætate subsecutus est, nullius vlla iuridicialis exstat oratio: ac ne æqualiũ quidem eius, Themistoclis putà, Aristidis, Periclis: cùm quidẽ tempora his & occasionum satis offerrent, & necessitatis imponerent. Neq; verò hos imbecillitas à scribẽdo detinuit: quod satis docent ea quæ de singulis historiarũ conditores memoriæ prodiderunt. & quos habemus qui id genus orationis tractauerint. omniúmque habentur antiquissimi: eos invenies cum Antiphonte iam sene rem habuisse. Alcibiadem inquam, Critiam, Lysiam, Archinoum. Primus etiam oratoriæ artis præcepta edidit. Promto fuit ingenio, ideóque Nestor cognominatus. Cœcilius in commentario quem de eo scripsit, fuisse coniicit discipulum Thucydidis historici, ex iis quæ hic in laudem Antiphontis prodidit. Accuratissimus est in suis orationibus, probabilis, in inveniendo callidus,

in perplexis rebus artificiosus,eximproviso argumẽ ta intentans, sermonémq; ad leges & motus animi convertens,maximè decori studiosus. Vixit tempore Persici belli, ac Gorgiæ sophistæ, paulum minor natu: produxitq; vitam vsq; ad popularis status in rep. mutationem à Quadringentis factam.cuius qui dem ipse fuisse autor putatur,interdum duab. triremibus præfectus,interdum præturam gerens: & qui magnis potitus victoriis multos belli socios eis adiunxisset,ætate florentes armasset, LX triremes impleuisset,identidémq; ipsorum nomine legatus Lacedæmonem iuisset, quo tempore Eetionea fuit munita. Cæterùm deiectis Quadringentis istis,vnà cũ Archeptolemo(qui vnus de eorum numero fuit) in ius vocatus cõdemnatúsq;,& pœna proditorib. cõstituta de eo sumpta,cadauer insepultum abiectum, & cum tota posteritate inter infames relatus est. Sũt qui à XXX tyrannis interfectum narrẽt, vt Lysias in oratione pro filia Antiphontis: reliquit enim filiolam,quam lege propinquitatis Callæschrus sibi spõ- * sam vindicauit. Theopompus quoque XV Philippicorum libro scribit, à triginta istis eum trucidatum. Sed ille quidem mansuetior Lysidonida patre. & Cratinus in Pytina eius vt non mali meminit. * Quomodo autem iam antè occisus à CCCC, denuò sub XXX vixerit? Quin & alius sermo fertur de eius obitu. Grandem iam natu eum Syracusas nauigasse, florente tum Dionysij prioris tyrannide. ibi cùm in vino quæstio agitaretur,Ecquod æs optimum esset, diuersè aliis respondentibus ipsum dixisse, id æs optimum esse, è quo statuæ Harmodio & Aristogitoni essent factæ. id tyrannũ,cùm audiuisset, quasi exhortationem ad se insidiis petendũ excepisse,ac iussisse interfici Antiphontem. alij, quòd iniquè ferret suas ab eo tragœdias exsibilari. Huius oratoris ferũt LX orationes, quarũ XXV spurias perhibet esse Cæcilius. Plato cũ Pisandro eum in Comœdiis tanquã

auarum

auarum traducit. Tragœdias fertur composuisse & seorsim,& cum Dionysio tyranno. Dum adhuc poëticæ esset deditus, artem dolorum abolendorũ condidit,qualem medici ægrotantibus curationẽ promittunt. ac Corinthi ponè forum exstructa taberna proscripsit,se eos qui in mœrore essent,verbis subleuare. auditísque ægritudinum causis,cõsolatus est ægros. Istam tamen artem se non satis dignam esse arbitratus,ad oratoriam se contulit. Sunt etiam qui Glauci Regini de poetis librum ei adscribant. Maximè laudantur orationes eius de Herodoto,ad Erasistratum de generibus seu formis dicendi, & quam pro se scripsit postulatus delicti contra legem non scriptam: & in Demosthenem prætorem de publico flagitio. Scripsit accusationem etiam in Hippocratem prætorem,eúmque reum peregit, cùm quidem is vadimonium deseruisset: res acta archonte seu præfecto vrbis Theopompo, cuius in magistratu Quadringentorum potestas delata est.

DECRETVM, secundum quod placuit Antiphontem iudicari, Cæcilius annotauit. XXI Prytanneæ placuit Senatui. Demonicus Alopecensis scribæ munus obiuit, præfuit cognitioni Philostratus Pellenensis, retulit Andro. Viros, qui à prætoribus pronunciantur legati iuisse Spartam incommodo reipub. Athenienſis,& è castris nauigasse vectos hostili naue, ac per Decelæam terra iuisse, Archeptolemum, Onomaclem,& Antiphontem, compræhendendos esse, & in curia sistendos, vt causam dicant. Sistant eos prætores, & alij de Senatu vsque ad decem, quos videbitur prætoribus adscíscere: vt de præsentibus fiat iudicium. Advocent eos thesmothetæ ad crastinam diem, inducántque, quando in iudicium adducti aderunt,tum actores prætores eorúmq; patrocinium sustinentes, ac si quis alius voluerit, reos proditionis accusent. qui in iudicio damnatus fuerit, in eum animadvertendum è præscri-

pto legis in proditores latæ. Huic decreto subscriptum est. DAMNATI sunt proditionis Archepto lemus Hippodami F. Agrylensis, præsens: Antiphôn Sophili F. Ramnusius, præsens. Iis hæc pœna constituta est, vt Vndecimviris dedantur, bona eorum publicentur, decima portione Mineruæ consecrata: vtq; eorum ædes solo æquentur, & areis termini ponantur, cum hac inscriptione: ARCEPTOLEMI & ANTIPHONTIS, PRODITORVM. Præfecto autem populi pronunciare * neque permitti, vt Archeptolemus & Antiphon Athenis, aut in terra Athenienſium imperio subdita sepeliantur. Porrò cùm ipsos infames haberi debere, tum qui ex iis siue spurij siue legitimi nascantur: infamem etiam eum, qui ex istorum progenie aliquem adoptauerit. Hæc inscribenda esse columnæ æneæ, eámque ibi ponendam, vbi ea sita est, quæ decreta de Phrynicho continet.

ANDOCIDES S. II.

ANDOCIDES Leogoræ F. eius qui aliquando Athenienſibus pacem adversus Lacedæmonios composuit. pago Cydathenienſis, aut Thurensis, gente patricia, adeóque (ſi Hellanico credimus) à Mercurio propagata ortus. nam ad ipsum pertinet præconum progenies. itaque aliquando fuit cum Glaucone delectus populi votis, vt cum viginti nauibus opem ferret Corcyræis, quibus adversum Corinthios lis erat. Postmodò violatæ religionis postulatus est: quòd & ipsè de eorum esset censu, qui statuas Mercurij truncasset, & arcana Cereris invulgasset. (cui accusationi ansam præbuit, quòd is homo alioqui intemperans, noctu per comesationem aliquando quandam Mercurij fregisset statuam: & cùm seruum eum, quem actores ad quæstionem exposcebant, dedere noluisset, malè ex ea re audiret, itaq; secundo crimini occasionem exhiberet.) quæ posterior

posterior actio adversus eũ suscepta est paruo tempore ab expeditione classis in Siciliam ab Athenienſibus missæ. Cùm enim Corinthij submississent Leontinos & Aegestęos, priuatim iis auxilio futuris Athenienſibus, noctu Mercurios qui apud forũ erant collati mutilauerunt, vt ait Cratippus. Cui delicto Andocides cùm mysteriorum publicationem adiecisset, in iudicium pertractus, ita absolutus est, quòd professus est se indicium de iis delaturum qui sacra violassent. In qua re cõficienda cùm nihil industriæ sibi feciſſet reliquum, fontes conquisiuit, atq; inter eos etiam patris nomẽ commemorauit. ac reliquos quidem omnes reos peregit, exitiúmq; eis cõsciuit. patrem, tametsi iam vinctum, eripuit neci, pollicens eius operã multis in rebus vtilem ciuitati futuram. Neq; verò in hoc mentitus est. multos enim peculatores, aliisq; flagitiis obligatos Leagoras coarguit: eáque de causa absolutus suo est crimine. Cæterùm Andocides cùm ob ea quæ in rep. gessisset, clarus haberetur, animum ad nauicularíam mercaturam adiecit: & cum regibus Cypriorum, aliisque multis viris illustribus hospitij ius contraxit. Quo quidem tempore etiam cõsobrinam suam quandam ciuem, Aristidæ filiam, suis clàm subductam dono misit Cypriorum regi. ac sentiens se eo nomine in ius pertractum iri, rursus eandem è Cypro suffuratus, comprehenſúsque in facinore, & in vincula datus à rege fuit: elapsúsque Athenas rediit, Quadringentiviris tum remp. obtinentibus. à quibus in vinculà coniectus, rursúmque fuga elapsus, quando paucorum in rep. cóncidit potestas, solum vertit summa rerum ad xxx tyrannos delata, atque Elide vixit. Thrasybulo demum cum suis in vrbem reverso, ipse etiam in patriam rediit. Posteà de pace Lacedæmonem missus, & suspectus rei mala fide gestæ, in exsulium abiit. Horum omnium ipse argumenta in orationibus à se compositis reliquit.

Aliæ enim sunt crimen de violata abs se religione propulsantis: aliæ reditum flagitantis: extátq; eius etiam de indicio delato alia, & ad Phæacem, & de pace. Floruit eodem quo Socrates philosophus tempore, natus Olympiade LXXIIX, archonte Athenis Theogenida: ita vt Lysiam præcesserit ætate, annis fere viginti. Nomen ab eo habuit etiam Mercurij simulacrum Andocideum, à tribu Aegeide dedicatum proximè domum Andocidis. Sumptus etiã suppeditauit choro cyclico in tribus suæ gratiam, ad certamen dithyrambicum. victoriáque potitus tripodem dedicauit loco sublimi, eregione Porini Selini. In suis orationibus simplex est, apparatúque caret & figurarum ornamentis.

LYSIAS. III.

LYSIAS Cephali F. Lysaniæ N. Cephali PN. fuit: huius quidem Syracusani domo, sed qui Athenas cómigrasset, cùm vrbis desiderio eius adactus, tum Periclis Xanthippi F. suasionibus obtemperãs, quo amico atque hospite vtebatur: homo prædiues. alij expulsum Syracusis eum fuisse aiunt, cùm eam vrbem Gelo tyrannus teneret. Natus est Lysias Athenis, Philocle archonte qui Phrasicli successit: anno secundo Olympiadis XXCII. Initiò inter nobilissimos Athenienses fuit institutus. Cùm autem ciuitas coloniam ad Sybarin mitteret, cui posteà Thuriorum nomen factum fuit, eò vnà profectus est vnà cum fratre maiore natu, qui nominabatur Polemarchus, mortuo iam patre, (Habuit etiam alios duos fratres, Eudemum & Brachyllum.) vt in partem sortis veniret. Actum hoc anno ætatis eius quinto supra decimum, archonte Praxitele. Ibi ergo mansit, & formandum se Tisiæ atque Niciæ Siracusanis præbuit: domóque parta, sorte ductus remp. gessit vsque ad id tempus, quo LXIII annos impleuit, archonte Athenis Clearcho.

Clearcho. Proximo anno, Callia archonte, Olympiade XCII, cùm in Sicilia cladem accepissent Athenienses, commotíque essent & alij socij, & præcipuè qui Italiam incolebant: culpatus quòd Atticis rebus faueret, cum aliis CCC electus est. venítque Athenas Callia post Cleocritum archõte, cùm iam Quadringentiviri vrbi imperarent: ibíque commoratus est. Pugna porrò apud Aegospotamos facta, cùm XXX tyranni vrbem occupassent, ad annos septem relegatus est, bonísque suis multatus est, amisso fratre Polemarcho: ipse per posticum domus, in qua adseruabatur, elapsus Megaram venit, ibíque vixit tanquam rebus deploratis. Cùm autem ciues à Phyla reditum molirentur, atque maximo vsui ipse fuisset, (nam & duo millia drachmarum suppeditauit, & scuta ducenta, & cum Hermane missus CCCII milites mercede conduxit, ac Thrasylæo Eleo hospiti suo persuasit vt aliquot talenta conferret) Thrasybulus idcirco ei post reditum decreuit reip. administrationem, in magistratuum vacatione ante Euclidem. Quod donũ cùm ratum esse iussisset populus, Archino id contra leges factum referente ad iudices, quia absque autoritate scitum fuisset, rescissum fuit. Ita repulsus à publico munere Lysias priuatus reliquam ætatem exegit: mortuúsque est Athenis, annos natus XXCIII, aut vt alij volunt LXXVI. alij annos vixisse vltra XXC aiunt, ab eóque Demosthenem adolescentulum visum fuisse. Natus perhibetur archonte Philocle. Orationes eius feruntur CCCCXXV. de quibus genuinas affirmant Dionysius & Cecilius esse CCXXX: ac bis tantùm victus dicitur. Est & oratio eius pro decreto, quod Archinus reprehendit, ostendens quomodo in republica sit versatus. & alia aduersus XXX tyrannos. Vim ad persuadendum habuit maximam, summáque est vsus breuitate. Orationes priuatis hominibus vulgo dedit. Sunt etiam eius præcepta

artis oratoriæ, & concio, atque epistolæ, laudationes, funebres orationes, & amatoriæ. item defensio Socratis ingeniis iudicum accommodata. Videtur dictio eius facilis esse, quanquam est imitatu difficilis. Demosthenes in oratione contra Neeræ ait eum amatorem fuisse Metaneræ, quæ Neæræ fuerit conserua. pòst autem duxit filiam Brachylli fratris sui. Plato in Phædro mentionem eius facit, vt summa vi dicendi prædìti, & qui ætate Isocratem anteiuerit. Philiscus ipsius socius, & Isocratis auditor, carmen composuit de eo, vnde idem potest cognosci quod ex Platone diximus. eius sententia hæc est:

* *Filia Callipes argutula, nunc age monstra*
Quid subtile tibi, quidue siet sapiens:
Namq; aliam nactum formam, mundiq; in alius
Diuerso latebris corpore conspicuum
Lysida præconem uirtutis te parere est fas,
Cuius apud manes gloria sit celebris.
* *Qui mea defuncti iactet præconia, laudes*
Et nostræ socius dicat amiciciæ.

Conscripsit etiam orationem Iphicrati, quæ est in Harmodium. & aliam qua proditionis accusauit Timotheum. vicit ambabus. Cùm autem Timothei actiones in se recepisset, & crimina proditionis diluere vellet, oratione vsus est ad defensionem à Lysia conscripta: éstque absolutus, Timotheo maxima * multato pecunia. Recitauit etiam in solenni Olympico conventu orationem: in qua ostendit Græcos hoc maximum fecisse, quòd inter se instaurata gratia Dionysium deiecerunt.

Isocrates. iv.

Isocrates Theodori F. fuit, Erechthiensis, vnius de mediocribus ciuibus, & qui famulos haberet qui tibias confiterent, atque inde tantum rei faceret, vt & choro sumtus suppeditaret, & filios liberaliter

beraliter institueret: (nam præter Isocratem etiam alios habuit, Telesippum ac Diomnestũ, ac filiam.) itaq; tibiarum gratia eum traduxere Aristophanes atque Stratis comici. Natus est sub LXXXVI Olympiadem, archonte Lysimacho Myrrhinusio. Lysia posterior fuit annis XXII, Platone prior annis VII. Puer institutus est ita ingenuè, vt quisquam alius Athenienſium. audiuítque Prodicum Ceum, Gorgiam Leontinum, Tisiam Syracusanum, Theramenem rhetorem. Huic, cùm XXX tyranni eum compræhendi iussissent, & ad aram curiæ confugisset, solus Isocrates surrexit opitulaturus: & aliquandiu initiò tacuit. Deinde ipse eum dehortatus est * Theramenes, quòd diceret auctum sibi iri dolorem, si suæ calamitatis amicorum aliquis fieret particeps. Sed & præcepta artis quædam ab ipso facta hunc ferunt vsurpasse, cùm in iudicio impeteretur calumniis: quæ Botoni inscribuntur præcepta. Postquam virilem ætatem attigit Isocrates, ciuilibus abstinuit rebus: quòd & gracili esset voce, & ingenio timido, & paterna bona bello contra Lacedæmonios perdidisset. Apparet autem aliis eum orationes composuisse, vnicam ipsum dixisse de permutatione. Cùm scholam instituisset, animum ad philosophandum ac scribendum applicuit: scripsitque orationem panegyricam, & alias quasdam quæ in consulendo versantur, quas partim ipse recitauit, partim aliis declamandas dedit: opinans ita se Græcos ad curam rerum necessariarũ susciendam excitaturum. Sed conatu eo ad irritũ cadente, omisso hoc instituto, ludum aperuit in Chio primùm, vt aiunt, nouẽ discipulis. cùm quidẽ ferunt eũ, vt numerari mercedem vidit, flentẽ dixisse: Nunc intelligo me his esse venditũ. Ad sui consuetudinem omnes admisit qui vti ea vellent. Primus contentiosas orationes à ciuilib. quib. operã dabat, segregauit. Quin & magistratus in Chio cõstituit, & similẽ Atheniẽsis

formam reipublicæ. Argenti quantum nemo alius sophistarum confecit: ita quidem, vt etiam triremes suo sumtu instrueret. Auditores eius fuerunt amplius c. intérque alios Timotheus Cononis F. cum quo multas obiuit vrbes, epistolas componens eas, quas Timotheus ad Athenienses misit: qui eam ob rem talento ex iis quæ à Samo erat adeptus ipsum donauit. Discipuli Isocratis fuerunt etiã Theopompus Chius, Ephorus Cumæus, Asclepiades tragœdię scriptor, & Theodectes Phaselita, qui ipse etiam postmodò tragœdias scripsit. (Huius monumẽtum fuit ad Cyamitidem euntibus via sacra quæ Eleusinem ducit, nunc rudera exstant: ibi etiam cum sua, statuas nobilium poëtarum excitauit: de quibus solius Homeri supereſt.) Præterea Leodamus Athenensis, & Lacritus qui leges Athenienſibus condidit. Sunt qui Hyperiden & Isæum addunt. Sed & Demosthenem studiosẽ aiunt se etiamnum docenti artem adiunxisse, & quia c I ↄ drachmas (tanti is docebat) soluendo non esset, c c obtulisse, vt quintam partem disceret. ac respondisse Isocratem: At verò nos, ô Demosthenes, non in frusta tribuimus artem, sed eorum more qui bonos pisces totos vendunt agimus: tibi, si discere est animus, totam trauituri artem. Mortuus est Chæronida archonte, cùm in Hippocratis palæstra nuncium de Chæronensi clade accepisset: nam quatriduana inedia seipsum è vita eduxit, præfatus tria initia Euripidea rum fabularum.

Danaus natarum quinquies decem pater.
Pisas petens prognatus Tantalo Pelops.
Vrbem Cadmus linquens olim Sidoniam.

Annos vixit x c I I x, aut (vt alii tradunt) c, non sustinens videre Græciam quartùm in seruitutem redactam. Anno (sunt qui quatuor annos dicant) ante mortem, Panathenaicam scripsit orationem: panegyricum annis ante exitum x, aut (si aliis credendum sit) x v, quem è Gorgiæ Leontini & Lysiæ scriptis fertur transtulisse. de permutatione, annos natus x x c I I: ad Philippum, paulò ante obitum. Iam senex Plathanes, quam Hippiæ oratoris antè vxorem duxerat, filium de tribus natu minimum Aphareum adoptauit. Satis diues fuit: quòd non tantùm mercedem à discipulis exigeret, sed etiam à Nicocle Cypriorum rege, Euagoræ F. x x talenta pro oratione de ipso scripta accepisset. Inde inuidiæ obnoxius, ter delectus est ad instruendam triremẽ: quod cùm valetudine aduersa præscripta bis per filium excusasset, tertiò rem suscepit, sumtúsq; fecit haud exiguos. Patri, qui diceret se filio neminem excepto vno mancipio adiunxisse: Abi ergo, inquit, habiturus loco vnius duo mancipia. Obiuit etiam certamen in honorem Mausoli ab Artemisia institutum: sed ea laudatio periit. Fecit & Helenę laudationem, & Areopagiticum. Vita excesisse aiunt alij cùm nouem, alij cùm quatuor diebus cibo abstinuisset: incidítque eius obitus in funerationem eorum qui ad Chæroneam oppetierant. Orationes conscripsit etiam filius eius Aphareus. Sepultus est cum gentilibus suis prope Cynosarges ad læuam in tumulo. ibi enim conditi sunt Isocrates, & pater Theodorus, & mater, eiúsque soror Anaco, & adopticius filius Aphareus, & Socrates Anacûs filius, & Isocratis frater idem cum patre nomen gerens, & nepotes Isocratis Aphareo nati, Aphareus, eiúsque pater Theodorus & vxor Plathane, mater Apharei adoptati. Horum monumentis impositæ erant mensæ sex, quæ perierunt. In ipsius autem Isocratis cippo positus fuit aries xxx cubitorum, eique incubuit Siren cubitorum septem: quod argumentum fuit ipsius eloquentiæ. non exstat amplius. Fuit etiã propè mensa, habens poëtas & magistros eius: intérque eos Gorgiam, qui in globum cœlestem intueretur,

adstante Isocrate. Eleusine etiã statua ei ærea dedicata est à Timotheo Cononis F. ante vestibulum porticus, cum hac inscriptione:

Dedicat Isocratis statuam sacratq; deabus
Hospitij & studij nomine Timotheus.

opus fuit Leocharis. Orationes ipsius feruntur LX: de quibus genuinæ sunt, si Dionysium sequimur, XXV: si Cœcilium, XXIIX. reliquæ adulterinæ. Alienus fuit ab ostentatione. itaque de tribus ad ipsum audiendum aliquando venientibus, duos retinuit, tertio in posterum diem reiecto: quòd diceret sibi nunc theatrum esse in auditorio. Solebat etiam discipulis suis dicere, se docere decem minarum mercede: sed ei qui ipsum audacem ac vocalem docendo redderet, XII millia minarum daturum. Interrogatus cur cùm ipse ad dicendum non satis esset instructus, alios tamen instrueret, respondit: Cotes etiam non habere facultatem secandi, habere autem vim ferri acuendi. Sunt qui eum præcepta artis oratoriæ scripsisse dicant. alij non via ac ratione vsum, sed sola exercitatione tradunt. A ciue nunquam vllo mercedem exegit. Discipulis ad concionem eunti obviàm factis iniunxit, vt quæ ipse dixisset ad se referrent. Morte Socratis haud mediocrem cepit dolorem: atque adeò aratus postridie processit. Interrogatus quæ vis esset rhetoricæ, respondit: de paruis magna, de magnis parua redigere. Conviua aliquando apud Nicocreontem Cypri tyrannum, cùm ad differendum ab vnà accumbentibus invitaretur, respondit: de quibus ego vim habeo dicendi rebus, eas occasio non admittit: de quibus autem dicere iam esset tempestiuum, de iis nihil valeo eloqui. Sophoclem tragœdiæ scriptorem videns amatoriè puero cuidam comitari dixit: Non manus modò te, ò Sophocles, tecum continere, sed etiam oculos oportet. Cùm Ephorus Cumæus re infecta discederet

discederet è schola ipsius, denuóque à patre Demophilo mitteretur secundam mercedem adferens: Ioci gratia eum Diphorum (hoc est bis ferentem) appellauit. Magnam tamen homini impendit operam: ita sanè, vt etiam historiæ scribendę argumentum ei subiecerit. Pronus porrò fuit in venerẽ: quippe substrato prolito vtens in lecto, & ceruical croco humectatum vsurpans. Integra ętate non duxit vxorẽ: senex cum scorto consueuit, cui Lagiscæ nomẽ fuit. ex eáq; filiolam suscepit, quæ anno ætatis suæ duodecimo ante nuptias diem obiit. Duxit postea Plathanã Hippiæ rhetoris vxorem, quæ tres habebat filios. quorum natu minimum Aphareum adoptauit, sicvt antè diximus. isque ei imaginem æream ad Olympium tanquam in columna posuit, tali fermè inscriptione:

Isocratis Aphareus patris hoc posuit simulacrum
Diuos, atque Iouem uenerans, meritosq; parentes.

Fertur etiamnum puer equo celete certauisse. ac tali statura celete equo vehens æreus in sphæristerio arcis quod Arrephororũ dicitur (erant autẽ hi Mineruæ sacrificuli) dedicatus fuisse. Duæ omnẽ ei per vitam lites sunt intentatæ. vna, cùm eum ad permutationem Megaclides provocaret. ad cuius discertationem morbo impeditus non comparuit, sed misso filio Aphareo vicit. altera, cùm ei ad munus sumptuum in triremem pro republ. faciendorum de bonorũ permutatione postularet Lysimachus. tum quidem sumptus illos, quòd cecidisset causa, in se recepit. Sed & picta eius fuit in Pompeio effigies. Scripsit etiã Aphareus orationes iuridiciales & deliberationem proponentes: sed paucas. Tragœdias etiam ad XXXVII scripsit: de quarum duabus est controversia. Orsus sub Lysistrato docere fabulas, vsque ad Sosigenem perrexit annos XXIIX: ac sex vrbanas actiones reliquit, bisque vno tempore vicit Liberalia, aliisque actoribus duas reportauit victo-

rias Lenaicas siue Torcularias. Matris eorum, Isocratis, Theodori, & amitæ Anacûs simulacra in arce fuerunt dedicata. Matris nunc iuxta Salutis visitur, mutata inscriptione, Anacûs intercidit. Filios habuit, Alexandrum è Cœnone, Soſiclem è Lysia.

ISAEVS. V.

ISAEVS Chalcidensis patria, cùm se Athenas cõtulisset, Lysię operã dedit. ab eóq; ita didicit vocabulorum concinnationem, & in causis tractandis vim, vt qui non peritus sit generum dicendi, quod vterq; sectatus pro se est, de multis orationibus iudicare facilè non possit vtrũ habeant autorem. Floruit post bellum Peloponnesiacum, vt est coniicere ex ipsius orationibus: & vsq; ad Philippi imperium durauit. Demosthenem docuit à schola deductum, * mercede drachmarum CCIↃↃ. quare maximè claruit. Sunt qui eũ dicant Demostheni orationes composuisse, quas habuit contra suos tutores. Reliquit orationes LXIV, de quibus L sunt germanæ. Sed & præcepta peculiaria artis oratoriæ. Primus etiam figuras adhibere cœpit, & ad res ciuiles animũ adiecit: quod maximè imitatus est Demosthenes. Mentionem eius facit Theopompus comœdiæ scriptor in Theseo.

AESCHINES. VI.

AESCHINES Atrometi F. (eius qui à triginta tyrannis in exsulium pulsus, in reducendo Athenas populo interfuit) & Glaucotheæ: tribu Cothocides, neque natalibus fuit, neque opibus præstans. Is adolescens robusto corpore, gymnasiis operam dedit: & ob voeis claritatẽ posteà tragœdiis agendis, si Demostheni credimus, Aristodemo in Bacchanalibus inseruiuit describendo, tertiásque partes agendo, repetens in schola veteres tragœdias. Puer etiamnum docuit litteras cum patre, & adultus

tus inter vulgares militauit. Cùm verò audiuisset Isocratem & Platonem, vt quidam dicunt, vt Cæcilius, Alcidamantem, & in republica versatus contrariam Demosthenicæ partem non obscurè gerebret: cùm alias multas legationes obiuit, tum ad Philippum de pace. Ob eam Demosthenes ei actionem intendit, Phocensium exitij causam eum, bellíque inflammatorem arguens: quòd quo tempore ab Amphictyonibus Pylagoras seu disceptator adversum Amphissenses delectus fuisset * portum molientibus: vnde factum fuerit, vt Amphictyones ad Philippum confugerint, ísque ab Aeschine adiutus res aggressus gerere Phocidem occupauerit. Verùm Aeschines patrocinio Eubuli vsus, qui Spinthari F. tribu Probalinthius tum ad populum orabat, XXX suffragiis fuit absolutus. Sunt qui dicant fuisse quidem orationes ab oratoribus conscriptas, sed interueniente Chæronensi clade, in iudicium controversiam non esse deductam. Aliquanto pòst cùm Alexander patre mortuo in Asiam traiecisset, Ctesiphontem Aeschines contra leges commissi facinoris accusauit, quòd is Demosthenì honores decreuisset. Sed cùm quintam suffragiorum partem pro se non obtinuisset, neque CIↃ drachmas vellet vbi cecidisset causa deponere, Rodum in exsulium abiit. Alij infamia vlteriùs notatum aiunt, cùm nollet vrbe excedere: & venisse Ephesum ad Alexandrum. Quo mortuo cùm turbæ fierent, Rodum abiit, ibíque scholam aperuit, atque docuit. cùm quidem ostentandi gratia postquam Rodiis suam in Ctesiphontem orationem recitauisset, vniuersis admirantibus quòd tali habita oratione succubuisset, dixit: Non admiraremini, si contra hæc orantem Demosthenem audiuissetis. Ac Rodi quidem scholam reliquit, qui ludus Rodiacus dicitur. Nauigauit deinde Samum, paululúmque in ea commoratus insula, vitam cum morte commutauit. Vo-

calem fuisse & è verbis Demosthenis, & è Democharis oratione liquet. Quatuor ipsius feruntur orationes. quarum in Timarchum, de malè obita legatione, contra Ctesiphontem, solæ sunt germanæ. quæ enim Deliaca inscribitur, non est Aeschinis. nam designatus quidem fuerat, vt causam de templo in Delo oraret: sed fuit in locum ipsius delectus Hyperides, vt ait Demosthenes. Habuit etiam fratres Apholum & Damocharem, vt ipse ait. Primus etiam victoriâ apud Tamynas partam denuò Atheniensibus annunciauit: qua de causa etiam est coronatus. Quidam neminis fuisse discipulum Aeschinem tradunt: sed cùm in iudiciis scribæ munere fungeretur, inde ad oratoriam elatum artem. Primúmque ipsum contra Philippum dixisse, & cùm placuisset populo, ab eo legatum ad Arcades designatum, eò profectum decem Arcadum millia aduersus Philippum contraxisse. Timarcho etiam scortationis dicam impegit: qui deserta causæ dictione sese suspendit, vt alicvbi Demosthenes inquit. Legatus ad Philippum de pace contra Ctesiphontem & Demosthenem, hoc priores tulit. Deinde cum nouem aliis iureiurando pacem sanxit: & in ius vocatus, evasit: sicvt diximus.

LYCVRGVS. VII.

LYCVRGVS Lycophronis F. Lycurgi N. eius, quem x x x tyranni interfecerunt, causam necis prębente Aristodemo Batensi: qui etiam Græcorũ quæstor (hic est Hellanotamias) factus, exsulauit populo remp. gubernante. Tribu Lycurgus fuit Butades, genere ortus Eteobutadarum. Initio philosophatus est, auditor Platonis philosophi. Postea discipulus Isocratis oratoris factus, exinde remp. orando agendóque gessit. Commissa ei etiam fuit pecuniæ administratio. nam quæstor per tria quinquennia dispensauit talentorum millia XIV, aut (vt alij perhibent) talenta CCIↃↃ IↃↃ CIↃ CIↃ CIↃ IↃ CL. Qui ei hunc honorẽ decreuit Stratocles rhetor, ipse primùm ad hoc delectus, deinde amicorũ aliquem prę-scribens ipse pecuniam administrauit. fuerat enim lex lata, ne quis quæsturam eam quinque annis ampliùs curaret. Cæterùm Lycurgus adsiduus fuit in procuratione rerũ conficiendarũ æstate hyemęq;, & ad apparatũ bellicũ suffragiis populi destinatus, multas vrbis res correxit, populo triremes CCCC cõfecit, gymnasiũ in Lyceo parauit ac plantauit, palæstram ædificauit, mortuúsq; tandẽ est in præfectura theatri Bacchici. Idem depositũ priuatorũ ciuiũ, talenta CCL, custodiuit. Vrbi pomparũ vasa aurea & argentea, victoriásq; aureas adornauit. multa etiam imperfecta absoluit, & naualia, armamentariũ. stadio Panathenaico crepidinẽ circumposuit, ac cõvallem complanauit: Dinia quodam, cuius ille locus erat, Lycurgo concedente potestatẽ ex ipsius bonis ciui tatem demerendi. Vrbis etiam custodia ei mandata fuit, & maleficorũ comprehensio. quos quidem omnes expulit: adeò vt sophistarum quidam dicerent, Lycurgũ ita contra malos scribere, vt qui calamum non atramento, sed morte imbueret. itaque cùm ab Alexandro postularetur, populus eum non dedidit. Quo tempore Philippus secundum contra Athenienses bellum gessit, legatus ipse cum Polyeucto & Demosthene in Peloponnesum & circum alias vrbes profectus est. Omni tẽpore in magna fuit apud Athenienses existimatione, & iustitiæ opinione: ita sanè, vt in iudiciis dicta eius magnam patrocinij vim haberent: Legum quoque autor fuit. quarum vna est de comœdiis vt ij Chytris certamen theatrico æmulũ peragerẽt, victórq; in Astu recipe retur: quod antè non licebat. Eo pacto certamẽ iam obsolescens renouauit. Alia, vt æreæ imagines ponerentur poëtis Aeschylo, Sophocli, Euripidi: eorúmque tragœdiæ exscriptæ publicè adseruaren-

tur, eásque scriba ciuitatis recitaret loco histrionum, quibus eas agere non liceret. Tertia, non licere cuiquam Athienſi aut Athenis habitanti liberum corpus captum in ſeruitutẽ vendere ſine prioris domini conſenſu. Præterea, Neptuno certamen in Piræo faciundum, tribus circularibus choris: victoribus dandas x minas, non infrà, ſecundis octo, tertiis ſex. Et, mulierem non debere in bigis Eleuſinem ire, ne à diuitibus pauperes ſuperentur. quæ contrà feciſſe deprænderetur, multandam drachmis IↃↃ CIↃ. Cùm vxor ipſius hanc legem violaſſet, delatoribus qui id reſciuerant talentũ dedit. eóq; nomine accuſatus poſtmodò apud populum: Ergo, dixit, ego dediſſe, non accepiſſe inventus ſum. Publicano qui Xenocrati philoſopho manus iniecisſet, eúmque abduceret ob non ſolutum inquilini tributum, obviàm factus baculum in caput inflixit, eúmque liberato Xenocrate in carcerem incluſit vt qui indecenter egiſſet. Cúmque id eius factum laudaretur, poſt aliquot dies Xenocrates Lycurgi filiis occurrens, Celeriter, inquit, ô pueri gratiam veſtro patri retuli. nam ob auxilium mihi nullo labore latum à multis laudatur. Decreta etiam ſecit, opera vſus Euclidis cuiuſdam Olynthij ad eam rem aptiſsimi. Quanquam autem erat diues, tamen eandem tunicam æſtate atque hyeme geſtabat, calceóſque neceſſariis diebus geſtabat. Meditabatur dies noctéſque, non ſatis idoneus ad extemporalem dictionem. Lecto ſubſtrato vſus eſt, cui tantùm pellis villoſa & ceruical incumberẽt: vt eò facilius excitaretur ad meditandum. Culpanti cuidam, quòd orationi ſtudens mercedem ſophiſtis pénderet, reſpõdit: ſi quis promitteret ſe filios ipſi meliores redditurum, ei ſe non CIↃ drachmas, ſed dimidium bonorum ſuorum daturum. Libertate etiam dicendi vſus eſt ob nobilitatẽ. nam cùm aliquando concionantem Athenienſes non ferrent, exturbarentque, exclamauit: O Corcyræa ſcutica, quàm multorum talentorum æquas precium? rurſus iis Alexandrum in deos referentibus, Qualis verò, aiebat, iſte ſit deus, cuius è templo exeuntes opus habeant aqua ſe luſtrali conſpergere. Mortui Lycurgi filij vndecim viris traditi ſunt, Meneſęchmo accuſante, dica à Thraſycle ſcripta. ſed cùm Demoſthenes tum exſulans ſcripſiſſet Athenienſibus, malè ipſos audire propter liberos Lycurgi: mutata ſententia eos abſoluerunt, Democle Theophraſti diſcipulo eos defendente. Publicè ſepultus eſt Lycurgus, & quidã ex eius poſteris. ſuntque eorum monumenta eregionè Mineruæ Pœoniæ in horto Melanthij philoſophi, menſæ factæ, & Lycurgo liberíſque eius inſcriptæ, quæ hodiéque extant. Id maximum eſt, quòd reditus vrbis, qui priùs erant LX talenta, ad CIↃ CC talenta auxit. Moriturus, in Metroum & curiam ſe iuſsit portari, rationem volens reddere adminiſtratæ reipublicæ. nemine autem extra vnum Meneſæchmum accuſare auſo, reportatus domũ eſt dilutis calumniis, ſupremúmque vitæ diem morte confecit. Toto vitæ tempore probus eſt habitus, orationéſque eius laudatę, & quanquam à multis accuſatus, nunquam cauſa cecidit. Tres habuit liberos è Calliſtone Abronis filia, & Calœi Abronis curia Batenſis ſorore, eius qui Chæronda archonte quæſtor bellicam pecuniam tractauit. de hac adfinitate loquitur Dinarchus in oratione contra Paſtium. Filios reliquit Abronem, Lycurgum, Lycophronem. de his Abron & Lycurgus ſine prole deceſſerunt: cùm quidem Abron in repub. præclarè fuiſſet verſatus. Lycophron ducta Calliſtomacha, filia Philippi Aexonenſis, genuit Calliſtonem. hæc nupſit Cleombroto Dinocratis F. Acharnenſi, & ei Lycophronem peperit. qui ab auo adoptatus, ſine ſobole mortem obiit. Eo mortuo Calliſtonem duxit Socrates, filiúmque ex ea ſuſtulit Symmachus. Eo natus eſt Ariſtonymus, hoc Char-

mides, qui Philippæ pater fuit. Ex hac & Lysandro natus est Medæus, qui & interpres, oriundus ab Eumolpidis. Huius & Timotheæ Glauci filiæ liberi fuere Laodamea & Medæus, qui sacerdotium Neptuni Erechthiensis gessit, & Philippa quæ Mineruæ postea fuit sacerdos. antè enim eam duxit Diocles Melittensis, genuitq; Dioclé, qui grauis armaturæ dux fuit. Hic vxorem duxit Hediſtam Abronis filiam, ac procreauit Philippidem ac Nicostratam. Hæc nupsit Themistocli Theophrasti F. facigero, & peperit Theophrastum ac Dioclem. constituit etiam sacerdotium Neptuni Erechthiensis. Orationes eius feruntur quindecim. A populo coronatus est aliquoties, & statuis donatus. Imago eius ærea posita est in Ceramico, ex decreto, archonte Anaxicrate. quo eodem ei etiam, ac filiorum natu maximo decretus est in Prytaneo victus. Mortuo ipso, Lycophroni liberorum maximo lis fuit de ea donatione. Multas etiam de sacris habuit orationes Lycurgus: accusauitque Autolycum Areopagitam, Lysiclem prætorem, Demadem Demij F. Menesæchmum, aliósque complures, quos omnes reos peregit. Item Diphilum, qui è metallis argentariis subduxerat columnas, quibus substruebantur moles, indéque iniustè diuitias parauerat, fecitque vt morte damnatus puniretur, ac L drachmas ex opibus eius cuivis ciuium dedit: summa donationis CLX talenta æquante. alij minam viritim datam asserunt. Qui autē in ius pertraxit Aristogitonem, Cleocratem, & Autolyco cōtroversiam mouit status liberi * cognominābatur autem Lycurgus Ibis, Xenophonti noctua * Genus autem ab his deduxerunt, ac Erechthei, qui fuit Terræ & Vulcani F. proximè autem à Lycomede & Lycurgo: quos populus publica sepultura honorauit. Est eorum generis successio, consecratorum Neptuno, in tabula perfecta, quæ dedicata est in sacrario Erechthei, picta ab Ismenia Chalcidense. & imagines

gines Lycurgi, eiúsque filiorum Abronis, Lycurgi, & Lycophronis, iis fecerunt Timarchus & Cephisodotus filij Praxitelis. Tabulam dedicauit Abron filius eius, qui natalium iure adeptus sacerdotium, id fratri Lycophroni concessit. ideóque pictus est qui tridentem traderet. Cæterùm Lycurgus descriptionem omnium abs se gestarum rerum fecit, ac in columna suspendit ante palæstram à se factā, vt quibus cordi esset inspicere possent. nemo tamē virum arguere peculatus potuit. Retulit etiam de Neoptolemo Anticlis F. coronando, eíque statua dedicanda, quòd promiserat se aram Apollinis in foro obducturum auro, vt dei oraculum flagitabat. Decreuit etiam Diotimo Diopithis F. Euonymensi honores, archonte Cteſicle.

DEMOSTHENES. IIX.

DEMOSTHENES Demosthenis F. è Cleobula Gylonis filia, curia Pæaniensis, à patre fuit relictus pupillus annos natus septem, cum sorore annorum septem. Orbitatis tempore apud matrem viuēs, operam dedit Isocrati. ita enim quidam sentiunt. plures aiunt Isæi Chalcidensis auditorem fuisse, tūc Athenis degentis. Alij Thucydidis & Platonis fuisse studiosum narrant: atque huic quidem eum præcipuè vacasse perhibent. Hegesias Magnes scribit, precibus eum à pædagogo impetrasse, vt sibi liceret audire Callistratum Empædi F. Aphidnæum, oratorem nobilem, & qui aliquando equitum magister fuisset, ac Mercurio forensi aram dedicasset, verba tum ad populum facturum. Quem vbi audiuit, amore dicendi captus, ei se quandiu Athenis ille fuit, discipulū præbuit. Sed Callistrato in Thraciam profugo, tū ex ephebis egressus Isocrati se atq; Platoni adiunxit. Postea Isæum domū suā recepit, ac per annos quatuor elaborauit in eius orationibus imitandis. Cteſibius in libr. de philosophia perhibet, eū Callię Syracusani opera Zethi Amphipolitæ, per Charicle

Alcidamantis Caristij orationes nactum, in iis sese exercuisse. Virilem ætatem adeptus, tutores suos, quòd ab iis minus æquo accepisset, malæ administratæ tutelæ accusauit, Timocrate archonte. erant autẽ tres, Aphobus, Therippides, & Demophon siue Demea: atque hunc auunculum suum, magis quàm alios. & vnamquamvis actionem decem talentis æstimauit. cùm autem reos peregisset, multam non exegit: alios pecunia, alios etiam gratia * Aristophonte autem iam ob senectutem præfecturam deferente, etiã choragus factus est. Mædiam Anagyrasium qui ipsum in theatro chorum instruentem percusserat, in iudicium pertraxit: sed acceptis tribus drachmarum millibus missum fecit. Ferunt Demosthenem etiamnum adolescentem in antrum iuisse, ibíq; meditatum orationes fuisse, rasa dimidia capitis parte, ne exiret: ínque angusta cubuisse sponda, vt citò expergisceretur. cúmque litteram R non posset pronunciare, labore consecutum vt proferret. cúmque inter declamandum mouere soleret humerum inconvenienter, id desueuisse, suspenso è culmine veru, aut (quod alij dicunt) gladio, vt eius metu se contineret. Cùm iam auctus esset vi dicendi, ferunt eum speculum fecisse sibi æquale, inque id inspicientem se exercuisse, vt corrigeret vitia. Descendisse etiam ad Phalericum litus, & adversus vndas obstrepentes declamasse: vt si quando populus obturbaret, hoc sibi nõ esset terrori. Cúmq; eum spiritus deficeret, Neoptolemi histrionis opera decem drachmarum millibus conducta didicisse vno spiritu integras circuitiones efferre. Postquam se ad remp. contulit, diuiso in duas factiones populo, quarum altera Philippo faueret, altera pro libertate concionabatur: Philippo adversantibus se addidit, omníque tempore ciuibus suasit vt iis auxilium ferrent, quos à Philippo oppressum iri periculum erat. sociósque sui instituti habuit Hyperidem, Nausiclem, Polyeuctum, Diotimum. Ideóque etiam Athenienses fœdere iunxit Thebanos, Euboënses, Corcyrenses, Corinthios, Bœotos, multósque alios. Quodam tempore, cùm eiectus è concione, mœstus domum abiret, Eunomus ei Thriasius occurrit iam senex, atque cohortatus est. Maximè autem confirmatus est ab Andronico histrione, eíque operam dedit, edoctus ab eo orationes suas bene habere, sed actionem iis deesse. Itaque interrogatus quid primum, quid secundum, quid tertium in arte esset oratoria, subinde respondit, Actio. Rursus in concliones progressus, cùm nouè quædam diceret, exagitatus est. vt etiam comici Antiphanes, & Timocles eũ vexauerint.

Vos iuro, terra, fontes, flumina, latices.

nam cùm hoc modo apud populũ iurasset, tumultu est exceptus. Quin & Asclepium (is Aesculapius Latinis est) iurauit, acuta syllaba SCLE, docuítque se hoc rectè facere: esse enim deum epium siue mitem. quo nomine sæpe ei obturbatum esse. Sed omnia ista emendauit, cùm vacasset Eubulilæ dialectico Milesio. Cùm venisset in solennem conventum apud Olympiam, audiuissetque Lamachum Terinæum recitantem Philippi Alexandríque laudationem, Thebanósque & Olynthios perstringentem: contrà ad dicendum surrexit, veterúmque poëtarum testimoniis prolatis de præclaris Thebanorum atque Olynthiorum factis effecit, vt Lamachus porrò quiesceret, eóque conventu profugeret. Philippus autem iis, qui orationes à Demosthene contra ipsum habitas referebant sibi, respõderit: etiam ipsemet, si audiuissem dicentem Demosthenem, bellum contra me suscipiendum decreuissem. Suas orationes Demosthenes militibus ob vim comparabat: Isocraticas athletis, quòd delectationem exhiberent theatricã. Annos natus XXXVII, (à Dexitheo enim supputo vsq; ad Callimachum, sub quo legatio ab Olynthiis

venit auxiliũ petentibus, quos Philippus bello prę-
mebat (suasit vt mitterẽtur Olynthiis suppetiæ. Ano
no postero, in quem mors Platonis incidit, Philip-
pus Olynthios perdidit. Nouerat Demosthenem e-
tiam Xenophon Socratis discipulus, siue incipien-
tem, siue iam florentem. res enim Græcæ ei in Man-
tinensem pugnam & archontem Chariclidam desi-
nunt. noster iam antè sub Timocrate curatores reos
peregit. Aeschinem fugientem à damnatione, equo
est persecutus. cúmq; is se cõprehensum iri putans
ad pedes ei accidisset capite velato, erexit hominẽ,
consolatúsque talento argenti donauit. Autor fuit
populo, vt milites mercenarios in Thaso aleret, eó-
que nauigauit ipse triremibus præfectus. Coëmen-
di frumenti gesto munere, accusatus peculatus, ab-
solutúsque est. Cùm Philippus Elateam occupasset,
ipse etiam cum iis egressus in bellum, qui ad Chæro
neam pugnauerunt. atque ibi eum ordines deseruis-
se aiunt, & cum fugientis chlamydem rubus appræ-
hendisset, se convertisse, ac clamauisse, Viuum cape.
clypei insigne habuit bonam fortunam. Orationẽ
tamen funebrem habuit de iis qui tum ceciderunt.
Secundum hæc cura ad vrbem exornandam conver
sa, cùm publicè esset murorum procurator delectus,
impensam ei rei pecuniam de sua persoluit pecunia,
minas centum. impendit etiam CCIↃↃ iis qui publi-
cè ad sacras res conficiendas mittebantur: (theoros
Græci appellant:) & conscensa triremi circumve-
ctus, à sociis pecuniam collegit. Itaque ob hæc sæ-
pius coronatus fuit, à Damotele, Aristonico, Hype-
ride, coronis aureis: tandem à Ctesiphonte. Cuius
decretum cùm vt contra leges factum accusarent
Diodotus & Aeschines, ipse defendens vicit: cùm
sanè actor quintam suffragiorum partem non obti-
neret. Postea temporis cùm Alexander expeditio-
nem in Asiam fecisset, atque Harpalus cum pecunia
Athenas fugisset: initiò ne reciperet egit. Sed post-
quam

quam ille naui appulit, acceptis CIↃ Daricis senten
tiam mutauit. cúmque Harpalum Athenienses de-
dere Antipatro statuissent reclamauit: pecuniámq;
promulgato decreto in arce deponi, summámq; po
pulo indicari iussit: cum Harpalus dixisset esse IↃↃ
CCL, aut nõ multo pauciora talenta. vt est apud Phi
lochorũ. Pòst cùm è carcere profugisset Harpalus,
in quo tantisper adseruandus fuerat, donec aliquis
ab Alexándro veniret: ac se in Cretam, vel Tænarum
Laconicæ (nam & hoc quidam dicunt) contulisset:
vitio datum est Demostheni, quòd munerib. se pas-
sus corrumpi, neque numerum relatæ pecuniæ edi-
disset, neque custodum incuriam indicasset. itaq; in
iudicium pertractus ab Hyperide, Pythea, Menesæ-
chmo, Himeræo, Patrocle, à concilio Areopagitico
damnatus in exsulium abiit: cùm quintuplum per-
soluere non posset: etenim XXX talenta accepisse
culpabatur. alij eum subire iudicij aleam noluisse di
cunt. Secundum hanc tempestatem, cùm Athenien-
ses Polyeuctum ad remp. Arcadum misissent, vt eos
à societate Macedonum abstraheret: ísque persua-
dere nequiret, supervenit Demosthenes, patrocinás-
que causæ ciuiũ persuasit. Hoc ei admirationẽ pepe-
rit, & aliquanto pòst tẽpore ab Athenienſibus missa
triremi est revocatus in patriã. cùm ij Damone Pæa
nensi, consobrino Demosthenis, autore sciuissent,
vt culpa solueretur, modò de XXX quæ debebat ta-
lentis ædificaret aram Iouis Seruatoris in Pæræo.
Hoc pacto ad remp. rediit. Cæterùm Antipatro La-
miam à Græcis concluso, & Athenienſibus ob fau-
stum nuncium sacrificantibus, cuidam sociorũ Age
sistrato dixit, se de rebus hisce non idem cum aliis
sentire. scire enim se, Græcos stadium conficere bel
ligerando posse, dolichum portò nequire. Vt An-
tipater Pharsalo capta minatus est se Athenas ob-
sessurum, nisi oratores dederent: Vrbe relicta De-
mosthenes fugit, primùm Aeginam, vt in Aeaci

templo sessurus: deinde metu compulsus, in Calauriam transiit. cúmque decreuissent Athenienses vnà cum aliis oratoribus ipsum quoque esse dedendum: supplex in fano Neptuni desedit. Vbi eò venit Archias, qui à conquirendis ad supplicium exsulibus nomen Phygadotheræ invenit, discipulúsque fuit Anaximenis oratoris, suasitq; vt progrederetur, amicus Antipatro futurus: Neq; antè, inquit, tragœdias agens te mihi probauisti, neque nunc consulendo persuadebis. Cúmque vim Archias moliretur, prohibuere oppidani. Demosthenes autem dixit, Non se salutis cupiditate Calauriam confugisse: verùm vt demonstrarem etiam sacrosancta à Macedonibus violari. Poposcit deinde tabellam: eique si Demetrio Magneti credimus, inscripsit elegiacum hoc, quod postmodò ipsius simulacro inscribi curauere Athenienses. eius hic est sensus:

Si tibi tas animo, Demosthenes, æqua fuisset,
Non Macedûm ferret Græcia victa iugum.

Situm est simulacrũ propè septum & aram XII deorum, à Polyeucto factum. alij hoc aiũt fuisse scriptũ inventum: Demosthenes Antipatro S. Mortuum eũ esse tradit Philochorus epoto veneno: Satyrus autem historiæ scriptor, veneno imbutum fuisse calamum, quo scribere epistolam ceperit. eóque gustato ipsum periisse. Eratosthenes, iampridem sibi à Macedonibus metuentem, armillam veneno infectam gestasse circa brachium. Sunt qui dicant contento spiritu mortem sibi parasse: alij, venenum hausisse, quod in sigillo habebat. * * duo & viginti. Mortuo autem Philippo, nitida indutus veste prodiit in publicum, gaudens morte istius: quamquam ipse nuper filiam amisisset. Thebanis quoque contra Alexandrum bellantibus adiumento fuit, ac reliquos Græcos subinde animauit. Itaque Alexander cùm Thebas everteret, hunc ab Athenienſibus postulauit,

uit, additis nisi dederent minis. Huic in Persas ducenti, & nauale subsidium petenti, Demosthenes contradixit: Incertum esse inquiens, an non contra præbentes id vsuros eo esset. Duos reliquit filios * ex vna vxore Heliodori cuiusdam Eudocimi filia. Vnicam habuit filiam. quæ puella antè quàm nuberet, è viuis excessit. Soror etiam illi fuit: qua, & Lachete Leuconensi consobrino natus est Demochares, vir bellicis reb. & orationib. ciuilib. nemini secundus. Statua ei posita in Prytaneo exstat, ad dextram introitus partem prima, non tantum tunica, sed etiam gladio accincta. hoc enim habitu concionatus dicitur, quo tẽpore Antipater oratores quæsiuit. Postea temporis Athenienses cognatis Demosthenis alimenta in Prytaneo dederunt. ipsíque mortuo statuam in foro posuerunt, Gorgia archonte: cùm hos honores ei flagitasset Demochares sorore ipsius natus. cui & ipsi filius Laches Demochâris F. Leuconensis dona impetrauit, decennio pòst, Pytharato archonte. nempe vt statua in foro poneretur, & cùm ipse, tum posterorum semper qui natu maximus esset, cibum in Prytaneo haberent, primamq; sessionem in omnibus certaminum spectaculis. Hæc de vtrisque decreta, infrà perscripta leges. Statua Democharis, vt memorauimus, in Prytaneum est translata è foro. Ferũtur orationes eius genuinæ LXV. Quidam eum etiam impudicè victitasse narrant, vestitu vsum subinde muliebri, ac comesationibus: vnde Batalus fuerit cognominatus alij diminutiuè à nutricis nomine ferũt sic per contumeliam vocatum. Diogenes, qui Canis vsurpatus fuit, cùm eum aliquando in caupona cõspexisset, pudore commoto ac intrò recedenti: quanto magis, inquit, intrò te recipies, tanto magis intus eris. Eundem falsè cauillans, in orationibus aiebat esse Scytham, in prælijs vrbanum. Accepit etiam ab Ephialta aurum, vno popularium oratorum, qui le-

gatus ad regem Persarum missus, clàm attulerat pecuniam, qua inter oratores Athenienses distributa, horum opera bellum contra Philippum inflammaret. ac Demosthenem à rege nominatim dono Daricorum ter mille corruptum autumant. Anaxillam Oratem hospitem suum comprehendit, & vt exploratorem torsit. nihilque confitentem, Vndecimviris tradi facto decreto iussit. Cùm aliquando in concione Athenienses eum non sinerent orare: breue quippiam se iis velle dicere professus est. Factóq; silentio ita est fatus: Adolescens quidam ęstate asinum cõduxit ex Astu Megaram eo vsurus. Meridie cùm solis æstus esset vehemens, cùm ipse, tum asini dominus in vmbra iumenti cubare volentes, alter alterum pellebat. cùm dominus non vmbram à se, sed asinum esse locatum: cõductor in sua potestate esse omnia contenderet. His dictis ille abire cœpit. Athenienses autem retinentib. vtq; orationem pertexeret rogantib. Ergo, inquit, de asini vmbra audire vultis, de rebus seriis dissertem audire recusatis? Polo histrioni aliquando dicenti ad ipsum, Bidui certamine se talentum pro mercede retulisse: respondit, Ego quinq; talentis vnius diei silentium vendidi. Aliquando in concione voce ipsum deficiente cùm obturbaretur: de histrionibus, dixit, è voce, oratoribus è sententia iudicium esse petendum. Exprobranti continentem meditationem Epicli: Ego verò, inquit, dedecori hoc ducerem, si tanto populo consulens aliquid subitò ad animum mihi allapsum pronunciarem. Lucernam ab eo nunquam exstinctam perhibent. Attigit annum ætatis quinquagesimum, orationes diiudicans. ipse ait, se aquam potasse. Nouit eum etiam Lysias orator, & Isocrates in rep. versantem vidit, vsq; ad pugnam Chæronensem, & quidam Socraticorũ philosophorum. Pleraq; orationes ex tẽpore dixit, à natura ad hoc factus. Primus de eo aurea corona do-

nando retulit Aristonicus Nicophanis F. Anagyrasius: quâquâ Diõdas iureiurãdo dato intercessit.

HYPERIDES. IX.

HYPERIDES Glaucippi F. Dionysij N. curia Colyttensis fuit. Habuit filium cognominem auo Glaucippum rhetorem, qui etiam orationes conscripsit, filiúmque habuit Alphenum. Sed Hyperides cùm fuisset Platonis philosophi auditor, vnà cũ Lycurgo remp. gessit, quo tẽpore Alexander res Græcas est aggressus. cui etiam postulanti prætores Athenienśium, & triremes, dicendo restitit. Consilium etiam dedit de non dimittendo mercenariorum militum præsidio, quod erat Tænaro impositum: idque visus fuit facere ob benevolentiam, qua eorum ducem complectebatur. Initiò mercede conductus causas orauit. Creditus est cum Ephialte * particeps fuisse regiarum pecuniarum. Triremibus præfectus suffragiis populi, quo tempore Philippus Byzantium oppugnauit, missus ad ferendam ei vrbi opem * eo anno sustinuit chorum sumtibus instruere, cùm alii omnia publica ministeria dimisissent. Rogationem etiam tulit de honoribus Demosthenis deferendis. cúmque illud decret. Diondas vt contra leges factum intercessione iu rata impugnaret, absolutus est. In amicitia Demosthenis, Lysiclis, & Lycurgi non vsque ad finem pemansit. nam his duobus vita defunctis, Demosther ne in ius vocato quòd ab Harpalo corruptus pecunia diceretur, ex omnibus ipse designatus (soluenim corruptelam non admiserat) eum accusauit. Postulatus violatarum legum, quòd lege promulgata iussisset inquilinos in ciuium numerum referri, seruos libertate donari, sacra, liberos, & vxores in Pæræum deponi: absolutus est. ac quibusdam culpantibus, quòd eo in decreto multas leges quasi non videns eas præteriuisset: Arma respondit Macedonũ sibi tenebras offudisse: neq; à se id decretũ

sed à Chæronensi pugna fuisse confectum. Tamen Philippus postmodo cadauera tolli cæsorum permisit metu ipsi illato : cùm id anteà profectis à Lebadia legatis denegasset. Denique post cladem ad Cranonem acceptam cùm postularetur ab Antipatro, populúsque eum esset deditrurus, vnà cum aliis damnatis Aeginam ex Astu profugit: congressúsque cum Demosthene purgauit se de dissensione. inde profecturus ab Archia (qui cognomento Phygadotheras, Thurius patria, olim histrio, tunc Antipatro inseruiebat) in templo Neptuni Hermionensi comprænensus, & vi à simulacro quod complectebatur abreptus, ad Antipatrum est Corinthum perductus. ibi inter tormenta quæstionis linguam suam dentibus suis conscidit, ne quod patriæ arcanum posset eloqui. itáque mortuus est, mensis Pyanepsionis nona die. Hermippus ait eum cùm in Macedoniam esset perlatus, lingua fuisse mutilatum, insepultúmque abiectum. sed Alphenum, consobrinum eius, siue (vt aliorum fert opinio) nepotem è filio Glaucippo, opera Philop&this cuiusdam medici, cadauere aui potitum, id cremasse, ossáque Athenas ad cognatos pertulisse, contra & Athenienſium & Macedonum edicta. nam non exsulium modò ei imperauerant, sed etiam vetabant ne in patria sepeliretur. Alij apud Cleonas eum aiunt, eò cum aliis abductum, lingua truncatum periisse eo quo dictum est modo. cognatos autem ossa abstulisse, atque humauisse iuxta parentum reliquias, ante portam Hippadem siue equestrem. autor Heliodorus libro De monumentis tertio. Nunc illud monumentum ignotum est, vetustate collapsum. In dicendo ad populum fertur omnibus aliis præstitisse. Sunt qui eum ante Demosthenem ponant. Orationes ipsius feruntur LXXVII, quarum germanæ sunt LII. Fuit etiam in rem veneream procliuis: ita quidem, vt filio electo introduxerit in domum suã

scor-

scortum sumtuosissimum Murrhinam : in Pæræo habuerit Aristagoram, Eleusine in suis prędiis Phil-tam Thebanam, XX minis redemtam. Deambulauit in foro piscario. Coniectura fert, in eum etiam vnà cum Phryna meretrice impietatis accusata fuisse inquisitum. id enim ipse initio orationis innuit. illam, cùm iamiam damnanda esset, in medium produxit, ac direpta veste pectus mulieris ostentauit. ita iudicibus pulcritudinem respicientibus ea absoluta fuit. Composuit paulatim crimina quæ Demostheni intentaret: nec fefellit. cùm enim ægrotantem ipsum Demosthenes visendi gratia accessisset, deprehendit eum tenentem librum in se scriptum. cúmque indignaretur, respondit Hyperides: Hic liber neminem amicum lædet, inimicum autem factum prohibebit quicquam adversus me agere. Honores etiam decreuit Iolæ, qui Alexandro venenum dedit. Socius fuit Leostheni in Lamiaco bello conflando. in eóque occisos funebri oratione admirabili celebrauit. Cùm Philippus classem instruxisset ad petendum Eubœam, & Athenienses sibi metuerent: Hyperides XL triremes comparauit priuatim contribuentibus ciuibus, primúsque pro se & filio duas contulit in publicum triremes. Controuersia cum Deliis orta Athenienſibus, vtri sacris præesse deberent, Aeschine delecto vt causæ Athenienſium pátrocinaretur, senatus Areopagitarum Hyperidem negocio ei destinauit. extátque oratio eius, Deliaca inscripta. Legationem quoque ad Rodios obiuit. Cùm ab Antipatro legati venissent, laudaréntque eum à bonitate, occurrens iis dixit: Scimus Antipatrum esse bonum : sed nobis quidem bono domino opus non est. Dicitur absque fuco ad populum orasse : & rebus vt erant gestæ narrandis contentum, iudices non perturbasse. Missus est etiam ad Eleos, excusandi Calliæ athletæ causa, qui certaminis corrupti insimulabatur: & obtinuit cau-

sam. Cùm autem sententiam de donando Phocione à Mædia Mædiæ F. Anagyrasio latam accusasset, succubuit. actum hoc archonte Xenio, Gamelionis mensis die XXIV.

DINARCHVS. X.

DINARCHVS Socratis siue Sostrati F. à quibusdam Athenien sibus perhibetur: alij Corinthi natum, adolescentem etiamnum Athenas se contulisse aiunt, ibique sedem posuisse: quo tempore Alexander Asiam peragrauit. Auditor fuit Theophrasti, eius qui Aristoteli in schola successit. Vsus etiam est consuetudine Demetrij Phalerei. maximè in gerenda republica post mortem Antipatri versatus, cùm oratorum alij necati essent, alij exsularent. Amicus autem Casandri cùm esset, plurimum profecit pecunias pro orationibus exigendo, quas requirentibus conscribebat. Adversabatur autem nobilissimis oratoribus, non ad populum dicendi causa procedens (neque enim poterat) sed orationes eorum aduersarijs componens. Et postquam Harpalus profugit, complures scripsit orationes in eos, qui numerum acceptorum & corruptelæ rei habebantur. Postea temporis obiecto sibi crimine, quòd cum Antipatro & Casandro de occupanda Munychia rem composuisset, quando eam Antigonus & Demetrius præsidio tenuerunt, Anaxicrate archonte, maxima bonorum parte in pecuniam conversa, Chalcidem profugit. inque exsulio ad XV annos commoratus, réque aucta, in patriam rediit, Theophrasto ei aliisque exsulibus redeundi potestatem impetrante. Vsus verò tum hospitio Proxeni amici sui, aurum amisit iam senex & visu debilitato, Proxenum, quòd is inquirere de furto recusaret, in ius vocauit: túncq; primùm in curia dixit. exstat ea oratio. Feruntur orationes eius genuinæ LXIV. quarum quædam probantur, vt contra Aristogitonem. Aemulatus est Hyperidem: aut vt nonnul-

li ex animi grauioribus motibus, vehementia, ac figuris colligunt, Demosthenis.

DECRETA.

Demochares Lachetis F. Leuconensis postulat, Demosthenem Demosthenis F. Præaniensi dari hoc donum: vt ærea ei ponatur in foro statua, cibus detur in Prytaneo, ac princeps in consessu locus ipsi, & posterorum subinde ei qui natu est maximus. Multa enim beneficia in populum Athenien sem contulit, sæpè consilio eum iuuit, patrimoniúmque suum in remp. contulit. talenta IIX & triremem sup peditauit. quando P. A. liberauit Eubœam. iterum triremem, quando Cephisodorus in Hellespontum nauigauit: aliâ, quando Chares & Phocio prætores à populo Byzantiũ sunt missi. redemit precio multos Pydnę, Methonę, & Olynthi captos à Philippo. sumtus in chorũ fecit, cũ Pádionidis deficientib. ea res cessaret. largitus etiam est & armauit ciues indigos. in muri cõfectionẽ sumtus fecit triũ talẽtorũ, ad hoc munus à populo delectus, iterũ de suo insumsit cùm duab. fossis Pirẽeũ cingeret. Post Chæronẽsem pugnã talẽtũ in publicũ cõtulit. aliud in frumẽtatione, in penuria. Benefaciẽdo, cõsulẽdo, persuadendo ad societatem populi Athenien sis pertraxit Thebanos, Euboënses, Corinthios, Megarenses, Achæos, Locros, Byzantios, Messenios. copias populo ac sociis contraxit, peditum CCIↃↃ, equitum CIↃ. item pecuniæ collationem ad bellum legatus impetrauit à sociis, ampliùs IↃ talẽtis. legatus data pecunia obtinuit à Peloponnesiis, ne Alexandro ad Thebas auxilia mitterent. multa alia præclara & vtilia præstitit consulendo & rempub. gerendo, ita vt nemo æqualium de libertate & imperio populi tantum sit promeritus. Cúmque imperio populi everso ob paucorum in rep. potentiam exsularet, mortuus est in Calauria ob benevolentiam erga populum immissis ei ab Antipatro militi-

Demosthenis in rẽp. merita.

bus,perseuerans in studio & amicitia populi.& neque in manus pervenit, neque in extremo periculo quicquam populo indignum fecit. Archon Pytharatus. Laches Democharis F. Leuconensis à senatu & populo Athenienſi, postulat dari hoc donum Democharis Lachetis F. Leuconensi.vt ærea ei in foro ponatur statua, cibus in Prytaneo ipsi & subinde posteritatis eius natu maximo, primum consessus locum in omnibus certaminibus. Quia bene & fecit & consuluit populo,hæcq; in eum beneficia contulit. legationes obiuit, rogationes tulit, remp. gessit, murum refecit, arma, tela, machinásque parauit,muniuit vrbem sub bellum quatuor annorum. pacem, inducias, societatémque cum Bœotis composuit. Ob hæc electus vrbe fuit ab * iis qui populi potestatem everterunt. Reversus archonte Diocle,populo revocante, contraxit administrationem, suis facultatibus non pepercit, Lysimachum legatus adiit, populo xxx talenta impetrauit ac rursum c. autor fuit legationis ad Ptolemæum mittendæ,qua functi populo L talenta attulerunt. legatus ad Antipatrum iuit, ac xx argenti talenta confecit, & ad Eleusinia populo attulit. Hæc omnia egit consensu populi, & propter huius in rep.imperium exsulauit, nihil cum vlla paucorum dominatione commune habuit,neque populo oppresso vllum gessit magistratum. solus omnium sua ætate Athenienſium qui remp.gessissent,nulla alia quàm populari administratione remp.commouit,iudicia,leges,bona,omnia Athenienſibus in tuto collocauit sua opera: neq; contra populi in rep. principatum quidquam facto dictóue egit. Lycophron Lycurgi F. Butades retulit de cibo sibi in Prytaneo dando, secundum donum quo populus ornauit Lycurgum Butadem Anaxicrate archonte in Prytaneo,Antiochidis tribus. Stratocles Eu- * thydemi F.Diomienſis pronunciauit. Lycurgus Ly-

Lycophronis F. Butades à maioribus suis propagatam susceptam erga populum benevolentiam: eiúsque maiores Diomedes & Lycurgus cùm viui in honore apud populum fuerunt,tum mortuis ob virtutem populus publicam in Ceramico sepulturam concesit: & Lycurgus ipse remp.gerens, multas bonásque patriæ leges tulit, & publicorum redituum quæstor factus non vnum quinquennium eos procurauit. Distributísque è communibus reditibus CCIↃↃ IↃↃ CIↃ CIↃ CIↃ IↃ CCCC talentis, multam etiam priuatorum pecuniam fide mutuóque accepit opportuno vrbis & ciuium tempore,in vniuersum IↃCL talenta: omnia creditus est iustè dispensasse, ideóque aliquoties coronatus est à ciuitate. Præterea delectus à populo, multum pecuniæ in arcem conduxit, Deæque apparauit ornatum,victorias ex solido auro, pomparum vasa aurea & argentea, mundúmque aureum ad Ceanephoros. Præfectus etiam bellico apparatui arma multa,& iaculorum L millia in arcem retulit,CCCC triremes ad nauigandum instruxit, aliis adornatis, aliis de integro fabricatis. Porrò cùm imperfecta inuenisset naualia,armamentarium, ac Liberi patris theatrum,absoluit ea: nec non stadium perfecit Panathenaicum,gymnasium,Lyceum: multísque aliis structuris vrbem exornauit. Cùm verò Alexander rex tota Asia subacta imperium in omnes Græcos sibi sumens,Lycurgum sibi dedi iuberet,vt qui contra ipsum egisset: populus non dedidit eum metu Alexandri.Sæpenumerò etiam rationem reip.gestæ reddens in libera ciuitate, & in qua summa rerum penes populum esset, nunquam vllius fraudis aut corruptelæ compertus est. Ergo vt omnibus constaret eos qui pro principatu populi & libertate iustè volunt remp. gerere, cùm viuos maximi fieri, tum mortuis honores haberi ad omnem memoriam duraturos: quod felix faustúmq; sit, sciuit po-

Lycurgi in remp.merita.

pulus laudandum esse Lycurgum Lycophronis F. Butadem virtutis ac iusticiæ causa: eique à populo statuendam ceream imaginem in foro, nisi sicubi lex eam stare vetat: dandúmque in Prytaneo cibum ad omnem posteritatem quovis tempore ei qui ipsius de propagine natu sit maximus: omnia eius decreta rata habenda, & à scriba ciuitatis insculpta in lapideas columnas debere dedicari in arce, ac poni prope donaria. ad columnarum scriptionem quæstorem populi debere pendere L drachmas, ex ea pecunia, quam populus in decreta impendit.

TOMI II. FINIS.

IN II TOMVM PLVTARCHI MORALIVM, Annotationes interpretis.

IN LIBRVM DE PLACITIS Philosophorum.

HIC mihi præfari licet ac libet, multa me potuisse emendari ex Aristotele, Platone, Diogene Laërtio, alijs: quæ uel adducuntur corrupta, uel ponuntur mutila. Feci autem intra modum quicquid feci, quia commentarijs potius, quàm annotationib. mihi res fuisset agenda. Mutilatè multa dici intelliges uno exẽplo, capite huius libri primo, ubi

ubi natura definitur ex Aristotele: ita quidem, ut minimum Aristoteleæ disciplinæ sectatorem iure pœnitere possit, sic definire si didicisset. res est obuia. Veterum philosophorum sententiæ longè rectiùs (si quam ea siue diligentia siue curiositas tangit) ex Aristotele & eius interpretibus alijsq; scriptoribus etiam historicis quàm hoc ex uoluminc petentur. Quod ego tamen nequaquam contemno, sed quid iudicem, & sciam uerum esse, propono, mei excusandi gratia. præsertim cùm non nesciam quosdam superbire citandis philosophorum decretis, abusos his libris. quorum librorum alioquin sua est non pœnitenda utilitas. Sed insaniunt, qui his libris lectis scire se putant quid de quaq; in ijs proposita re senserint Philosophi.

LIB. I. CAP. III.

Bona pars huius capitis refertur ab Eusebio lib. XIV παρασκευ. συναγωγικῆς. qui uolet, comparabit. mihi enim omnẽ lectionis diuersitatem annotare non libet, itemq; ordinis.

6. 10. Rem creare nullam potest.) Ad uerbum, aliud esse non potest. rectè enim pro ἐνέργεια, ἐνεργέα. Euseb. & pro ὑποκείνται, ὑπόκεινται: quod significantius traditur, & mox pro πρίχει, ἰμπορίχει. quod malo.

7. 31. Colligendo.) Διὰτὰ προόδοσιν. προόδοσιν est in manuscripto. ad rem, perinde est: sed sequentia προόδοσιν probant. Infra 8. 13. Percipitur sensu.) ὅτι ἴδιοι μέρος ἐσοίμ αἰσθάνται. Vox αἰσθάνεσθαι, si autor uoluit propriè loqui, hîc stare non potest: si proprietatem neglexit, falsam sententiam gignit. Sola enim indiuidua sentiuntur, ne dum αἰσθάνεται illo modo dici possint. Enimuerò philosophicæ & analyticæ rationes docent αἰσθητοὶ esse legendum & pro ᾧ ὄβελὸς, lego ᾧ ὁ τὶς. τὸν τινὰ uocat Aristoteles indiuiduum speciei, hunc hominem, ucrbi gratia Plutarchum, Xylandrum, Scriptus hîc mendositate impressis non cedit. interpretem saluo honore hîc non moror. Deniq; mutilum esse locum de Pythagorica philosophia satis liquet.

Cap. IIII. 10. 24. Concreuit.) σωίστημι non σωίστη. sanè nostrum etiam cum indice melius congruit. apud Eusebium lib. præpar. XV. pro σωίστημι ἰσχηματισμένος, legitur ἰσχηματίσαι. cap. eodem βαρύτατα, παύτως. Euseb. βαρύτατα παύτων.

Cap V. 11. 25. Ociosam esse materiam.) ἀργὸν ἄναν τὴν ὕλην pro his uerbis est, etiam in Aldino, uox una ἀρχὸν. quod merùm animaduertere non ignaro ueteris philosophiæ erat facile, neq; fefellerat Budæum interpretem. mea lectio est manuscripti Codicis, & Eusebiana. Paulò ante τὸ σωματικὸν, Eus τὰ σωματικὰ. Πρὸς δὴ τὸν Πλάτωνα.) Idem πρὸς δὲ.

In cap. VI. 12. 35. Chelæ.) αἱ δ' ἐνί εἰ χῆλαι. Sic emendassem, etiam si non extarent apud Aratum hi uersus. 545. in Arato autem pro μετὰ δ' αὐτὸν legitur ηχὶ ὑπ' αὐτῶ. Sed quid attinet ea annotare, cùm φανόμενα Arati sint in manib. omnium? Manuscriptus pro ἀγονιῇσι habet ἀγονίῃσι. sed illud est magis poëticum In fine huius capitis legendum, superiora, & rectè habere censuerunt. scribendum enim fuit non λαπῶς, sed λαλῶς ἔχειν, ut est perspicuè in manu scripto: neq; ullo modo quadrat λαπῶς. In Hesiodi uersu non uideo cur ἱερέουθ', quod principem significat, unde Homero Iupiter ὕπατος ἱερεύντων, Creumq; fecerit Budæus. Est enim epitheton, non proprium.

Cap. VII. 14. 10. Melius.) ὁ μήλιος, hoc rectè corrector reposuit, cùm Aldinus & Scriptus codex legant μηλήσιος. quo modo etiam apud Suidam priore loco legitur. Citat & hæc Eusebius, & μήλιος habet. De Euemero uide annotata in Isidem Plutarchi, à nobis. Callimachi uersus sunt scazontes, & constat, si p χάλκιον legas χάλκειον. aut potius sequare manuscriptũ codicem, ubi pro πάλαι est παλαιὸν (tametsi τὸν πάλαι χάλκειον elegãtius sit, quàm τὸν παλαιὸν χάλκιον) ex eodẽ pro ἀλίτης, legi ἀλίτης. atq; ita etiam Budæũ uideo legisse. Vertit enim cõferti. pro ψύχει in manuscripto est ψῦχι. Equidem quid sit βίβλια ψύχειν, non satis uideo. fortassis eo sensu est dictum, quo Terentius homines frigere dixit: ut intelligas, Euemeri libros ad suburbanum

num fanum prostitisse ac friguisse. Versus hi apud Eusebium sunt omissi. Sequentia de Sisypho confusa sunt. quis enim est ille, qui ἀνηρέθω φησίν; In Callimachi uersu scriptus ῥῆξαι ante δαίμοσι ponit, ut sit pentameter: — ἐι θεὸν οἶδα

Ἰ'δ' ὅτι ηχὶ ῥῆξαι πάντα θεῶ δυνατὸν.

16. 6. Deum in igne.) Δημόκριτος νοεῖν. apud Eusebium: Δημόκριτος, θεὸν ἐν πυρὶ σφαιροειδῆ τὴν τοῦ λόσμου ψυχὴν. quæ lectio est haud dubiè genuina. Cæterùm nõ exprimitur, cuius sit hæc de Deo disputatio. Plutarchi quidem nõ est hæc sententia.

16. 29. A materiæ.) δι' ὕλης τῆς ὕλης. διὰ τὰς ὕλης, rectius Eusebius. Idem & manuscriptus. παραλλάξεις, quod pro dativo singulari restituendum est.

17. 10. Primum ortus.) πρῶτον γηγένεσι, non πρώτη. Sic manuscriptus & ipsa ratio. Euseb. lib. 15. hanc uocem omisit.

Cap. X. 17. 25. Corporis expers.) legendum ἀσία ἀσώματος. Aldus & noster σώματος. quod correctu erat facile, etiamsi scriptus liber nos non monuisset. Sed & Euseb. rectè habet. Ex quo & reipsa didici μὴ expungendum, & ηχὶ ante λαβ' inserendum in hac finitione. Iam ἐξῶ γιγονὼς τοῦ ὑπὸ τοῦ θεῦ lego cum Eusebio, pro ὁ ἐξ ὧν γιγονὸς τοῦ ὑ. θ. quæ uerba nullum sensum gignunt, ideoq; ea Budæus dissimulauit. Illa autem sic intelligo, Aristotelem alienum fuisse à sententia, quæ mundum à Deo creatum dicit.

Cap. XI. 17. 36. Cuius effectus est.) τὸ ἀποτέλεσμα. lego ὃ ἀποτέλεσμα, rationem & usum linguæ Græcæ respiciens. Post Pythagoræ nomẽ, intercidit relatio eius sententiæ quam tandem Aristotelis fuisse non arbitror.

In XV. Cap. 19. 12. Locorum.) pro τροπῶν legendum dico τόπων. Nota est (ne longum faciam.) Hippocratei libelli hac de re inscriptio.

19. 34. In mundo vacuum.) ἀδέν τι τοῦ παντὸς. Notissimum est Empedoclem uersibus suam Physiologiam scripsisse. Itaq; sic legerem:

ἀλλ' ἐν τῷ παντὸς ληρεῖν πολλοῖς, ὀλίγα πρὸς ἀρετὴν.
aut leuem, ut apud Homerum,
Κεῖν' ἔχεα.——

Capite proximo 20. 8. Receptaculum.) lego ἀξαμένῳ sic & Aldus & manuscriptus. non ἐξαμίνῳ, quid interfit, notum est. itaq; & suprà legendum cap. nono.

21. 2. E minutis construat.) κατὰ συναθροισμὸν lego, ex manuscripto nostro & Aldo. μετὰ: præpositio hîc locum non habens, & pro altera ob notarum similitudinem κατὰ & μετὰ introducta.

21. 20. Lationem.) περὶ τὸν φθορᾶν legitur, euidenti falsitate. certè φορᾶν scribi debuisse, è re ipsa liquet.

IN LIBRVM SECVNDVM.

23. 4. Breuis recensionis.) Huius libri inscriptio in manuscripto est, περὶ τῶν ἀρεσκόντων τοῖς φιλοσόφοις, φυσικῶν δογμάτων ἐπιτομῆς. βιβλίον β'. quomodo etiam in indice horum librorum est in nostro codice. & sanè de naturæ tantùm obscuritate, non alijs item Philosophiæ partibus Philosophorum sententiæ referuntur, idq; etiam præfatio præ se fert, ut hic esse genuinus operis uideatur index.

23. 31. Et à prouidentia.) Nam apud Eusebium huius capituli inscriptioni additur, περὶ προνοίας διοικούμενος. Placet. Cap. IIII. ἀόδυτον γὰρ εἶναι διὰ τὸ. Euseb. melius, διότι σωμ. & cap. 6 inscribit, Ἀπὸ ποίας πρώτης. non τοιχέα. & deinde τῆς ῥώμης τῆς σφαίρας, ubi nos habemus τῇ ῥύμῃ τῆς πολυφορᾶς.

25. 15. Ex lumine & tenebris.) legebatur ἀλλήλαις. Sed Euseb. lectionem reposui, perspicuè consentaneam, μικτὰς δὲ ἄλλας. Idem rectiùs habet superiore uersu ἐν' ἀλλήλαις. nam & Scriptus habet ἐν' ἀλλήλοις. Post quintum scilicet corpus.) Legi enim πέμπτον γέ τι σῶμα, quæ est perspicuè uera lectio apud Eusebium, non δέ τι. & ἀϊδία omnino cum eodem legendum pro ἀΐδια.

26. 12. In libro primo.) ἐν τῷ πρώτῳ περὶ ληρῶ. manuscriptus melius uidetur distinguere. ἐν τῷ πρώτῳ. περὶ ληρῶ Ἀριστ. &c. Sed falsa sententia Aristoteli tribuitur, ut & huic aliàs, & alijs. At enim Eusebianam lectionem cur non appono, cum sit haud dubiè genuina? πρὸς τοῦτο διάβασιν. ἐν τῷ πρώτῳ περὶ ληρῶ Ἀριστοτέλης μηδὲν εἶναι ληρεῖν. Inscribit autem capitulum modò sic, περὶ τῶν ἐκτός.

26. 22. Cap. XI. Euseb. inscribit περὶ ξηρανσεῶς. Atq; eiusdem libri autoritate fretus τῆς ἐξωθεν ζωνῆς ἔναι legi, & Depono. pro ijs quæ & inepta erant & ubiq; recepta τοῦτο ἐξωτάτω γύαλον. Et uidetur hæc sententia, quæ cœlum non esse nisi extremi terræ circuli reuolutionem statuit, optimè conuenire cum eo, quòd idem Anaximenes tradidit, stellas non supra terram, sed circa eam reuolui. Diog. Laërt. lib. 2.

Cap. XV. 28. 2. κατὰ μιᾶς ἐπιφαν.) rectiùs Euseb. μίαν ἐπιφάνειαν. & pro φαίνονσα. φάνωνα. Hoc nolui dissimulare, uideri mihi aliquando Xenocratis nomen in Xenophanem, fortè etiam uicissim mutatum. Cæterùm Cap. XVI. 28. 26. Sub terram.) ἀναξιμένης ὁμοίως ὑπὸ τοῦτον γῆν. Scriptus ὑπὸ habet pro ἐπὶ, rectissimè. Platonis sententia eadem in libro de oraculis desitis fuit relata.

Cap. XVII. προσλάμπειδα.) Euseb. καταλάμπειδα. Sed minuta hæc quiùs pro se obseruet.

Cap. XX. 29. 26. Qui appareant.) συνεστώτων τῶν σωμάτων. φαινομένων ex Euseb. inserendum est. apud eundem ἐν νηφᾷ πεπυρωμένων.

29. 33. Discum vitreum.) Euseb. uox λίθινος debetur, malè omissa. & pro λιθοειδῆ ex eodem διαφανῆ legi. quod ad sententiam quadrat. Adscribam etiá reliqua, quando mihi quidem magis quàm nostra probantur. ideoq; ea secutus sum in uertendo. πυρώδης, τῇ ἀπὸ τοῦ ὑπόπτου κατὰ ἀνάκλασιν διασωθεῖσα μίνῃ πρὸς ὑμᾶς αὐγῇ. Καὶ γὰρ ταῦτα, &c. 30. 11. Punicis sponsiæ uc.) Nos nihil habebamus quàm διαπρεπεῖς, mutilè.

apud Eusebiũ est λισσοροειδῶς περὶ σφογγοειδῶς. In proximo capite, ὑφ' οὗ: melius quàm ὑφ' ὃ. sed pro ἐπλανεν, ἐπλοναν scribendum ex Eusebio, & præcedente cap.

30. 20. Quantus & qualis.) Hæc quoq; ex Eusebio correximus. Et reliquas uarietates ordinisq; diuersitatem tibi comparandas relinquimus. non enim iudicatu arduum est, quid rectè aut rectiùs legatur.

31. 21. Lunam autem moueri.) Eusebius σιλλύω pro γλῶ habet: quod probo & λιλίματα pro λείμα. Inscriptiones capitum Eusebianas ego impressis præfero. λει. inscribit περὶ σιλλύης. Idem in sententia Platonis ibi pro πυρώδης habet γιώδης. λις, quod nobis est λίς, πόρι μιγίβης σιλλύης. & in eo ubi est οἱ σιῖνοι σφαιροειδῆ, facit caput aliud nobis λίς futurum. Περὶ σχήματος σιλλύης. Cumq; uideam cum hoc consentire manuscriptum, non dubitem emendare.

Cap. XXIX. 32. 29. Anaximander.) Ἀναξίμανδρος. legendum ex Eusebio & superiorib. quæ de Solis defectu disputauit idem. Nostri habent Anaximenem. Ἀναξιμένης. in Pythagoreorum opinione rectè cum Eusebio ἀπόφαξιν τῆς γῆς, ἣ δὴ αὐτίχ- pro συμφώνως, συμφωνῆσαι.

33. 24. Octingenties millibus.) Illustre detrimentum ex Eusebio exsarcitum hæc habes.

IN LIBRVM III.

35. 11. Ab his trabiformem.) In cap. 2. ἄλλοι δοιδία. ἄλλο Scriptus, idq; uerius iudicaui. 37. 21. Aquam exspuat.) πτύσει quidem liquidò habet manuscriptus codex. Noster ex Aldo πιτύσει, quod nihil sonat.

38. 26. Oecetes.) Οἰκίτης. apud Eusebium legitur, Ἰκέτης.

39. 3. Primum adsignat.) πρώτλω εἰς ἄπειρ. Eusebius melius πρώτλω. εἰς ἄπειρον γὰρ ὄρ.

39. 29. Non vt loco suo excedat.) In libris uulgatis hæc legitur fœda mutilatione μιταβατικῶς τροχοῦ πίνλω ἐνῳωτο μένλω. Ex Eusebio nos locum transtulimus, qui habet, μιταβατικῶς,

ἰῶς, ἀλλὰ ῥοπικῶς, ἄξονι τριφομένλω ἀπὸ ἀνομῶν, &c. nam ἀνομῶν pro δυσμῶν fuisse falsum, uel cæco appareat. & in Aldino est & manuscripto ἀνομῶν. Cap. XIV. ὁι δὲ ἐπικ. scriptus ὑ δὲ. fortè ἣ δὲ.

41. 12. Ob ardorem.) ἴκκαυσιν. Euseb. ἴγκλισιν. Sed nostram lectionem malo. mox, ὅτι πλεῖον πίλησιν. (quid enim sit ὑπιπόλαιον πλύσιν, ablutionem in superficie.) legimus cum Eusebio. Versu proximo inserendum παραλυλίσαντα, quod est in salsuginẽ concedere. Hanc uocem totã omisit corrector, cum & in Aldino, & in manuscripto sit παραλυλίσασα, quod memor τῆς ἁλυκίδος facilè sibi restituisset. Est autem & apud Eusebium ita ut nos scripsimus (nisi quid deest) παραλυκίσαντα legendum. In fine capitis ἀπὸ δὲ, legendum ἀπὸ γῆς. Scriptus, Eusebius, ratio.

IN LIBRVM IV.

Κατ' αὐτλὼ.) legebatur αὐτὸν. q. d. Euthymenem sensisse, mare externum esse dulce. manuscriptus habet αὐτλὼ, suapte natura. pro καθ' αὐτλὼ. nam adspirationem negligi non est prorsus inusitatum. αὐτλὼ etiam Budæus legit. Cæterum pro ἐξυδρῶν contenderim quouis pignore legendum ἐξιδρουῶ. quod sanè etiam in scripto deinde reperi.

45. 27. Dispositi.) legi enim ἔργανα πιταγμίνα, ut habet manuscriptus adstipulante ratione, non πιταμίνα.

52. 30. Cucurbitulis comparat.) ἀπεικάζα. παρεικάζα, manuscriptus. & paulo antè ἔσω, quod omnino reponendum est pro ἰσῳ, & pro ὑπ' αὐτὸν, ὑπ' αὐτὸν. Sed & reliqua sunt ut multa alia (& λόλπον nihil hîc facit) mutila & praua. in fine pro διαῦδαι Budæus legit διᾶδαι. quod probarem, etiam si scriptus errorem admisisset. Locus est miserè mutilus.

IN LIBRVM V.

54. 31. Potiri se putant.) τὰς ὁρμίνας ἴχειν. deest ἐιομένους aut aliquid tale. Sed in his libris hoc emendandi genere uti nolui. Cap. V. Hippo, Hipponax septimo producitur.

apparet alterum esse mendosum.

55. 26. Sursum attracta.) προσπεπλεγμένης. manuscriptus, παρειλκομένης: & in inscriptione capitis sequentis γεγόνωτα pro γίνονται.

57. 5. Tunc superfetationem.) Legitur sanè ἔπι σύλληψιν ἔρχεται. suspicor legendum ἐπισύλληψιν (superfetationem) λήγεται: alioqui nihil hæc ad propositum. Sed nimis multa sunt talia: & aliunde res melius cognoscentur. Quod Stoicis cap. 9. tribuitur, Diocli adscribitur Cap. XIII. Sed omnia annotare nō uacat. ca. 17. Stoicorū sententia est manca Budæus nescio an librum bonū, an uerò secutus sit suū sensum In Cap. XIIX. ἡ βίβλος νυνὶ, nulla sententia. forte ἡ βίβλος τὰ νῦν Sed & reliqua sunt manca.

60. 1. Laboriosè gestato fetu.) Legi hæc τὸ λύημα, ut habet manuscriptus. Locus in nostro erat malè distinctus, et λείμμα legebat, nullo planè sensu, errore facili. paulo antè idem habet Scriptus λαθολικώτερον: quod melius est superlatiuo.

61. 5. Esset densatum.) πυκνωθέισης τῆς φορᾶς. Scriptus τῆς δὲ κατὰ τοῖς ἴσοις τοῖς φορᾶς. Manca sunt hæc omnia, & inconcinnè uidentur in compendium fuisse redacta, & si quis scire uelit sententiam Empedoclis hac super re, multo commodiùs discet ex Simplicij in secundum Physicorum Aristotelis commentarijs, ubi de monstris, & causa finali agitur, & βοῦς ἀνθρώπορα Empedoclea referuntur. Suprà ex Euripede uidentur uersus prolati.

Cap. XX. κατὰ λόσμον. Scriptus λόσμα.

63. 25. Inflexi si remittātur.) κἢ πάλιν σωσθεῖσα ἀνίσχαλασθῆν. Sic & manuscriptus Est aūt hoc quidē monstrū lectionis. Videtur dicere ramos arborum inflexos si relaxentur, rursum in suam sese redigere rectitudinem Quod Budæus ordinem Capitum 23. & 24. inuertit, quem Scriptus quoque habet, id nequa quam ratione caret.

64. 8. Vinum vino præstantius.) χρηστικὸν. manuscriptus χρηστικῶν. ego χρηστικὴν.

64. 30. Totum exagitatur.) ἐξ ὅλης λυπεῖται. Scriptus ἐξ ὕλης. Sed in fine codicis hoc ipsum caput repetitum erat, ibiq; ἐξ ὅλης legitur.

IN PARALLELA.

66. 21. Diodorus Siculus.) legitur Διονύσιος, Dionysius. mihi placuit Diodorus, cuius bibliothecæ extat pars. Cynægiri nomē alij aliter scribunt, & nolui curiosus esse. quod Asdrubal rex dicitur, cū dux modò Carthaginiensiū fuerit, non carere mendo suspicarer, nisi historiæ autor is perhiberetur, qui infrà parallelo quarto Annibali etiam diadema tribuit, Græca scilicet fide. Loqui aūt uidetur de Metelli uictoria illa illustri, de Carthaginiensibus in Sicilia parta, de qua Liuius lib. XIX. Plinius 8. 6. & Dionysius Halicarnassensis lib. 2.

67. 32. Postumium.) ποσθύμιον. legendum Ποστούμιον, quod est familiæ Romanæ nomen, & φέρνας, non φορνοῦντας. Deinde ubi est Μάϊος, Guarinus C. Marium posuit ego quin φάβιος scribi debeat, non possum dubitare. ut sit Fabius Gurges, quæ uox λαμπάργω respondet. Græcos aūt Latina nomina malè tractasse, nemo ignorat, & de hoc libello scio quid sentiam: non impedio quin alij aliud.

68. 20. Ad Celænas.) Κιλαινὸν, alij Κιλαινὰς uocant, quod sciam, omnes.

69. 16. Conatus.) καλόριος Κονάτος. Guarinus Torquatum habet, an ex libro, an è coniectura? nam Conatum quidem Valeriæ gentis cognomen, quod sciam, nullibi est. de Metio Sufetio uide à Sigonio annotata in librum Liuij primum.

70. 15. Fabula de Icario.) Guarinus hîc particulam de Meleagro habet, & alia quædam tria capitula ante Pausaniæ historiam, ut appareat alio eum esse codice usum. Cæterùm huic capitulo nullum ab altera parte respondet, uidenturq; duæ narrationes de Saturno & Iano, Erigona & Entoria in unum confusæ.

71. 14. In Italicis.) Κλεοτ. ἐν Ἰταλ. Guarinus legit ἐν-νάτῃ aut ἐννάτῳ, libro nono, idq; puto rectum esse. Post in Cap. de Bruto, οἱ δὲ τρισὶ. ex historia apparet, οἱ δὲ βρότῃ ὑοὶ fuisse scriptum. Sed illa ἐμπεσόντων, &c. mutilata sunt. Sicut & hoc suspectum quod Italica Theotimi octauo parallelo, Theophili tertio supra decimum citantur, eiusdem fortasse autoris. Sic Menyllus & Meryllus 14. & 26. parallelis. An parallelo decimoquarto pro Lamusio (quod ubi fuerit, dicat qui scit.) Lanuuium sit legendum, cogitandum propono. Quod autem parallelo uigesimo μάριος pro μανίου sit legendum, ex Clementis Alexandrini προτρεπτικῷ constat, qui quidem eundem autorem & librum citat. Sequenti parallelo 75. 21. uocatur Parthenius poëta, nihil disputo. Sed certè pro ὁ ποιητὴς, lego ὁ ἐρωτικοῖς. Nam in Parthenij eroticis, capite decimo, leges hanc historiam.

76. 23. In Massylos.) Μισσύλας. in Massylos: Guarinus. ἐς μασσύλας.

77. 18. Mars ex Althæa.) Ἄρης Ἀλθάιας. hæc sunt quæ suprà posuisse Guarinum dixi. Præcedit autem asteriscus. nam illud capitulum est mendosum. Meleagri fabula notior est, quàm ut uel indicandam putem. saltem Ouidium uideris lib. μεταμορφ. VIII. Mox ἐν αὐτῷ. sic corrige ἐν ἑαυτῷ. Narratio est inuoluta ob deprauationes.

77. 32. Menylus.) μένυλος. Suprà ibi. μοσύλλος quidam scriptor citatur, an idem?

77. 34. Noctuq; fugit.) κοὶ νυκτὸς ἔφυγεν. Ante hæc uerba omnino aliquid excidit. Ego non dubito, quin hoc dixerit, Telamonem cum in Eubœam uenisset, cum Peribœa (eam enim Aiacis matrem Apollodorus lib. 3. bibliothecæ, aliiq; perhibent) clanculum rem habuisse. quam pater ab aliquo ciuium uitiatam putârit, parallelo 29. in Ἀρίστῳ Ἀριστώνυμος, quis non omitteret uocem priorem?

80. 17. Iulius Proculus.) αἴτιος δὲ Πρόκλος. Aëtium habet Guarinus. Historia nota est de Iulij Proculi hoc indicio, exagitata

agitata etiam Senecæ lusu. Sed fortasis αὐτίος scriptum fuit. Obuius, occurrens. Nomina Latinorum hoc in opusculo pleraque sunt monstrosa, ut Cap. 28. 29. 34. &c. neque uolumenda manifesta persequi, ut Cap. 35. σωασαμένη τὸ ξίφος. Vbi legendum uidetur σωασαμένῳ. sententia per se aperta.

84. 16. Apharei F.) Ἴδας ὁ Ἀφάρητος. notum est esse legendum Ἀφάρεως. Sed præstat te ex Poëtis & Grammaticis Græcis fabulam Idæ repetere & Marpissæ. est enim non ignobilis.

IN COMPENDIVM DE ABSVRdis Stoicorum opinionibus.

86. 27. Opinionum vacuus.) κοὶ ἄδοξος. Manuscriptus ἀδοξότατος: uacuissimus (ut ita dicam) opinionum. non enim hîc inglorium, sed opinione carentem & falli nescium ἄδοξος significat, quales suos sapientes finxisse Stoicam nationem notum est. σὺξαι ἔτι β. π. σ. γχρήσιται. Videtur senarius, & puto me alicubi legisse.

87. 23. Tremórque.) βαμβακύζω. Apud Eustath. in Iliadis l. 375. citatur hæc uox ex Rhetorico lexico, & scribitur βαμβαλίζω. apud Hesychium βαμβαλύζω. Prior senarius est etiam infrà in lib. de communibus noticijs.

IN LIBELLVM DE monarchia.

87. 32. Non per somnium.) ὔναρ ἢ ἐναρ. non dubito, quin pro ἤ sit reponendum ἀν. alludit enim ad Homericum illud Odyss. τ. 546.

Οὐκ ἔναρ, ἀλλ' ὕπαρ ἠδὲ ἰδέσθαι.——

quod non sensit interpres. pro Διαιρῶν legendum διαρῶν, aut fortè aliquid aliud. neq; enim satis omnia cohærent.

88. 8. Quæ reip. forma.) Quod est in Græco, ἐντὸς, non quadrat. sequentia docent legendum esse ὅτις, aut aliquid tale.

ibid. 34. Denicq; politæa.) πολὶ πανία. pro πολὶ est

legendum παρὰ, μετὰ, aut ὑπὲρ.

89. 26. Triquetris.) καὶ φίγωνα. Scriptum erat βαρβίτῳ καὶ φίβωνα in nostro: in Aldino erat βαρβίτου. Sed compendij notam noster (ut sæpe) seu ω acceperat. Est autem Græcum ὁ βάρβιτος. uide Grammaticos. φίβωνα etiam Aldus habet, quod instrumentum musicum nullum est: & decepit interpretem. ego non iam ex coniectura locum, quod poteram, sed ipso è Platone, qui citatur correxi. Locus est pagina tertia libri de Repub. tertij. φιγώνων αὖ καὶ πηκτίδων καὶ παντέλως καὶ παντῶν ὀργάνων ὅσα πολύχορδα καὶ πολυαρμόνια, δημιουργὸς ἂν ὑφίστοιμεν. Versum Aeschyli in fine restitui ex Plutarchi Demetrio & ratione. Suspicari licet ἐφύσας significare inflauisti, à uerbo φυσάω. ut sit honesta translatio, pro extuliſti. Sed ista mitto.

IN GRYLLVM.

90. 25. Tuo beneficio.) ἀ χαρίτι σῦ. deerat σῦ, & legebatur ἑτέρου. emendatio secundum coniecturam debetur libro scripto. infrà ἀλλ' ἵνα τούτων. lege τοῦτον.

93. 24. Nuda cum virium fiducia.) Scriptus rectè habet γυμνοῦ τι τὸ θαρρεῖν, impressi γυμνῶται τῷ θαρ. quod nullam efficit sententiam. idem annotatum habet in margine τὼ ἄμωσαν. ex eodem, & ratione ἀπόλητα pro ἀπόλυται legimus.

94. 2. Timiditatis affinem.) Legi enim τὼ τῆς δειλίας ὑπώνυμον δηλέαν. In nostro aberat δηλέαν: in scripto δειλίας legebatur pro δειλίας, & deerat substantiuum, ad quod ὑπώνυμον pertineret. Itaq; non dubito, quin locum rectè integrauerim. Vocat autem δηλέαν δειλίας ὑπώνυμον, quia leuiter admodum υ & ει, itemq; ει & ι differunt litteris. ὑποπτεύματα Græca uox est, eamq; codex scriptus agnouit, & Aldus. Mox legebatur δηλονότι, ὑφὲν: magno sententiæ detrimento. cum sit concluſio argumenti: & scriptus hîc quoq; rectè, ut & alia quædam quæ agnouimus. Scripſi etiam ἀρομυνίαν unico μ, altera sub-

ſublato, codicem noſtrũ ſequens, & Latini poëtæ uersus memor:

Quódq; ſuam ſecurus arat Cromyona colonus.

94. 18. In Phicio.) πρὸς τὸ φίκιον. In scripto est φίκιον, Phiccium. Aldus & noster φύλειον. Sed non dubito quin nostra sit melior scriptura. Stephanus certè Bœotiæ montem φίλειον & φίκιον (ait enim ut unque scribi) refert. Sed & Zeza in Lycophronem proximè initium φίλειον ὄρος nominat. Io. Regius interpres legit φίλειον. ut apparet. habet enim Phicenm. Iam quod ego scripſi τοὐμησίαν ἀλωπεκᾶ, habebat liber noſter τιλμισίαν. codex scriptus per ε habebat, τιλμισίαν. Cæterùm ego Pauſaniæ Bœoticis & Stephani etiam ſuffragio litterario fretus, uocem correxi. Fit huius uulpis etiam mentio in fine Metamorphoſeon Antonini Liberalis noſtrarum.

102. 32. Siſypho genitum fuiſſe.) *) ἐκ τοῦ Σισύφου. ἐκ non habet ſcriptus. Notum est Vliſſem creditum Siſypho fuiſſe satũ & apud Ouid. Aiax ei in certamine de armis hoc exprobrat,

——quid ſanguine natus
Siſyphio, furtiſq; & fraude ſimillimus illi?

Cæterùm uersu huius paginæ quinto & mendum est ad φῶντας, &, ut eruditis puto constare, mutilatus non paucis uersibus locus. Sed & liber fine atque etiam niſi erro, maiore ſui parte curtatus est. Sub finem λοιπὸν ὅμηρον quin ſit uitiosum, neſcio an fas ſit dubitare. niſi quis hoc adfirmet, inter tam multas urbes etiam Corinthum Homero fuiſſe patriam adſignatam. ego ἐμὴν legerem: aut Ὁ μηδὲν. nam accipio de Glauco, qui cum Diomede arma plus ſatis ſtolidè permutauit. Iliad ſ. 152: quem Corinthium dici non est abſurdum, qui non credit, locum totum perpendat, & Dionis uitæ à Plutarcho ſcriptæ initium legat.

IN LIB. NE VIVI QVIDEM POSSE ſuauiter ſecundùm Epicuri decreta.

103. 20. Fraudem imperitis facere.) rectiùs, in fraudem imperitos inducere. Ἀπεργάζεται τοὺς ἀπείρους. Vide ne legen-

dum sit παραπρίσθαι, quæ uox fallere significat & decipere, quod isti uerborum captatores solent, itaq; in fraudem illicere: non amoliri. quod (nimirum) sonat ἀπωπρίσθαι. tametsi & hoc potest utcunq; tolerari. Ferronus: ab instituto reuocari. nescio quid secutus.

104. 8. Rependit mercedem.) ἀποτίνει legendum. Sic enim loquimur, non ἀποτάνει. Videtur autem hoc dicere, Epicurum & Metrodorum ab Heraclide malè acceptos fuisse, iniurias Homero & alijs poëtis factas ab ijs ulciscente. Nam alibi monuimus, poëtarum fuisse contemtores Epicureos Sed illa præcedentia φθόνος γὰρ, &c. sunt mutilata & deprauata.

Νεῦ αὖτι σέθεν ἄλλον.) alludit ad Odyss. χ. 6. & paulò post ad Phæacum professionem. Odyss. θ. 246.

105. 4. Suaui vita depellere.) Paulo antè duo hæc ἐπῳδὴ & χρέα χρήσομαι ostendunt deprauatum esse locum, & personam excidisse. Cæterùm pro ἐξιτάσαι repono audacter ἐξιλάσαι. Nam (nisi admodum cæcutio) hoc sibi uult Aristodemus, nimis esse audacem conatum rectà suauem uitam uelle eripere, eáq; depellere eos, qui in uoluptate finem bonorum collocent. debuisse potius per cuniculos tentari, ostendiq; primùm eos honestè non uiuere: ita alterum huius futurum consequens.

ibid. 36. Dolori * neque.) ποδὸς λαβεῖν ἀλγηδόν. uerba hæc mendosa aut manca sunt, aut utrunq;. hoc dicere uoluit, dolorem non uni tantùm particulæ corporis, ut pedi Philoctetæ, leuiter insidere: sed altè radices agere. Nota est Philoctetæ historia, ac (ut apparet) ad Aeschylos uersus aliquos respicitur. De medicæ herbæ semine Plinius lib. 18. cap. 16.

107. 1. Finem bonorum in animum.) μεταφέρει τὸ τέλος. Hæc quoq; uerba non sunt integra. τὸ τέλος si scripsit Plutarchus, cõcisè dixit, eos partem uoluptatis meliorem (est enim ἡδονὴ τέλος, si ipsis credas, ut suspicer τὸ τέλος esse legendum) in animam transferre. Pro ἐκεῖνο ὑμᾶς, ausim ferè sponsione certare scriptum ab autore esse, ὡς ἀπὸ νομὰς: & pro ἔξουσας, ἀξιοῦσας.

Allu-

Alludit autem ad Telemachi uerba, equum à Menelao sibi dono datum recusantis, quòd Ithaca pratis & pascuis careret, neque equis esset idonea. Odyss. δ. 601. & ex eo Horatius ad Mæcenatem epist. 7. lib. 1. mox, κατὰ φύσιν ἔτι κρεῖττον, lege κατὰ φύσιν, εἴ τι κρεῖττον. Paucis pòst uersibus ἡδεῖαι σιμνότεραί τε. fortè ὥστε. nam ἥδεται ita potest stare, ut ineptissima sit uocum ac manca connexio. Sed pro χρένῳ διαλυόμενα restituere χρένες διαχυόμενα non dubitauerim. Quis enim nescit uina diffundi, & tempore meliora fieri, χρένι σωκλύοντος, & illam sacris etiam litteris memoratam χρηστότητα conciliante?

108. 4. Eluuiem quasi quandam.) ἐκκλύσματα. Sic & Aldus: non, ut noster, ἐκκλήσματα. quæ uox, puto, nihil significat. Quæ sequuntur, obscura sunt. ἐμμένει pro infinitiuo ἐμμένειν legendum, ut respõderet τῷ ὑπολείπεται. restitui etiam νοικκαυμα, quod ipsum quoq; Aldus habet. 108. 23. Carneadem subsannat.) Κορνιάδλω. Quis Corniades iste fuerit, nondum comperi. nisi fortasse sic mendosè legitur, ut is Carneades sit, ad quẽ se relicto Epicuro Metrodorus Stratoniceus cõtulit, ut scribit Diogenes. id quidem secutus in uertendo sum, ut probabile. Quod aũt paulo pòst σὺν ἀθείαν, mox σὺν ἀθῆαν legitur: quanquã hoc utrunq; habere locum potest, mallem tamen unam esse uocem, eamq; σὺν ἄθειαν. Nam Metrodorus summum bonum firma corporis affectione, huiusq; definiuit explorata spe, ut Tullius aliquoties ostendit. & ut malim, accedit quod mox σὺν ἄθειαν rursus apertè hoc sensu ponitur. Βεβαιοτάτῳ ἔχει τοῖς.) Legendum ἔχειν: non enim hoc ipse affirmat, sed Metrodori sententiam exponit.

109. 10. Iactationibus obnoxia.) ὅσαι φυλάττουσι. uox huic loco parum commoda. malim τινάττουσι, aut ταράττουσι. Agathobulum uidetur dicere, qui Diogeni & Suidæ Aristobulus dicitur, frater Epicuri. eumq; nominat ipse infrà pag. 319. & in lib. de λάθε βιώσας. Aeschyli locus qui adducitur, sanè corruptus erat, ὦ δῖνα τῇ πόλει. Eum ego ex Supplicibus poëtæ correxi.

Occurrit etiam alibi & α'. συμποσ. γ'. Quod autem adiecit Plutarchus περὶ γαλείων, uidetur (si modò nihil deceſsit) in hanc ſententiam dici: Suſpecta etiam tranquillitas eſt prudenti nautæ. Non enim fidit, ſed etiam cum ſudum eſt, tempeſtatem ſubitò ingruere poſſe nouit. Sic Virgilianus ille gubernator, ſe cœli toties deceptum fraude ferem meminerat. V. Aeneid.

110. 9. Tot calamitatibus.) Videri legiſſe nos, τὸ τῆς σαρκὸς ἀπίκρον; hoc & ſenſus requirit, & habet Aldus. Correctior autem iſte ἀπίκρον uel intulit, uel tolerauit ridiculè. Mox. Contuentium.) uitioſè legebatur προσφωνουντες, itaq; legi, idq; reponendum, προσορωμένης. Quod autem in Euripideo uerſu σάρκα pro σαρκί reposui, ex libro πρὸς τοὺς τῶν χριστιανῶν ſeci (ὅτι πιεμένουσιν.) mutila uidentur.

111. 9. Quo ſe Epicurus.) συνεράγειν ὑφ' οἷς Ἐπίκουρος. Neq; cohæret relatiuum cum antecedentibus, & συνεράγειν quid rei ſit, non reperio. neq; loci in mari, aut promontorij nomen eſſe puto itaq; ampliùs Pòſt. 31. Quòd ſibi ita euenerit.) Locus eſt mutilus, & pro τότῳ uel τοιότῳ uel τότε, omnino ſcribendum uit.

112. 11. Finis non eſt fuga mali.) legi, ἵνα φύσει φυγὴ κακῶν τέλος. ſic omnino requirit ſententia. uox φυγὴ abeſt à codice Aldino in noſtro ante κομψοτέροις poſita erat, ſed in ſuum locum reiecta ſententiam condit.

113. 11. Vulgo receptas.) παρὰ τὰς κρατὰς δόξας. κοινὰς lego, receptas uulgo. qualis erat tum de manibus, cerbero &c. & hodie apud multos eſt de ſpectris animarum poſt mortem apparitionibus. & ὅρον ἐχάσας non eſt integrum. μὴ inſerto legit interpres. ſequentia ſunt manca, ibi ἀπίκρος & ἀπὸν, niſi ἀπῶν legas, & parentheſis ſint ea quæ ex Epicuro citantur.

114. 21. Iucundam corporis affectionem.) ἡδὺ σαρκὸς περὶ σαρκὸς. aut abundat ἀπὸ σαρκὸς, aut aliquid detritum eſt de hoc loco. prius uerum puto eſſe. cumq; abbreuiatè ſcriptum eſſet ἡδὺ σαρκὸς, aliquem integra allcuiſſe, & ea recepta ab oſcitante librario fuiſſe.

115. 17.

115. 17. Sola animæ ſentiente.) legendum eſt, ἄπαυτος ὡς τὸν μόνῳ, malè erat hic locus interpunctus, & apud Aldum quoq; νόμῳ legebatur. Non omnino integra uidentur, quæ proximè ſequuntur ac præcedunt, ſed hiulca, ſenſu tamen non obſcurato. ibid. 23. Eheu, mali.) E tyranno ſunt Sophoclei uerſus. Sed paulo pòſt nomine autoris expreſſo alij citantur, qui ſunt deprauatiſſimi.

116. 31. Dioptrica.) Neſcio quî factum eſt, ut dioptica imprimeretur. nam certè uox hæc nihili eſt. Quid ſit dioptra, ne te ad Suidam ablegem, & alios: norunt omnes rerum geometricarum tirones. & ſi hoc titulo librum ſcripſit Euclides, apparet eum ſcripſiſſe geodæſiam, quam uocant practicam geometriam: id eſt, de uſu eorum inſtrumentorum, quibus cùm radij aut emiſſi aut recepti ab oculo certa ſunt ratione per ſua perſpicilla obſeruati, omnis generis dimenſionum ratiocinationes inde certiſſima ſcientia abſoluuntur. Tales ſunt dioptræ quadrantum, aſtrolabiorum, &c. Sin aliter eſt, ἀνωτικὰ aut καταπτικὰ legendum erit. ego διοπτρικὰ malo.

117. 22. Apollodotus.) uitio librarij eſt Apollodorus. cùm in priore editione ſit Apollodotus expreſſius. Cùm enim eſſet in Græco Ἀπολλόδοτος, mutare nolui. indico tamen apud Athenæum libro X. δειπνοσοφ. & Laërtium in Pythagora Ἀπολλόδωρος legi. & Athenæus habet Κλεινὸς, ἀφ' ᾧ κλεινιὰς. Laërtius Κλὴν ἀφ' ὅτου κλεινιὰς. In Græcis epigrammatis κλεαρτὶς habetur. ubi quæ adduntur, ipſe legas conſulo. De triangulo uide 1. 47. Euclid. De corona Vitruuium 9. 3. de parabola, in Conicis. aliquanto poſt περὶ τὸν παράσαν ἀποδεικνύει.) malim, & credo ſcriptum fuiſſe τὸν παράσαν παραβάλλουσι.

120. 15. Sed quæ cara Ioui.) ὅσα δὲ μὴ. uerſus Pindari, ridiculè in βοᾶν πρὸς λοιμὸν ἐκτενῆ deprauati facilè corriguntur ex prima Oda Pythiorum. aliquanto poſt, περὶ συναχθεὶς πρὸς τὸν ἕτερον, ſenſus uidetur βαρύτερον extritum requirere.

123. 3. Ex aſtu in Pœræum.) ἐξ ἄστεος ἐλλὰ σωτῆρα. Sic

est in Græco. Ego ex ipso Plutarcho castigo idem hoc prope finem libri in Colotem referente, ἐξ ἄστεος εἰς πρᾶξιν καθίδυ.

124. 16. Consilijs nostris.) Tria sunt oracula, alibi etiam relata, in Epaminondam, Marcellum, & Lycurgum.

126. 20. Vt ea vsus.) ὥστε χρησάμενον sensus requirit, non χρησόμενον. & pro τῶν λαλῶ πρᾶξιν, credo τινὰ λαλῶ πρᾶξιν esse scribendum. In superioribus multa sunt uitiata, ut ἄμωλον, χαρᾶς. Et ὃ γὰρ τι φαῦλον ἡ τύχη, quid hic fortunæ? ψυχὴ legerim. locus uidetur mutilatus. Sed omnia persequi non placet. Versus autem καὶ μήτι παύσω paulò antè positus, non est ex eodem petitus loco, quo prior. puto esse Herculis uerba. mox ἀλλὰ καὶ ἔτι μίγα, lego ἔτι pro ἐπὶ.

126. 25. Liberare Athenas.) scribendum Θήβας, ex historia, Thebas. Ἀθήνας liquidò falsum est. Plutarchus in Pelopida, & de genio Socratis, uexauit quidem Atheniensis quoq; semityrannus Archias Antipatri crudelitatis administer, de quo idem in Demosthene: sed non puto eum huc pertinere. Porrò suspectus est mihi (neq;, puto, iniuria) locus iste: ἀλλὰ καὶ ἔτι μίγα. Vesciuntur Cerere.) alludit ad Iliad. ε. 341. inuerso sensu.

129. 3. Omnes res negligere.) ὅλως ὅτι lego, non ὅλως τι. compendium librarius non fuit assecutus. Paulò post ἀνιᾶσθαι, legi κνιᾶσθαι. 129. 36. Hyrcanos aut Scythas.) πρὸς Ὑρκανοὺς ἰχθῦς. Hyrcanos pisces non bene concoquo. neque mihi ueri simile fit, hæc de salsamentis Caspijs mentionem iniici. pro ἰχθῦς scriptum fuisse suspicor ᾗ σκύθας, aut aliquid tale.

130. 14. Ego autem contrà dico.) καὶ λέγω μιμήμενος. Hoc μίμημενος stare uix potest, cum statim contra Epicuri sententiam disputet, neq; eius uerbis loquatur. Et paulò antè μὴ διαλιπαίνειν, μὴ sententiæ refragatur. pro λοιπὸν autem λοιπὸν quin sit scribendum, ne dubitandum quidem duco: & pro ὕπνῳ, ὕ. Nam ὑ τοῦτο fecisse arbitror, ut prior syllaba repeteretur, affini π pro τ assumta. mox ἃ δὲ τοῦτο ἀδύνατον. mallem δυνατὸν. reliqua è uersione nostra potest intelligi ut putârim legenda.

131. 21.

131. 21. Scripsit in amatorijs poëta.) ἐν τοῖς ὀρωτικοῖς ὡς. puto scribendum fuisse, ὡς ἐν τοῖς ὀρωτικοῖς. Neq; enim hoc uult scilicet, ad rem ueneream omnes excitari sacrificijs. Sed sicut res uenerea etiam senum animos recreat: ita quosuis homines sacrificijs animari. γρῦς dissolue, metri causa. Pro ἀλικρὶς lege ἀλιτρὶς, qua uoce molitricem significari, uel ex Homero patet, Odyss. υ. 105.

ἀνίμλω δ' ἐξ οἴκοιο γυνὴ πορόυσαν ἀλιτρὶς.

Vide Eustathium ibi, & in Odyss. ω. ad uersum 104. in sequentibus, ὥσπερ ἰσχὺν λοχῆς. & αὖ τῷ, suspecta. fortè ἰσχῶν. Et illud αὐθρᾶον, quo hostiam significat, prauum est uideri potest, ἀχρεῖον ab autore fuisse scriptum. Videtur locus è poëta aliquo sumtus. & θεοὶ pro θεοῖς legendum. & ante ἕτεροι πράττουσι, aliquid deest & πρὸ θεῶν λέξις σωθοῦσι, uitiosum.

133. 12. Magnus in cœlo Iupiter.) Ζεὺς πίλωσι ἄρμα ἐλαύνων. hæc uerba post Πίνδαρος demum inserta erant, librarij errore. locus nobilis est, & ex Phædro Platonis à Iustino Martyre alijsq; adducitur. extatq; pagina eius libri quarta. Pindaricus autem est Apollo ille δυσπλοῖς ἀγανώτατος, etiam supra in libro de oraculis desitis. mox διαφιλῶ μὴ εἶναι.) sententiam secutus μὴ adijcies. paulò infrà. καὶ τῶν ἄλλων ὅτως ἰσχύσων.) nescio an ἴσχειν Græcis sit arbitrari. fortè ὅτως ἴσχειν νομιζόντων. Sed tamē paulo post iterū est, οἱ δὲ ἄλλως ἰσχύοντες, aliter cēsentes in Hermogenis de Dijs sententia. ubi pro ὕλιστον κωλύουσι, mallē πολέσσιν. etsi sic legitur rursus 321. ad ultimum trientem paginæ. Porrò ista, λαῖλοι νιὸς μὲν ἐκπιστὸν, uidentur Iambici senarij esse, leuiter mutati. & hexameter est, Odyss. ε. 410.

ἐκβασις ὅπῃ φάανθ' ἁλὸς πολιοῖο βύρασι.

pro ὑμᾶς lego ὑμᾶς.

νεκυομαντεύεσθαι τὸ λόγιον.) quod nam? In Empedocleo mallem διέπορ ὁ λὸ, quàm παρ'. mox ὃ γὰρ αὐτὸν, lego καὶ γὰρ αὐτὸν ex sententia. Sed sunt plura quæ uitiosa appareat esse, præsertim sub finem huius libri, quàm ut annotare omnia libeat.

137. 28.

137. 28. Dolium Danaidum.) εἰς τὸν ἄῤῥυτον. uidetur ad dolium Danaës alludere, ad inane (inquam) illud lymphæ dolium fundo pereuntis imo: in quod aquam tamen ingerere quàm planè ipsi in nihilum redigi homines mallent. Ergo si rectè legitur, α hîc ponitur ut in ἄξυλος. Suprà simile de hoc ipso dolio mendum castigare memini: nisi ellipsin dicere est ciuilius.

139. 7. Intrantem firmo.) Locus est Homeri Iliad. ι. 515. Post medium paginæ τοῖς δὲ λαικῶς πράσσοι, καλῶς nisi legas, nullus erit sensus. & in fine paginæ βαπτομένους, non βλαπτομένους scribe. Libri finis an non desit, considerandum.

IN LIBRVM DE DICTO Λάθε βιώσας.

142. 16. Emungere.) Ἐνανωμύττεσθαι. scriptus ἐναμύττεσθαι. & Ἐφύσιξος pro Ἐφέσιος. Sed malè. Qui autem hic Philoxenus Ἐφύσιος dicitur, is apud Athenæum, in scripto Comitis Erbacensis codice elegantissimo eodem modo legitur, cùm impressi habeant αὐφύξιος. Apud Aristotelem lib. 3. moral. Eudem. ἐξύσιος legitur. Suidas Leucadium facit.

ibid. 37. Et fatuo.) καὶ αὐτῷ. scriptus καὶ ἀγνώμονι. idem λάθῃ καὶ φρενιτίσῃ & ἀγνοήμων σιὼ. quod restitue, ut perspicuè genuinum pro ὅς πω.

143. 15. Consideratis.) ἐπισκοποῦντα. scriptus ἀποσκ. non placet. mox. Si verò bonis.) Idem ἢ μὲν ἔγε, quod pro ἔστι debet reponi, & ex eodem τὸν ἀπ' Αἰγύπτης. sic enim sermo Græcus etiam requirit, non τοῖς. atque ita libello sequenti συνοφαύτας ξυνολογεῖν dixit.

ibid. 34. Sin è vita.) ἃ δὲ ἐκ τοῦ. Scriptus τί δὲ. & πρὸς ὀδυνᾶν, ἐξοδυνᾶν. neutra lectio satis integra. & pro ταῦτα δέ ταὶ habet ταῦτα δὴ, quod probo, ut utrunq; comma uerbi ἐλλειψιν habeat.

144. 23. Namque æris instar.) In Sophocleo hoc χρέμασιν & διαρκέσας & ὕμνοι est in manuscripto. ab eodem abest αὖ σίγει. Confusa autem sunt hæc, neque satis tutum esset coniectari, loco tantopere mutilato, nisi in libello de gerenda rep. integri e starent uersus.

λάμπει γὰρ ἐν χρέμασιν ὥστορ σύριπτὸς
χαλκὸς χρόνῳ δ' ἀχνῦσαν ὕμνοι σίγει.

Hesychius σύγχυτος est pro σύριπτος, atque illud malo. Legendum autem est ὕμνοις ἃ μένει (hoc in ὑμνοις deprauatum fuisse è sensus cohærentia & uestigiorum similitudine apparet) σίγει, ὡς φησὶν Σοφοκλῆς ἀλλά, &c. Quo tempore hunc libellum uerti, deprauatus locus mihi imposuit, cùm in mentem non ueniret illius integrioris. Itaq; sic lege hunc locum in mea uersione, tametsi uel sic Erasmianæ nihil concedentem.

Generosum enim æs crebris splendescit usibus:
Cùm non exculta tempore labascat domus,

ut ait Sophocles. & quod de domo hic ait ita etiam in ocio, &c. Scriptus pro πρισκιάζεσθαι habet, quod etiam malim, παρασκιάζεσθαι pro νωθρευομένων habet scriptus ἐν, quod est ἀπλινώτερον. 145. 2. Abegit.) ἀπωτοίησεν, quod & à metro (esse enim uersum heroicum liquet) & ab usu sermonis Græci est alienum. scriptus habet ἀπωτοίηκεν. ego ἀπωτάσοίηκεν aut σεν legendum non dubitaui, quod est abigere terrendo. Homerus Odyss. χ. 298.

— τῶν δὲ φρένες ἐπτοίηθεν.

Et ibi Eustathius pro τὰς πράξεις, in scripto est τὰς πράσεις, quod nolui sequi. In eodem est πλὼ ὀρλὼ & ἀρτύματα. Videtur hoc dictum Democriti eius affine esse, dormentes quenq; in peculiarem abire mundum, expergefactos in communem redire. quod alibi noster retulit τρέφονται lege pro ῥίφονται.

145. 25. Vt nihil aliud.) ὥστε μηδὲ ἄλλο τι scriptus, ἄστε μὴ δ' ἄλλων τινὶ & supra δίλεαν annotatur, γρ. χάρεαν. ex eodem κοινὸν ὄλυσμα legi pro καινὸν.

146. 8. His apud inferos.) τοῖσι λάμπει μίνοις.

Pindarica hæc sunt, suprà in consolatione ad Apollonium propè finem aliter paulò leguntur.

ibid. 30. Neque reliquiæ sunt.) ἀλλ' ὄγιν rectè scriptus, non ἀλλιν. Versus hexameter est de Necyia Homeri Odyss. λ'. 218. quod non animaduertit interpres. ἀνίστυποι etiam optimè habet scriptus. Idem habet καταπονίσει & πᾶσαν τι.

IN LIBELLVM, VTRVM VITIOsitas miserum sola possit efficere.

Hic siue libellus siue fragmentum initio caret. uersus Euripidis uidetur esse de aliquo, qui bene dotata uxore ducta, se & libertatem uendiderit, πεπραμένον τὸ σῶμα τῆς φρενὸς ἔχων, iambicus fuerit senarius. Scriptus post βραχία addit δι'. ut appareat fuisse institutam comparationem inter talem maritum, & eum qui errore opinionis opes uitiosus quibuscunq; rationibus consectatur, quem illo multis modis miseriorem iudicet. Quod autem de Sicyonio illo infertur, ad Echepolum pertinet. Vide Homerum Iliad. ψ uersu 295. equorum altor lege, non equos alens.

147. 21. Vltrò.) δι' αὐτῶν fortè δι' αὐτῶν. scriptus δι' ἀυτὸν. ut uideatur ad πλῆθον referri. pro πόρνης legendum πόρνης duxi. Est & cui laniata.) Protesilao confer. uersus est Iliad. β. 700.

148. 19. Proposito scripto.) legendum προυπρίσαντι, non προσυπρ. scriptus, & ratio, ut προγράφειν. Mox πάντας πρατηρύσσων. scriptus παρατηρύσσων, non probo.

149. 11. Exstructo rogo.) Legebatur τραπεζοποιῶν ἐν μέσῳ πυρανυήσας, quæ uox quin sit prauа, quis non uideat? nã ut πυρανεῖν sit legionibus imperare, doceri posse non arbitror: quod interpres finxit. Legendum est autem πυρὰν νήσας uel νήσας. à uerbo νέω (quo etiam Xenophon est usus) uel νάω, quorum utroq; Homerus & alij utuntur, & significat congero, construo. Ita uestigia ipsa secutus fœdum mendum licet tollas. Obseruandum est autem, in huius historiæ narratione à Liuio, qui copiosè eam lib. 8. recitat, et alijs discrepare autorem libelli huius: secutum,

secutum. ut arbitror Græcos scriptores, qui ut cum Latinis consentiant, uel ex parallelis, ubi hoc ipsum in bello contra Albanos factum dicitur, animaduerti potest. Is ergo, quem secutus est noster, tradidit Decium se pro imperio patriæ Saturno deuouisse, uiuumq; in ignem conieciisse: id sic esse, hæc contra fortunã flammas minantem disputatio, & exempla demonstrant ita, ut nihil sentiat, qui hoc non sentit. Non ergò audacter, sed liberè πυρὰν νήσας restitues. nota est litterarum π & τ affinitas. & oscitans librarius duabus uocibus in unam conflatis, ac π in τ mutato, maculam loco illeuit. Cæterum Saturnium non superorum, sed inferorum deum habitum, Plutarchus docet quæst. Rom. XXXIV: eidemq; fuisse superstitione quadam homines immolatos, constat. & Eusebius extremo libro primo προπαρασκ. εὐαγγελ. de Saturno filium immolante ob patriæ salutem, è Sanchuniatone Pœno refert. Et libro eiusdem operis IV. de hominibus Saturno immolatis, Porphyrium aliosq; testes citat, præcipuè Diodorum lib. XX. Carthaginienses quoq; Saturno filios suos immolasse, uel ex Plutarcho περὶ δεισιδαιμ. notum est & Gelo uictor coëgit eos istum morem mutare. In scripti codicis margine est οἶμαι τυρρ. reliqua amputata sunt. sed quidquid fuit, nihil fuit.

149. 32. Malè educatos.) τοὺς ἀθρέπτους. Scriptus habet ἀθρύπτους, quod huc non quadrat. mox supra ἔυθεα habet annotatam aliam lectionem, ὄρυθεα. Sed Zythum ebur emollire, est apud Dioscoridem. ὄρυθος quid significet, non habeo.

150. 3. Quemadmodum *.) illud πάρεισι quid uerbi est? aut quid rei? cuius loco ego asteriscum signaui. Externum alieno cœtui se admiscentem interpres transtulit. Ego doctiorum hanc opem imploro. Obseruatum certè est, inflammari uulnera ac morbos superuentu eorum qui pedibus iter confecerint, inquit Plinius lib. 25. cap. 2. & rursum. constat aggrauari uulnera introitu eorum, qui unquam fuerint serpentium canis ue dente læsi. 28. 3. In his aliquid non prorsus absimile est. Sed non satisfit mihi.

ibid. 12. Opem? Nequaquam.) χαρίαν; οὐδέν; ἐ:

sic legendum, non πόθεν ἂν scriptus, & ratio διαλογισμῶ. Sub finem pro ἐνὰ τι fortè ἔπεσθαι & pro πειθῶ, πρόθυ

IN LIBELLVM DE AMO-re proli.

SCriptus pro ἔκγονα habet ἔγγονα. quæ uox & infrà ponitur de Leone, etiam in impressis, & sub finem.

159. 9. Contra naturam.) παρὰ φύσιν. Videne sit παρὰ legendum. certè uox παράβασις id uidetur poscere, ipse ipsius sensus. Porrò φαντασίαι & ἐμοὶ legi, eundem secutus, cum quarto casu legerentur in impressis.

151. 17. Sicut iraq; asinum.) λαβόντος ἂν ὄλον. Locus miserè corruptus, sed quæ facilè corrigas ex scripto, quem in uertendo sum secutus. λαβόντος οὖν ὄνον, &c. οὐθεὶς ἂν ὅλον τὸν ὄλον οὕτως ἐν ἀνθρώπῳ κρίνει ὁ αὐτ.

152. 10. Ea prospicit.) προνοεῖ enim habet scriptus, & concinnius est quam πρόνοει.

ibid. 24. Stipatum textum.) πίλημα est in scripto. quanquam quid sit ἐπίλημα? non autem placet. quod idem τρῦφον habet, pro τρυφερὸν. mox πλάσαι pro πιπλάσθαι legendum constructionis ratio monet. περιπλύσασθαι quoq; malo quàm περιπλῦναι scripti.

154. 6. Mercedis ergo.) scriptus: μισθὸς γὰρ ἀνθρώπων. non ἀνθρώπου; quod interpres secutus est. Versus autem sic fuit potiùs uertendus:

Aliquis hominum mercedis ergò amat hominem.

Statim. κατ' ἐπίκερον. locus mutilatus uideri potest. paulò pòst. ociosum aut friuolum.) ῥωπικὸν lege, non ῥοπικὸν. cur id, annotationes in Plutarchi Demosthenem meæ te docere possunt, pro φιλότιμον esse legendum φιλότιχνον, quiuis uideat.

155. 20. Conceptæ subolis.) legi τῷ γενομένῳ, quod habet scriptus, & ipsa ratio uocem γενομένων repudiat. mox λυπηρὸν legendum pro λυπηρὰν arbitror. & statim pro ἀναστροφῆς est ἀναστροφὴν in scripto, quod non displicet. & ex eodem, sensu ita

ita postulante, ἐκπίψαι scribe pro ἐκπίμψαι.

157. 5. Ad hoc paratis.) Versus sunt de Niobes liberûm nutrice, ex Euripide nimirum citantur & 6. Sympos. 6.

ibid. 27. Per tempus.) Eucnum Parium constat elegos scripsisse. & si pro ἰδὴ legas ἤδη, pentameter erit.

158. 6. Impone, sorbe.) ὠδὴ μίλασσαι. corrupti sunt uersiculi scriptus habet ὠδὴν μίλασσαι. Post ἰσχυρὸν λόγῳ, senarius uidetur, & ἀγνοέμενον scriptus habebat, neq; ἀγνοέμενος quadrat. deinde ὑραίων ἀωάρων. ἐπαίρων scriptus. & post λόμᾳ lacunulam. fortè φοινὶς λόμα. Locus est mutilus. Apparet extritam esse disputationem de ijs hominibus, qui suam prolem interfecissent. Obscurum non est, quin huius libelli finis sit detruncatus.

IN LIBRVM DE ISIDE & Osiride.

NIhilò ferè 159. 21. Non sibi propria.) ἰδικῆα λειπ. uidetur sensum absurdum gignere, legi autem, ἀλλωσιν, ἂν ἰδιᾶν λειπόμενος.

160. 22. Cogniturí Ens.) ἂς ἐσόμενον. legi ἐσόμενοι. Voce Ens utendum fuit, nisi obscuritati debui caliginem addere. τὰ μὲν μίλανα.) deest aliquid ideò asteriscum alleui. post uersus τότε ὅταν νόμῳ si deleatur ὅταν, sensus constabit.

163. 23. Dum cæpas caprat.) Δίκτυα ἃ ῥομμύων. Videtur omnino particula negans esse expungenda, ut reijciat fabulam absurdâ autor, quæ Diflyn cæpe captantẽ in aquâ incidisse perhiberet. paulò infrà παρανσομάτων si rectè legitur, ἀλλ' ἐπὶ ἐστ particulæ indefinitæ. fortassis παρανσομάτιον. βαγχέριος.) alijs βάγχοις scribitur, & ipsi nostro Plutarcho in uita Demetrij.

164. 30. Abderita.) Ἀβδηρίτης. Abdera, non Audera, Ἄβδηρα non Αὔδηρα scribendum constat. antiqui autem litteram β sic u pingebant, ut litteræ u non esset absimilis, sicut etiam in pronunciatione paulatim aberratum fuit. Sed hæc aliàs. Fuisse Hecatæum Abderitam ex Strabone & alijs constat, sicq; etiam ab Eusebio citatur lib. προπαρασκ. 8. & alibi.

165. 5. Auditum aiunt.) χοιάφιὸς φησι. lego φασι. aliàs interciderit autoris nomen.

ibid. 24. Cui focus ardens.) καρδία δυμὸν ἰσχάρας. δυμὸν illud uitiosum est. Legendum existimo δυμιατήριον. ac fieri potest ut ἰσχάρας huius, aut hoc ἰσχάρας glossema sit, in ipsum textum culpa librarij insertum. Orus Apollo qui circumfertur, sic scribit. Αἴγυπτον γράφοντες, δυμιατήριον καρδίαν ζωγραφοῦσι, καὶ ὑπάνω καρδίαν. Atqui constat ex Hermetis Trismegisti Asclepio, quem Apuleius transtulit in Latinum sermonem, fol. Aldino 183. b. Aegyptum cœli fuisse imaginem ut mirum minimè sit corde in foco ardente posito utrunq; fuisse repræsentatum.

ibid. 31. In globum redactam.) τίλλουσι δὲ τὸν γόνον ὡς σφαιροειδῆ. Hæc quoque uerba sunt uitiata infrà fol. 352. res utcunque melius explicatur. neque piget alia adscribere, quæ sententiam saltem explanent. Sic ergò Porphyrius περὶ τῆς τῶν ἐμψύχων ἀποχῆς apud Eusebium lib. 3. præparat. Euangelicæ. Καυθαρὸς δὲ ἀμασθὴς μὲν βολιλυχθεὶς ἄν, ἀγυώμων δ' ὑπάρχων τῶν θάνω. Αἰγύπτιοι δὲ ἰσίφθησαν, ὡς ἐπέναι ἡλίῳ ἐμψυχον. Καυθαρὸν γὰρ ὦᾶς ἄρρλω, καὶ ἀφιεὶς τὸν δορὸν ἐν τίλματι, καὶ ποιήσας σφαιροειδῆ, τοῖς ὀπισθίοις αὐτὸν ἀναφορεῖ ποσὶν, ὡς ἥλιον ἐρανὸν, καὶ πορρίσθαν ὑμορῶν ἐκλίχεται σιλωιακλῶ. mox id genus casus.) pro μαθήματα scribe παθήματα. nam hæc quidem planissimè τὰ παθήματα γίγονε μαθήματα. Paulò pòst

166. 4. Accommodant.) ἐωικυῖσιν. Monstrum hoc uocabuli, uestigia tamen ueri retinet, quod est haud dubiè προσοικειοῦσιν. Locus Platonis est prope finem libri secundi de Republica.

ibid. 26. Neque in mense, neque.) μήτε μιᾷ, μήτε ἐν αὐτῷ. Locus hîc corruptus est. quem ex coniectura puto restitui posse. ea quam sit erudita, iudicent alij, aut potiùs explodant eam, meliori emendatione ipsi de suo prolata. Sic ergò intelligo. Solem Reæ ex incesto cum Saturno concubitu grauidæ imprecatum ut neq; in mense, neq; in anno, id est (ut ipse putabat) nunquam pareret. Mercurium tamen astu usum, inter ludendum cum Luna uicisse certas dierum portiones: quibus à Luna persolutis, quinque dies confecerit, quos anno extra ordinem adderet, ita ut puerperium Reæ in eos dilatum neq; in annum, qui erat 360. dierum, neq; in menses, qui extra annum nullibi ulli erant, incideret: itaq; exsecrationem solis eluserit. Hæc si non pessimè conieci, sic fuisse à Plutarcho scriptum credibile est. Μήτε μιᾷ, μήτ' ἐνιαυτῷ τινὶ. fortè etiam ἐν inserto. μήτ' ἐν μιᾷ, μήτ' ἐν ἐνιαυτῷ. ὁμόρας τῶνδε συνελθᾶν, uellem συνελθᾶν, concinnare, in summam contrahere.

176. 2. Itaque & hanc.) ἐγχειρήσαντος αὐτῷ. hæc duo αὐτῷ puto in fœmininum αὐτῇ mutanda, si quidem Pamyla mulier fuit ὑλαρυομένη.

ibid. 15. Nephthyn Typhoni nupsisse.) τιμᾶσθαι δὲ τῷ τυφῶνι. fortè γήμασθαι, ut mox ostendam. ἐν παναγρεῖ antè, intellexi Panygra loci esse nomen. Infrà νίφλυς per v constanter scribitur. itaq; hîc quoq; sic scripsi.

168. 15. Cira Chennin.) Χέννιν. fortè χεμμιν Chemmin, qui locus est Aegypti celebris. Versu præcedente ἰκᾶνο pro ἰκάνε omnino legendum fuit. Κοπῶν à Strabone & alijs Κοπτὸς scribitur, infrà 346. est ἐν Κοπτῷ.

ibid. 35. Mater exponerat.) ἐκθέναι restituo ex coniectura, cum inuenerim ἰκᾶνον, parenthesi ijs ineluctis, quæ parerat. Sensus enim est, Osiridem cum Nephtha seu Nephthy sorore concubuisse, eamq; infantem ex eo coitu conceptum statim à partu exposuisse, metu Typhonis. quẽ eius, ut Isidis Osiridẽ: maritum fuisse, & coniecturâ de τιμᾶσθαι, quod nihil sonat, eo loco in γήμασθαι cõuertendo nostrã esse probã, ex hoc loco aparère potuit.

169. 37. Ederet auram.) ἐκθρίψαντος. ex Aldo. est enim rectius, quam ἐκτρίψαι τὸν. Idem pro Astarta habet Aspartam utiosè. quod ex Eusebio, Suida, & alijs, nostroq; Cedreno liquet. ne quis uocem in libris Regum sacris depraua tam putet. est enim. Astarta Venus. Paucis pòst uersibus ὡς ἔφητα πρόπον:

aut ὗν pro ὡς, aut πρότερον pro ῥᾴδιον, legendum. Sed quod postea sequitur διάλυσον, &c. παρέαν, ac plura alia, uitio suo nostram coniecturam superant.

172. 1. Harpocratem nomine.) Ἁρποκράτλω. scribendum esse Harpocratem adspiratè, constat plurimorum scriptorum testimonijs. quæ cum in commentario Giraldiano de Dijs gentium accuratissimo iuxtà atq; utilissimo congesta sint, & absq; eo sint, res ipsa hoc commõstrare uideatur, infrà q; rectè sit scriptum: hoc tamen obiter annotandum duxi, sicut hæc uox perperam læui initio, ita ἡλιτόμενον etiam in Aldino aspero malè scriptum esse. Giraldus Helitomenum quendam Harpocratis fratrem commentus est: errore (quod non exprobrandi, sed me longè inferiorẽ excusandi, ubi talia admisi, gratia relatũ intelligi uolo) in tantum uirum quem cadere posse nunquam nisi exemplo doctus crederem. Politianus epigrãma Lucilij in malum medicum, ubi Amphicrates pro Harpocrate legitur, & extat etiannũ uox prauа lib. 2. ἀνθολογ. rectè hinc emendauit, quod ab eo non expressum, fideliter annotauit Brodæus: idem Politianus ἡλιτόμενον appositè uertit, præmaturo partu natum Miscell. 83. Nos quoq; pueri istorum omnium nescij, tamen haud inceptè eam uocem in Thryphiodora nostro conuertimus. 544. Nec dum perfectam prolem: ἔτυμον secuti, quod apud Eustathium multo pòst tempore offendimus in Iliad. τ. Est enim ἡλιτόμενος, ὅστις ἥλιτε, id est, ἀνώτυχις καὶ ἄμαρτε τῶν σωφρόνων τὸ πονηρὸν ἐννέα μησῶν. Sed hæc in re plana abundè. Sequitur post hæc uerba hyperbaton mirificum, & quod distingui, ita ut fieret perspicuum, diffidebam posse.

ibidem 25. Cellulis similia.) ὑβάδεις κοιτῶνα. ὑβάδεις non puto esse integrum. φολιδώτια quidem cellulas accipio, aut sacella, imagunculis alijs ue id genus rebus consecratis in operto abstruendis facta. fortè δύμακας scriptum ab autore, aut δηλάνοις, aut δηναρεῖς, quales erant apud Delphos.

ibid. 37. Exiguam quoq; insulam.) πλὼ δὲ πρὸς πύλαις νησίδα, πλὼ. Corrector ita, cum in Aldino sit, τ. δ. π. βιστ-

βιστάλω, nescio an nimis audaciter. Certè πλὼ illud hac ratione abundauerit. Sed & quid plantæ sit μυλίδη, non facilè credo inuenias. itaq; hîc etiam amplius.

173. 24. Ortus exlortem.) Κνὼφ ἀγέννητον ὄντα legendum est cum confusè legatur ἐκνηφαγέννητον. Κνὼφ uocatum fuisse ab Aegyptijs Deum, quem opificem putarent, extat locus citatus ex Plutarcho (nisi fallor) apud Eusebium προπαρ. lib. γ. fol. 69. antè pro γραφὰς legi ἱερφάς.

ibid. 34. Alterum cubitorum.) γαλιάγκωνα. Apud Euseb. hæc uerba perstringentem est γαλιάγκωνα Apud Galenum etiam, qui in Hippocr. glossematis uocem hanc reponit, legitur ut nos habemus, quanquam παρὰ τὸ γαλὸν deducat. Eadem scriptura est in Hesychij lexico, & Varini Cogitam aliquãdo βαλιάγκωνα scribendũ esse, ut sit uariegato seu uersicolore cubito insignis sic enim epitheta omnia hæc consimilia uidebantur fore. et cũ Pythagoras atq; Homerus femore, hic piloso, ille aureo, Pelops humero eburno esset notus, uidebatur id quoq; non absurdum. Sed Lexicis inspectis, acquieui somnio duntaxat meo indicato. In libello de curiositate, γαλιαγκὼν legitur.

174. In Panchæa.) Legitur πάγχοστι & αὐαγιγραμμένοις, & τεφύλλης. emendo Παγχάια, αὐαγιγραμμένων, Παγχαίων, τεφυλίης mea emendatio, siquidem nulla uocabula detrita sunt, est legitima. Apud Euseb. προπαρασκ. σύναγγ. libro secundo, citatur locus è sexto bibliothecæ Diodori, qui eã optimè cõfirmet, pagina 38 Idem Diodorus lib. v. qui est de insulis, Panchæam & Triphylij Iouis fanum copiosè describit. Apud Strabonem libro VII. cum Riphæis montibus & alijs fabulosis locis mentio fit etiam Παγχάιας γῆς (mendosè legitur παγχίας.) cuius apud Euemerum fiat mentio. Huius Euemeri (si Euhemerus mauis, non repugno) non profani modò scriptores, ut Tullius prope finẽ primi de natura Deorũ, Macrobius et alij meminerũt, sed & sacri. Augustin. ad Maximum epistola XLIV. & de ciuitate Dei lib. VI. ca. VII. Lactantius libro I. cap. XI. Antiquus (inquit)

author Euhemerus, qui fuit ex ciuitate Messana, res gestas Iouis, & cæterorum qui Dij putantur, collegit, historiamq; contexuit ex titulis & inscriptionibus sacris, quæ in antiquissimis templis habebantur, maximeq; Iouis Triphylij, &c. Idem copiosius apud Eusebium Diodorus, qui eum Cassandri regis familiarem perhibet, itidem ut Lactantius post eum Messanæ natum. Meminit & Strabo libro primo ac septimo Euemeri Messenij, ut nugacis scriptoris. Clemens Alexandrinus προφητικῶς Euemerum, hunc ut puto, inter ἀθέους numerans. Agrigentinum facit, noster de placitis Philosophorum 1. 7. Tegeatam. & θάσιν ἀναγράφει apud Athenæum lib. XIV. citatur Euhemeri Coi. quod obiter duxi annotandum. Paulò post cum ἐξαριθμῆται aperto mendo legeretur, ἐξαριθμεῖται non dubitaui legere.

175. 15. Meliùs ergo faciunt.) βέλτιον οὖν citat hæc Eusebius libro προπαρασκ. quinto, fol. 111. ex eo paucula quædam corrigi possunt. ὑμῶν ante σωφρόνων non habet κρόνιος.) Euseb. πολλοί τινες. τινες probo, κρόνιος retineo. pro φεύγουσι est ibi φυγαὶ idq; præfero.

ὧν πᾶσιν.) ὧν παρὰ πᾶσιν ἀναίδεια. malo tamen αἰδῶ, licenter, abundè. Eustathius in Iliad. β. 34. à uerbo αἴνυμι, cum alia, tum hoc aduerbium deducit, & interpretatur ἀδεῶς καὶ ἀναιδεύτως. non autem libertati, aut etiam licentiæ, statim necesse est adesse impudentiam.

ἀθέατα πρὸς τοὺς πολλούς.) τοὺς θεοὺς Euseb. quam lectionem si sequamur, ante πρὸς est comma ponendum.

176. 26. In mare namq; illos.) Ἀθρόους μὲν. ex Eusebio, ubi integri sunt, restitues hos Empedoclis uersus. quos leges etiam in libello nostri de uitando ære alieno. ibi & τόνδε δὴ est, pro, τόνδε δέ, quod nos habebamus.

σιωπὴν ὑπολαβόντα.) Locus mancus.

177. 12. In rebus supra.) ἐν δὲ τοῖς ὑπὲρ γῆν lego, non τότοις. Sed ὑπὲρ γῆν καὶ uidetur abundare. Pro Heracleto Pontico, uide ne Heraclides sit legendus. Paulò post διαδύοντα διαμίσαι, asteriscum adieci. nam haud dubiè deest integer uersus, quo indicabatur, Soterem per quietem imaginatum fuisse Colossum, & admonitum, ut eum Alexandriam transferret, cum quidem ipse antè colossum talem nullibi uidisset. Infrà καὶ μὴν τοι ὑφαπλ. uidetur locus mutilus. Sunt & alia manca. Phylarchum pro Philarcho scribo, ex Suida. de quo etiam alibi, &c.

178. 21. Quouis æreo.) διὸ παντὸς ὀχ. Hæc quid sint, nescio. ideoq; & hæc & alibi asteriscо adiecto testatum feci, me mihi non satisfacere. fortassis ἐπιλανθάνεσθαι legendum. quasi dicat, æris strepitu oblivionem eorum quæ animum nostrum mœstitia afficerent conciliari. post μετεωρότερον δὲ, οἱ inserui. quod collatio diuersarum sententiarum requirit. Inferius.

τὸν πυρρὸν καὶ προσκλανίζοντες.) aut abundat (quod puto) καὶ, aut aliquid excidit.

179. 18. Qui deum venerantur.) τοῖς ἰσομένοις τὸν θεὸν. Locus uitiatus. ego pro ἰσομένοις si σεβομένοις legatur, & pro μὴ δεομένῳ, substituatur μηδὲ ἄνῳ, optimè habiturum puto. Hæc quidem coniectura mihi admodum probabilis uidetur, & proximè omninò abest à uulgata lectione.

ibid. 22. Quinquaginta sexangulam.) πλὴν δὲ ἑκατονπεντηκονταεξάγωνος, omninò legendum est, non ἑκατονπεντηκοντάγωνος. Nam LVI numerus paulò antè etiam fuit assignatus Typhoni. At LIIX quidem ex ijs numeris non est, quos Pythagorici tractent. quippe duplicatione primi numeri X XIX procreatus. ideoq; pariter imparem, & nulli aptus figuræ. At 56. duplus est trigoni 28. qui est numerus perfectus. pronicus est (ut uocabulo scientiæ utar) 56, & quidem ex 7. & 8. procreatus. numeris longe mysticissimis. Itaq; nihil hoc dubij relinquitur.

180. 17. Dici videntur.) λεγομένων. Apud Euseb. hæc lib. 3. προπαρασκ. συναγγ. adducentem, λεκόντων multò rectius legitur. δηλῶ & ὧδε κρόνιος non intelligo quid sit. paulò infrà ἀπαγορευομένων ἐν ὄχθῳ. lego, non ἐνίσχθω. 182. 19. Si tamen aliorum.) ἢ δὲ τῶν ἄλλων legebatur, nos εἰ pro ἢ reponen-

dum affirmamus.

ibid. 27. Tauri forma.) ταυρόμορφον Διόνυσον. Ταυρομόρφῳ Διονύσῳ legendum, aut (quod minus probo) ἀγαλματοποιοῖ. de bubulo pede uide autoris nostri quæstionum Græcarum problema XXXVI. De Hosijs ibidem IX. & in Pindarico νόμῳ suspectum est.

183. 18. Ferationem.) πόσιμος καὶ λίμνοις legendum λίμνοις, ut sequentia uerba innuunt. infrà δὲ παρὰ φύσιν) lego πρὸς aut κατὰ.

184. 16. Epistolam quandam.) Ἀρίστῳ οὖν. Dubium non est quin totum id, quod ex epistola Alexarchi Aristo retulit, interciderit. ibid. 22. Mnasam.) ὧν Δὲ μνάσαν, legi μνασίαν. quod scriptoris nomen est apud Athenæum, Suidam, & alibi. Sequentibus pagimis ualde multa sunt suspecta sed quid faceres? In mea uersione liquet quid sim suspicatus.

187. 34. Ambitus habent areas.) Summa enim laterum quadrati, cuius area est 16, sunt quater quatuor. Et summa laterum parallelogrammi rectanguli (de his enim sermo est, ubi nihil adijcitur) longi 6, lati 3 puncta, est 3. 6. 3. 6. hoc est est 18. tanta etiam area. At summa laterum, cuius area 49 (uerbi gratia) est quater septem seu 28. & summa laterum parallelogrammi cuius area 15, est 5. 3. 5. id est 16. Quod in rudiorum gratiam obiter annotare libuit.

191. 11. Quo solis radij.) αὐήλιον. lege αἰήλιον. Nam illud nihil significat est aũt αὐγὴ καὶ τόκος, solis inaccessus radijs locus, & rei conuenit. diuisio animalium parum cõuenit sententiæ. ibid. 30. Ouum illud perforasse.) τὸ ὠὸν γανοῦν. ut maximè συλλογῶν aliquis comminisci ad extremum ualeat aliquid, quo ὠὸν γανοῦν coloret & exponat: tamen aliquid deesse uox αὐαμίμησαι ostendet. ego uocẽ γανοῦν ab oscitante librario puto cõflatã ex alicuius uerbi fine, cuius principiũ perijt (fortasse cũ aliquot uocũ iactura) & particula ὅθεν scriberẽt; τὸ ὠὸν γανοῦν ὅθεν αὐαμ. & c Pro ἐπάγονται, τα scriberem. sed constructio non sic quidem plena erit.

139. 1.

193. 1. Occultans & obumbrans.) οἷον ἐπαλυγιζόμενον. scribendum ἐπιλυγιζόμενον. elegantissimam uocem librarij in i conuerso interuerterunt, quã quia Suidas & alij, atq; etiam Eustathius in Iliad. π. 334. uersum fideliter sunt interpretati, satis fuit rudiorem lectorem monuisse. apud Hesychium etiam est ἐπαλυγίσθαι, aliâs ferè ἐπαλυγάσθαι scribitur. usus q; est ita Plutar. de solertia animalium, ubi de perdicum astu loquitur. 622. sed & παραπυτίζομεν pro παρακυτῖ. scribi debuit. Paulò antè in συστοιχίᾳ Pythagoreorũ bonorum post τετράγωνον deest ἴσον. quod ex oppositione intelligi potest. Sub finẽ paginæ ἐπίκλητον ἡ νοσῶδες prior uox an sit genuina, iudicent docti. nã & ἀθρὶ uox est praua. pro qua fortè αὐθρίας legendum sit. est tamen ἐπίκλητον adsciticium, & quæ præter naturam adsciscit sibi corpus, morbis non rarò ansam præbent. quid si, ut & alibi, ἐπίνυ, ἐν legi debeat? τὸ σὺθ αὖ.) pro αὖ lego ὦ.

194. 18. Opera & effecta.) μὲν λυήματα. μὲν uidetur abundare, aut καὶ abesse. Locus Homeri est Iliados θ. 22. διοικεῖν ἑαυτὸν τῇ τροφῇ est cibum digerere. etiam apud Aphrodisæum & Aëtium, ipsumq; Galenum, ut aliàs obseruauimus. pro ὄμμασιν quidem σώμασιν esse legendum, ex Aeliano constat. 2. 42.

199. 13. Natura varium.) φύσει μακρὸν. μακρὸς quid significet hoc loco ut & sub finem paginæ διαλιγόμενα καὶ φθειρόμενα fortè διαφλιγόμενα. Paulò antè ὄρνιθα ὁμοιότυπος, sensus dictat scribendum ποικίλτυπος.

201. 5. Sic etiam Plato.) Platonica hæc uitiosa sunt. nam ἰσίαν λιαλῦντας non cohæret, ut cohæreat, ἀπλῶν lege pro ἀπλοῦντος. Certè in Cratylo ὠσία dicitur olim ἰσία & ὠσία dicta & ἴσιος esse λίυνσις. ac λιανία τὸ λιανῶς ἰὲν. Vide ibi. & pro γλώττας τὰς τοιαύτας.) lego γλώττας τὰ τοιαῦτα. & in paragrapho ἥκιστα μὲν ὧν nulla cohæsio est uerborum. quid si legas ῥ ὑφιμένλω, ὑφιμλω. ut sit optatiuus ab ὑφιμαι. mihi sanè uidetur sic locus fore integer. Sed quæ de Minerua sequuntur, restituere nequeo.

204. 4.

204. 34. Cereris iam membra.) λωποτομοῦσι. in libello de Homero citatur ex ipso, & ibi est βωλοτομοῦσι. & pro ὅτ, legitur ἀφ. & profectò nimis affectatum est λωποτομᾶν. quanquam ad institutum quadret optimè pro διαγνάφουσις scribe διαγράφουσις. pro ἀρότρυς, ἀρότυς. & λάλως pro λάλυς & φθαρεμίνεις, pro, ας.

205. 21. Vt par erat.) φούγοντες ὥσωσῥ ἴλος. fortassis ἴλῳ. ut sit, ὥσωσῥ ἴλῳ, sicut fieri solet. nisi quod loci ἀνῖλιτον uideri potest aliud requirere. fortè ἴλοι legendum ut par erat. Quid si legas ἴλῳ, ut superstitio paludi, impietas & deorum inficiatio præcipitio conferatur? Sed durius est hoc, & sine libro affirmare aliquid, temeritatis magnæ. πρὸς ταυτόλογον.) puto πρὸς τῦτο λόγον. Inferiùs παριγγυῶμαι.) lego παριγγυῶν.

208. 10. Fies canis.) λύων ἴσῃ. legebatur contra metri legem, ἰαν. Ego autem sic emendaui, etiam hoc motus, quod Hecubæ aliquem ita uaticinari putem. nam & apud Euripidem Hecuba, & apud Lycophronem, eadem alijs uerbis denunciatio huius μεταμορφώσεως extat. cæterum ἄγαλμα non est propriè simulacrum, sed quod habetur in delicijs, iocale barbaris, quo quis se oblectat. itaq; pro simulacrum repone delicium. Sic Homerus quoq; ἄγαλμα posuit Iliad. Δ. 144, & alibi, itemq; alij. Paulò pòst. ἤ ποι πρὸ τότων.) interrogatiuè hæc legenda, aut potius ἦ legendum particula, ut uocant, illatiua. neq; multo post ἀλλωλεῖως pro λαος. & σωνεμβάντων.

211. 14. Excludendo fetui.) ἀλίπασσι scribendum non ἀπαλέπασσι. uocabulum significat excludere de ouo pullum. extat uersus Musæi in Mario Plutarchi de aquila,

Ὃς ἅνδρα μὲν τίκτει, δύο δ' ἀπαλίπει, ἓν δ' ἀπολέβεσε.

Notum est quid sit λιπὴς, λιπᾶς. Sed hæc uox cum alibi, tum etiam apud Aristotelem usurpatur. Paulò pòst. ἀιγύπιες ποτὲ ἄλλως. Sententia indicat legendum ἀιγύπιες, ὅπως ποτὲ ἄλλως. aut ποτὲ γὰρ ποτὲ ἄλλ. aut tale aliquid.

212. 10. Vocabulo adfecerunt.) πάθος προφάσει. Locus

cus hic uidetur à librario Arithmetices imperito corruptus. suprà fol. 332. res est relata. Τετράκτυος mentio est in carmine Pythagoræ, quod usurpatur aureum. & unitas inter numeros locum habet in ea constituenda. 2. 4. 6. 8. 1. 3. 5. 7. Conficitur etiam ex hac progressione. 3. 7. 11. 15. Sed hæc alió pertinent.

215. 33. Spiritu suo etiam corpus.) ἀλλ' ὡς ποτὲ πρὸς ὑμᾶς ἐνεῖνᾶτο. mendosa sunt hæc, ut & prope finem χρὴ μαλακίσκον. Cæterùm nescio an fine careat suo hic liber. Paulò antè in enumeratione eorum ex quibus Kyphi conficitur, θρίον memoratur. fortè θρίον, cum iunci antè sit facta mentio. & pro μνῶν legi debere puto γρῶν. Species enim (ut appellantur) sunt 16, pondere inæquali mixtæ.

IN LIBRVM DE SERA NVminis vindicta.

217. 2. Patrocles.) ὁ πατροκλίας. malim πατροκλίης. ut infra genitiuo πατροκλίου & accusatiuo κλία respondeat. pro ἀπολειπόμενα scriptus ἐπολειπόμενα habet.

ibid. 35. Stratim facinoribus.) τολμωμένοις. In margine scripti codicis annotatur alia lectio γινομένοις, non deterior recepta. Versiculum autem Euripidis suprà ita uerti, ut in Oreste scribitur. μέλλ. τὸ θεῖον δ' ὅτι τοιῦτον φύσ. respondet Orestes Menelao quærenti, an Apollo ei opem non ferat, aitq; id cum facere, quod est Deorum naturæ, nempe cunctari. ὁ δίλιος lego. hæc in uocem ὀθόννοι incuria librarij mutata, interpreti nebulas offuderunt. emendationem pridem ingenio excogitatam, scripti codicis suffragium corroborauit.

221. 4. Probabilia.) τῷ πιθανῷ. Scriptus τὸ πιθανὸν, & hanc tamen habet in margine annotatam lectionem, quæ mihi magis probatur. Pòst 36. Ordine & accuratione.) ἐν τάξει ποτὲ μεταμελείᾳ. hæc ultima uox nouè posita est, si quidem posita. Scriptus me expediuit, qui ἐμμελείᾳ habet, quod scriptum ab autore suspicabar.

τῶ ἀμιλύσθαι τὸ παθεῖν.) lego, ut suprà, τὸ ἀμιλύσθαι τῶ παθεῖν.

222. 34. Id duntaxat.) Legendum μόνον pro νόμον, quæ uoces etiam alibi ob similitudinem confunduntur. Scriptus habet μόνον, & uitiosè ἔχεσαι. nisi fortè ita legendum, & καὶ proximè sequens omittendum sit, quæ lectio uidetur elegantior.

224. 5. Megalopoli.) μεγάλη πόλει. Megalopoli Arcadiæ, sic & Stephanus, & alij nonnunquam, aliàs μεγαλόπολιν uocant. in magna ciuitate interpres reddiderat. Λυδιάδας.) in margine scripti est alibi scribi Λυδιάδας. Vide quæ in Cleomenem Plutarchi annotauimus, paragrapho septimo.

ibid. 28. Virtutem mollitiemque.) καὶ παντὸς ὅσα. Hæc uerba absunt à scripto. & sanè uix nullo, quod uideatur, sententiæ commodo.

225. 16. Si Periandri.) Εἰ περίανδρος scriptus μὴ particulam inter has duas uoces interiecit, quæ lectio uidetur concinnior. quanquam istarum traiectionum non sum ignarus. suprà 9. Mihi quidem sic.) Lege ἔφλω δοκεῖ. sic & in scripto est, & ratio ἔφη reiecit. statim ἄπορος, ὀρθῶς, ἔφλω.

ibid. 33. Quàm uitiosos morbo.) ego ὅ τὸ νοσεῖν, ex scripto. est enim rectius quàm τὸν νοσοῦντα. non enim ægrotum tollit, sed expurgando uitio sanat deus.

226. 35. Ductori peregr.) ξεναγωγὸν. scriptus ξεναγὸν, idq; malo. Ἀρίστων, ἔφλω, non ἔφη. narrationis series nos ita iubet legere. paulò infrà citatur Platonis sententia, quæ extat sub initium quinti de Legib. est autem non παθεῖν scribendum (quæ uox cum sententiam perturbaret, interpres totam omisit, compendio usus) sed πάθω. πάθη nominatiuus Platoni est familiaris, & πάθημα significat. exempla uel in Lexicis reperias. Quod ad uersus Hesiodi attinet, in promtu sunt. Posterior sic apud Hesiodum non legitur. sed apud Aristotelem III. Rhetoricorum, & Democrito Chio adscribitur.

227. 35.

227. 35. Vitæ miserabilis.) οἰκτρὸς καὶ σὺν αἰσχύνῃ, scriptus οἰκτρῶς, σὺν αἰσχύνῃ. Platonis locus est III. de rep.

229. 25. Quidquid aliud diuinitus.) sic lego καὶ ὅ τι δέξαν ἰσχὺν αἰτίας θεῖον παρεῖναι quadquid, inquit, diuinitus obij ci uidetur. Pausaniæ historia est plenius descripta à Pausania Laconicis. Infra quæ de Simonidis arcis adducūtur, nō sunt plena. unde cùm alios, tum Stobæum sermone decimo. quanquam profectò noster optimè in libello de curiositate rem explicauit.

235. 1. Opheltiadæ genere.) Locus uitiatus & qui sint Phoitiadæ isti nobiles, nō apparet. tum ὦ (erat enim ὦ φοιτιάδαι) uocandi particula suspecta est. deniq; uerbum abest, quod structuram sermonis impleat nihil autem in scripto præsidij est nisi quod γένος ita scriptum est, ut γένος primò scriptum fuisse, deinde ex ο factum σ satis sit euidens. Ego sic legendum arbitror, ἐντὶ βοιωτοῖς ὀφιλτιάδαι γένος ὄντες ἀξιῶτι, καὶ, &c. Conijcio enim in Bœotis nobiles habitos, qui ab Ophelta genus ducerent, rege, quem cum subditis è Thessalia in Bœotiam traduxit Peripoltas uates uide initium Cimonis apud Plutarchum. Cum autem ἀξιῶτι esset fine truncatum, & genitiuus uideretur. factum esse conijcio γένος, ut scilicet cum eo cohæreret. De Daiphanto uide caput de Phocensibus, γυναικῶν ἀρίστας Plutarchi. Pro σαλιλαῖοι scriptus habet Σαλιλαῖοι. de quibus compertum habeo nihil. In eodem σωφανασώσειν inueni scriptum, non sine litura quidem, quæ σωφανασώσων prius fuisse scriptum doceret. uerùm hoc non perinde atq; illud quadrat. idem habet φιλοσοφίᾳ. quod constructio egit, etsi σ supernè est alio atramento notatum. Suprà aliquanto in uersibus de Locrensibus puellis (quod annotare suo loco oblitus sui) prò ὄ εἶαι legendum suspicor ἠοῖαι, matutina. sicut contrà ἠοῖαι factum pro ὄ εἶαι in poëmatis Hesiodei indice nouo.

236. 7. Etiam in longinquum.) μήκιστ scriptus, non μηκίστ. quod parum congruit. mallem autem ἀνωτάτως, quàm ἀνωτάτω, ut adiectiuum non prioribus, sed posterioribus

cohæreret. mox ὁ μὲν ἀλλά γε. scriptus. non τε manifestum. mallem ἐξισταμένων αὐτῶν, quàm αὐτῆς, propter sequentia. sed tolerari posse utrunq; uidetur.

237. 12. Obnoxiam esse.) ἐνέχεσθαι legendum, non ἔχεσθαι. ratio scriptus.

239. 18. Inauditum est nomen.) Ridiculum mendum arbitror esse pro ὄνομα ξένον. ὀνομαζόμενον ξένον.

243. 28. Genus à Spartis.) σπαρτοῖς, non est de Spartanis accipiendum, sed de his qui satis à Cadmo draconis dentibus enati homines, intestinæ cædi superstites Cadmo in Thebis condendis adfuerunt. His signum generis fuisse hastæ imaginem in corpore, Zeza etiam in Lycophronem fol. 30. monet, plura de his alibi. uolui nunc obiter monere.

244. 37. Anima veluti vnico oculo.) ὥσπερ ἑνὸς ὄμματος legendum. quorsum enim hæc σώματος.

249. 26. Simulq; conatus est.) Ἐπειρᾶτο habet scriptus, non ἐπειρᾶτο. neq; id congruit. Paulò suprà πεφυκέναι credo legendum πεφυκέναι. paulò post. ἐπεὶ δὲ καὶ φίλοις. Ἀν inserendum de scripto, ut & in calce paginæ διαλαθὼν pro διαμαθὼν. non procul fine libri ἐνεῖσα καὶ λοιδοροῦσα lege λοιδοροῦσα.

IN LIBRVM, AN VIRTVS doceri possit.

252. 25. Rhetorum præclara.) θαυμάζομεν ῥητόρων. Ἐν coniunctionem interpositam dele, ut sententia cohæreat.

253. 7. Ea nascitur.) lege γίνεσθαι ὄφιν, non τι. sed librarius Aldinam notam uerbi substantiui hîc, ut & alibi, non agnouit quanquam cur in τι eam uerterit, mirari subit: quod tamen in hoc cuiuscunq; scriptoris progymnasmate iterum factum est.

ibid. 21. Rectè tractari.) καλῶς μεταχειρίζεσθαι. deest aliquid. Sed de telchinum prosodia quæ sit aut fuerit disputatio, me fallit. & uidetur altera pars quæstionis excidisse. fortasse ἢ τίλ-

ἢ τίλχινας. Eustathius quidem de duabus in ις & ιν terminationes habentibus disputat, utra analogiæ magis consentanea sit, in Odyss. γ. initio. Sed id huc non admodum facit. Locus Aristophanis est in nebulis. De Scytharum seruis uide initium lib. 4. apud Herodotum. fortè παραστῶσιν hîc legendum, pro παρεστῶσιν.

IN LIBRVM DE LAVDATIONE sui ipsius inuidiæ non obnoxia.

255. 24. Adde quòd.) καὶ τῷ συγκαταπλέκειν. ante καὶ punctum tolle uirgula posita. καὶ autem expungere contra scripti etiam codicis autoritatem ausim, cùm omnino uideatur cum sententiæ detrimento abundare. hoc ipsum enim dicit (nisi fallor) insolentissimæ iactantiæ esse, quòd orationem, &c. itaq; adde illud in mea uersione; qua me accommodaui receptæ lectioni, inducas per me licet. & illud καὶ in καὶ τὸ λανθάνεσθαι post ὁμοίως poni debuit. Locus Pindari est oda Olympiorum nona.

ibid. 34. Carbonis F.) τὸν Καρβώνος τὸν Ἰωνοπάμπαν. scriptus Ἰωνοπάμπαν. & in margine πιτυοπάμπαν, quæ uox sine τ erucam pinus significat, quibus erucis præsens esse uenenum ex Dioscoride & aliis constat. Ἰωνοπάμπης autem dici posse uidetur, qui Ionum animos flecteret arte musica. πιτυοπάμπης quid significet, ex Thesei historia notum est, qui sustulit illum.

Qui poterat curuare trabes, & agebat ab alto
Ad terram latè sparsuras corpora pinus.

7. Metamorph. Ego hîc nihil affirmo. certè Καρβώνος quoque suspectum est, cum apud Suidam in φρύνις pro eo legatur Καύνος. ut suspicio sit legi debere μιλήσιος φρύνιν τὸν Καύνου τὸν Ἰωνοπάμπην. Nolò tamen pro hac mea coniectura dimicationem sustinere. mox pro ὑπομένοντας lege ὑπομένοντες. patet.

256. 18. Vt liberaliter profiteatur.) τὸ μὴ φεισάμενον. scriptus τὸ in τῷ emendat. Sed tamen non cohærent uerba.

ibid. 30. Alias etiam ob causas.) post ἐτέρας τινὰς excidit αἰτίας.

Ἀξιοις δοιν.) alia lectio in margine scripti, ἂν ὧσιν ἄξιοι. rectè eodem recidit.

257. 35. Messenam instaurauisset.) ὤκισεν. Aldus ᾤκισεν. noster ᾤκησεν. Scriptus ᾤκησεν in διώκησεν mutatum habet. quod & ipsum non malè cohæret. malo tamen ex historia ὤκησεν. Messenem enim rursus ciuibus frequentauit Epaminondas, CCXXX postquam diruta fuerat anno. Plutarchus in apophtheg. fol. 142. & alibi alij. 259. 4. Tanquam pugilque.) Id obiter notandum duxi, in his uerbis, πύκτης ὅπως ἐς χεῖρας, alludi esse quasi prouerbialiter & hic, & in Solone autoris nostri ad Sophocleos uersus, quos Deianira profert Trachinijs:

Ἔρωτι μὲν νῦν ὅστις αὐλαίνεται
πύκτης ὅπως ἐς χεῖρας, εὖ λαλῶς φρονεῖ.

260. 33. Auditori se insinuat.) legendum σωτιθέμενον & pro accusatiuo, non obscura ratione. & post μένον in μένων mutandum ex sententia scribendum etiam βυσσεύσιος. sic enim Græci loquuntur, non utuntur datiuis. Sed & scriptus rectè.

261. 18. Androcortus.) Ἀνδρόκοπος. Sic & in scripto. In uita Alexandri Plutarchus Ἀνδροκόττου habet. apud Strabonem est Androcopus quidam, Lebedi conditor, si rectè legitur libri XIV. initio. Omnino autem τ & π facilè litterulis pingendis confunduntur.

262. 26. Deplorarent.) Lego δυσφορεῖσθαι, non τος. quod interpretem fefellit. scriptus liber hîc mendo uacat.

263. 10. Appellauerunt.) appellari uoluerunt. μιλλουσας. Θέλουσας in scripto est annotatum ad marginem. idq; præfero receptæ lectioni: aliquot infrà uersibus pro Ἀτρειδὸς scribe Ἐτεοκλὸς. res ex Iliad. ψ. notissima. Cæterum quod sequitur πρός τινα μαθήματα καὶ λόγους ἀπρόσοιν, in scripto itidem ut hîc legitur, mendosè omnino. ut nihil aliud, adiectiuum saltem excidit, quod eam auditionem ineptam fuisse declaret.

264. 26. Detrecto nouos.) καὶ τὸς παρέντας, audacter scribe, πλανῶντας sublato: neque enim quadrat. Sed interim sententia dictare uidebatur παρόντας. alibi quoq; rectè legisse recordor scriptos. Νόημα est pulcerrimum. Choros Spartanos ex alijs huius autoris locis emẽdabis, maximè Lycurgo & apophthegmatis.

266. 5. Opponis.) ἀντιτάττεις. ἀντιτάττει scriptus, quod malo, ut ad plures pertineat cohortatio. Homerica ex Homero restitues.

268. 34. Patroclum prætendendo.) Πάτροκλον πρόφασιν. Non possum mihi temperare, quin hoc loco obiter prouerbium uenustißimum explicem, quo cum Græci scriptores etiam sacri, usi sint satis frequenter: tamen ferè interpretes ad id tanquam ὕφαλον πίθον impegerunt. neq; sanè mihi quenquam insectari libet, & nominibus etiam parcere reuerentia hominum me iubet. Miror tamen Erasmum illum magnum, qui ex singulis Homericis nöematibus singula propemodum fabricatus fuerit adagia, in hoc enarrando adeò fuisse Homeri oblitum, ut ad Aristophanem Patroclum nos ablegaret. idq; eò magis miror, quod & hunc ipsum locum Plutarchi, & Diogenianam prouerbij ueriſimam interpretationem citanti, in mentem Homerici Patrocli non uenerit. Verba Diogeniani sunt Πάτροκλος πρόφασις: ἐπὶ τῶν μὴ δυναμένων διὰ φόβον δηλοῦν τὰς ἰδίας συμφορὰς, ἐξ ἑτέρων δὲ θλίψεων αὐτὰς ἀποπλαύντων. Rectißimè. (ἐφ' ἑτέρων fortè scripserat.) Nam captiuæ puellæ, quas Achilles detinebat, cum suas miserias ipsis pro se & ex professo deplorare non liceret, Patrocli cadauere allato finguntur ab Homero dum eius casum se lamentari simulant, exsulio interim suo & calamitatibus ferìd impensas lacrymas funebri in Patrocli mortem fletu quasi prætextu quodam uelasse. Verba Homeri sunt Iliados τ. 301, Ὡς ἔφατο (Briseis Patroclum deflens.) λιλάισκε. ὣδε δὲ γυναῖκες πάτροκλον πρόφασιν, σφῶν δ' αὐτῶν κήδε' ἑκάστη. Plutarchus hoc loco ad hæc ita alluſit, ut more suo, sicut & faciendum in libello de audiendis poëtis docuit, alio de-

flecteret: nimirum in eos qui alios ita laudant, ut inde propriam laudem captent, de alterius interim dignitate parum soliciti, modò eius sua laudatione id consequantur, ut ipsi laudentur. Germani non absimili prouerbio ludunt, ubi assentando aliquid quempiam aliud ab eo quod præ se fert sectari indicant. Der ist das Vuort, ein anders der hort. Atq; hæc ὀλῆ παρέργου.

DE VACVITATE IRAE.

QVando ita instituta est hæc disputatio, ut colloquium sit Fundani ac Syllæ, non piguit perspicuitatis causa personas annotare.

272. 14. Homericam illam seruat obedient.) Ὁμηρικὴν πάσαι. Cùm à se conuersos libellos aliquot Plutarchi, inq; his hunc ipsum, ederet quondam Erasmus litterarum columen & decus singulare: fassus est se nondum comperisse quæ nam sit hæc Homerica πάσις. ita enim legerat, ut & scriptus habet, πάσαι (nam ποιήσαι in margine annotatum, est ridiculum) Ne ergo desperet rudis lector, locum Homeri, ad quem alluditur, & ex quo locum hunc corrigas, adscribam. Is est Odyss. v. 22.

Ὡς ἐφατ', ἐν γύθιαστι καδασπίδμωες φίλον ἦτορ.
τῷ δὲ μάλ' ἐν πάσῃ πραπίδι μίνυτιτλήϊα
Νωλιτίως, &c. —

Vnde liquet πάσω ὁμηρικὼ cohibitionem significare & repressionem iracundiæ, quali eo loco usus Homericus Vlisses se continuisse, sibiq; temperauisse proponitur Sanè in libro de garrulitate πάση rectè legitur etiã uulgo, ubi hîc ipse citatur uersus. πάση autem ποιθὼ, obedientia est, si Eustathio credimus. Sunt qui πᾶσμα intelligant, funem quo nauis alligatur in statione. Virg. 4. Aeneidos retinaculum dixit. ego tam longinquam translationem non probo: neque apud ullum idoneum scriptorem reperi πάσω esse πᾶσμα. Μοχ ὀλίγοσι τέτων γίγονεν.) In scripto annotatur, pro γίγονεν legi etiam ὄζιμ.

274. 3. Vt est apud Homerum.) Καθ' Ὅμηρον ἰαύθη. Videar alicui aliud agere, tamen hîc quoque locum Homeri indicabo, cabo, qui (ut apparet) fefellit Erasmum. non enim ἰαύθη effloruit feciſſet, uerba sunt de Menelao ira in Antilochum concitato, & eiusdem blandicijs delinito. Iliad. ψ. 596. Vocem autem ipsam Plutarchus noster eleganter interpretatur pagina prima libri de primo frigido. Senarij qui sequuntur, ex Oresta sunt Euripideo. in dicto Callisthenis Ἀλιξαύλεις legendum est. uide primum conuiualium quæstionum, cap. 6.

274. 29. Non probatur.) ἀνὔρπιστον. Scriptus ὕρπιστον habuit, sed à correctore in ὕρπισον quod & in margine est, fuit mutatum quanquam fortasse rectius est ὕρπισον.

276. 26. Quali Musici.) ἁρμονικοὶ σχολῶ. ἁρμονικῶ σχολῶ scriptus. uterq; mendosè. opinor autem σχολῇ legendum, paulatim. νωνοδίταν quoque scriptus habet in uersibus de pastorali fistula, ab ὄνος & δέω ligo. nos νωνοδότην, quod mutare nolui, cum res eodem recidat: & hoc me ius quadret. Infrà. φορβιᾷ) scriptus φορβειᾷ & φορβιᾷ. de quo alibi. In eodem est ἀμφὶ λασάας diuisè, non ἀμφιλασάας.

278. 4. Vt Sappho præcipit.) ὅσσε ἐν ἄμφω παραυᾶν λωαμίνυς. Quid hoc, quæso, rei? Hic locus monstrosè est corruptus quod cum interpres non sentiret, aut saltem dissimularet, sententiam planè ineptam Plutarcho attribuit. Legendum pro istis monstris est, ὡς ἡ Σαπφὼ παραινᾶ· ὀπιλυαμίνυς, &c. Correctio debetur codici scripto. Ex quo & alia leuicula conuerimus quædam. quod de morsibus serpentum sequitur, non est integrum.

279. 9. Proponam: spretis.) λαϊλαφρουᾶν. si λαταφρουῶν legas, & post ἄρχομαι distinguas incisum, de obscuro & hiante loco clarum & plenum nullo negocio feceris. In dicto Heracleti lege ἀίλη. sic & alibi.

281. 14. Sophocles.) ἁπλίσας, ἰκόμασσ'. scriptus ἁπλίσας ἰκόμασσον. ἄλοιδ. &c. Locus obscurus quia Sophoclea ista perierunt. & hîc uidentur uel corrupta, uel mutilata, fortasse utrunque esse. ib. 36. Causam in iudicio dicturo.)

ἀίνλω ἰχονῖας. ἰχονῖος est in scripto: idq; rectè & historiæ conuenienter. est apud Aristotelem hoc sectione tertia, problemate XXIIX. ubi sanè Clazomenius dicitur. Stobæus hunc ipsum Plutarchi nostri locum citans sermone de ira, qui est ordine uigesimus, Samium facit, Σατύρᾳ τοῦ Σαμίου. quod non probo, cum etiam de calumnia hunc librum uocet, alio etiam statim loco subiecto Etsi fieri potest, ut de calumnia scriptum ad nos non peruenerit. nam id insolens non est, in diuersis libris adduci eadem à nostro. quod facilimum obseruatu cùm sit, exemplis docere supersedeo.

282. 37. Vbi sit pudor.) Versus —— ἵνα γὰρ αἶδος, est in Cypriacis Stasini, ut habet Stobæus λόγῳ λα. Vide Euthyphronem Platonis, & nostrum in Cleomene.

284. 15. Sumendis supplicijs.) λοιδόρουσας, ἔστα. Sic ex scripto restituc, cum pro ἔστα δὲ obrepserit, distinctioq; praua locum fœdauerit.

290. 10. Qui neque Heliconem.) ὄυτως ἰωαννᾶρ. in scripto est ὅτι. Locus non integer.

291. 20. Principis instar.) ἄρχοσιν ἀρχόντων, & in scripto ἄρχοντα pro priore in margine. Sensum ego atque hoc secutus sum in uertendo, & legi, οἷον ἀρχοῦσα ἐπιτρόπους. In scripto etiam est τὰς ἐν σιχᾶις ἀμολογίας. ibiq; ἀφροδισίων ἰνιαυτὸν legitur. & δύων pro δύοντα.

IN LIB. DE CVRIOSITATE.

293. 22. Quantum ad Alizonã.) ὅσον ὕδωρ λατ' Ἀλιζόνος. & in Aldino & in scripto margini nota est adiecta, quæ uersum esse in textu significaret. neq; hoc Erasmum fefellit, nam uersu uersum reddidit, hoc quidem:

Insula quam multa uel drys completur aquæ ui.

ἀλιζόνα cur insulã reddiderit, nescio. Ego Ἀλιζόνα suspicor in hoc prouerbiali scriptũ uersu, quæ urbs esset Ἀλιζώνων illorũ Homericorũ, quos Suidas Bithynos interpretatur, qui ita dicti sint, quòd mari cingantur: ut aquarum apud eam urbem abundè esse oportuerit. ut & in quercu foliorum, quæ φύτλαι epectasi poëtica hîc dicuntur. de ijs Halizonibus nos in Stephano dimus. Sed quod antecedit τίτ' ἀλλόφ.ον, &c. λακὼν ἐξυδοφηῆς. senarij sunt duo ex aliqua uel comœdia uel tragœdia. Citantur etiam infrà περὶ εὐδυμίας.

294. 6. Domi dormire.) ὕπνοι μὴ ἐδέλειν. multo malim εὕδειν, & dubitari potest ob affinitatem notarum an non id scriptus habeat, nisi quod spiritus est lenis. Certè oculos ob id exemtiles ei Iupiter dedit, ut posset dormire. scholiast. Aristophanis in pace. In uersu Homerico ex Necya de Epicasta est etiam in scripto μιλάδρι. & διαῖ non διὰ τίν'.

ibidem. 30. Perscrutans.) διαπορῶν. scriptus διαπονῶν. & pro οὕτω τοὺς νίους habet οὕτω τοὺς Ἀθωάδας & infrà pro ἰνδάλλει ἠδ, habet ἰνδα γίνεσ. quod est multo concinnius.

296. 33. Contemplatione duceris.) μιγάλων φιλοθιάμων scriptus, nos θιάμων. & in senarijs de Luna annotatum in margine est pro νία legi νίφους quod non probo, cùm præsertim in quæstionibus quoq; Romanis, & in uita Demetrij ex Sophoclis Menelao hi uersus citati uocem νία habeant. Et νίφος non nisi μεταλαπτικῶς possit uocari ἄλλον, quatenus Lunæ conspectum nobis eripit.

298. 14. Semperq; solus.) ἀεὶ δ' ἀείδων. In libro de uaciuitate iræ, & in scripto est ἀοιδῶν, cùm tamen in margine sit ἀάδων, hoc rectiùs legi apparet.

299. 21. Nunc ille mî.) ἔστά μοι σκάζων. hæc comica esse puto. & in scripto signum carminis extat annotatum itaq; ut senarios conuerti & defendi posse puto. pro σκάζων tamen puto legendum σκάζοντι. Cæterùm infrà in lib. de garrulitate 389. 28. ad hanc rem Plutarchus uidetur respicere. Pòst μετακινοσμῆδαι pro μετακινομῆδαι ex scripto repone, apertè legitimum.

300. 6. Rectè etiã Charondas.) ὁ τῶν θουρίων νομοθέτης. Thuriorũ legislator. Τυρίων habet scriptus. q. nõ probatur.

nam historiæ repugnat. Intelligo enim Charondam. de quo, nō alios nominem, Diodorum uide libro XII bibliothecæ.

301. 20. Offensum iri.) τὸ πρᾶγμα προσλάμ. sic & Scriptus. Ego autem προσπάμ lego. 302. 5. Mixtis naturis.) σύμμικτον ἄλλῳ, &c. uersus est Euripidis: itaq; cum feci senarium. Plutar. Θυσῶ.

ibidem 31. Loris capita.) ἀλλὰ τοῖς ῥυτῆρσιν. Noster & Aldus ῥυτῆρσιν. scriptus ῥυτῆρσιν, quæ uox lorum aut habenam significat, qua canes à uenatoribus ducuntur, & non nisi tempestiuè ea soluti, in bestiam immittuntur. Erasmus ῥιντῆρσιν excogitauit. neque nego canibus non licere quiduis odoratum persequi: sed naso an aliquid tale adhibeatur, nescio. neq; ῥιντῆρας puto ullis Græcis notam rem esse. ad ῥυτῆρσιν porrò uerba ἕλκουσιν & ἀνακρούουσιν optimè quadrant neq; sanè opinor itidem ad nasalia illa. Versus sequebatur heroicus, quod expressi.

303. 5. Vilissimis rebus.) ἐν τοῖς χαμίστοις. In scripto hoc ad marginem, in textu ἀχρήστοις, inutilibus, quod ut mollius, ita & concinnius puto. pro διέξιπεν idem διέξιπεν habet. Diuippo supernè signato. Sophoclis uersus sunt in Electra. & qui infra de Oedipo, è tyranno eiusdem.

IN LIBELLVM DE ANIMI tranquillitate.

308. 3. Calceum podagra.) καλτίνιον. & annotatur in margine scripti. legi etiam pro ea uoce ποδίνιον. Budæus (quem gratitudinis causa nomino) calceum uertit: atq; omnino hoc sententia exigit, uti sic legatur. quæ enim patricij ad pedem, anuli ad digitum, diadematis ad caput comparati sit analogia? Ego non dubito quin καλλιον Plutarchus scripserit, aut saltem καλλίον, ut in uita Aemilij Pauli apud eundem legitur. nam ν & τ ante ι nimis citò promiscuè cepisse pronunciari, demonstratu non perinde difficile, atq; ab hoc loco alienum est. Librarium autem liberaliter (sic solent) egisse puto. qui cum & καλνιον & καλ-

λάτιος uel scriptum uel pronunciatum reperisset, nihil interuersurus uno καλτίνιος utrunq; retulerit.

310. 6. Postquam narrando explicauit.) ἅτα προσιλθών. in scripto annotatum ἀπιλθών. quod mallem. aut saltem προιλθών. Paulò infrà & suauiter.) προσφιλῶς ex eodem insere, ut & aliquanto inferius ηδὲ ἥδιστον, & προσπεύντως pro προσόντων ex margine eiusdem. Infrà in Epigrammate Agidis quin sit ῥαφιρᾶς legendum, non ῥυφιρᾶς, facilè Homerum qui legerit, sentiet. Infrà porrò ὥσωρ λιώνες αὖ ὑλακτῶσιν ἐιόμενοι. scriptus ante ὥσωρ habet ηδὲ. & legitur ἐιόμενοι.

319. 6. Cui hoc tantùm.) legi ᾧ δὲ τοῦτο μόνον, ἄριστα πράττει. οὗτος cuique, aiebat Pittacus, hominum aliquid incommodi adest. qui autem non nisi unico aliquo malo urgetur, cum eo optimè agitur. Legebatur ᾧ δὲ τὸ μὲν ἄριστα. quæ prauа lectio magnum Budæum à sententia huius loci aliò auertit. Sed beneficio scripti locum elegantissimum restituimus. Eum subsequuntur senarij è Menandro ut uidetur, suprà etiam in libello de uirtute & uitio adducti. Cæterum aliquanto superius ista. 317. 19. Non res mihi.) μὴ τὰ γύγιω, &c. sunt uersus senarij Iambici, & ηδὲ post μίλει abundat, abestq; à scripto. Archilochi esse ex Aristotele & interprete Aeschyli constat.

320. 24. Megabyzo Persæ.) μεγάβυζον δι. Sic & in lib de discrimine adulatoris & amici. Plinius tamen lib hist. naturalis 25. cap. 10. Ipsi Alexandro hoc euenisse scribit. Paulò antè pro βρίσων est legendum κρίσων. ex libello de discrimine amici & adulatoris. & alijs. μιλοβοτά τ' ἀρότα τ'.) Sic omnino legendum, undecunque hæc Plutarchus desumserit. sicq; sensit legendum etiam Budæus. & ita est in scripto, nisi quod ι subscripta desunt. nam in Aldino præterea accentus non rectè positi, & ἀρότατ' impressum turbabat. Enimuerò in libello de Pythiæ oraculis citat noster, & locus Pindari est prima oda Isthmiorum.

323. 13. Apud Manes.) ὁ ἐν Ἅιδου γραφόμενος. In æde Plutonis, Budæus. Loquitur de Ocno, qui spartum torquebat. quod

aſellus arroderet. Propert. lib. 4. Eleg. 3. alludit his uerbis:

Dignior obliquo funem qui torqueat Ocno,
Aeternumq; tuam paſcat aſelle famem.

Meminit huius picturæ Plinius 35. 11. Sed ubi fuerit ea, non refert. nam mihi illud ἐν ᾅδου admodum ſuſpectum eſt. Apud Pauſaniam in Phocicis res eleganter deſcribitur, & pictura apud Delphos in tabula Polycleti fuiſſe ea perhibetur. Apud Suidam tamen in ἔνθα ποινὰ diſertè bis legitur de hac ipſa re ἐν ᾅδου, ut mutare non libuerit quicquam. Apud Diodorum Siculum ultima libri primi bibliothecæ pagina res non diſſimilis perhibetur.

324. 9. Viciſsitudine quadam.) παλίνδρομος. multo concinnius eſt, quod legitur in ſcripto ſupra hoc uerbi notatum παλίνδρομος. & τέχου ſcribendum quiuis uidet.

ibidem 27. Vnicuique.) ἅπαντι δαίμων. Hinc emendari poteſt Ammiani Marcellini locus ſub finem libri XXI. Cæterùm hi uerſus apud Clementem Alexandrum ſic leguntur, Στρωματ. ι. pag. 256.

Ἅπαντι δαίμων αὖθαρι συμπαρίσταται
Εὐθὺς γενόμενῳ, μυσταγωγὸς τοῦ βίου,
Ἀγαθὸς. κακὸν γὰρ δαίμονα νομιστέον.

326. 26. Quibus etiam abſentibus.) καὶ μὴ παροῦσιν. καὶ μὴ deerant, ex ſcripto implendum. Quid enim inquit) Menandri uerba non ſunt hæc, & φησὶν, inquit, illud ſuſpectum. ex eodem ſcripto etiam uerſum heroicum ad finem paginæ emendarem, niſi mallem ex ipſo Homero. eſt enim alluſum ad uerba Sarpedonis ad Hectorem, Iliad. ι. 484.

328. 21. Ipſe Deus, ſimul atq; volam.) λύσει μ' ὁ δαίμων. Verſus eſt in ſcripto uitiatus. Eſt autem deſumtus de Bacchis Euripidis. uerba ſunt Bacchi ad Pentheum uincula minantem. quæ Plutarchus elegantiſsimè, ut ſolet, ad philoſophiam accommodauit, qui unicus eſt poëtarum rectè intelligendorum, utiliterq; uſurpandorum, quæ ij dixerunt, modus. Ante Plutarchum Horatius noſter eodem planè modo hunc ipſum Euripidis locum

locum νοημαϊκῶς expoſuerat in epiſtola prioris libri quadam ad Quinctium,

Ipſe Deus ſimul atq; uolam me ſoluet. opinor
Hoc dicit, Moriar. mors ultima linea rerum eſt.

ib. 37. Fatuitatem quandam.) ἀνίαν γάρ. Vide ne ſit αὐθεσίαν legendum. Quanquam etiam ἀνία poteſt tolerari, ut puto. Nam moleſta eſt ſatietas etiam rerum ſuauium, &, ut poëta ait ——ἀνίη καὶ πολὺς ὕπνος. Scriptus non uariat.

329. 33. Horum non alius.) τῶ ἄλλῳ rectè. in ſcripto exſtat. eſt autem hexameter. 300. 10. Roris quidem marini.) Λιβανοφορίδας ἐπιζωθείσας non intelligere me, ſed ſuſpectas habere, non diſſimulo

331. 15. Videntes, non ipſi.) ὁρῶνται αὐτοί. ex ſcripto locus reſtituendus ὁρῶνται· οὐχ ὅπως αὐτοί. & περίβοοι.

IN LIB. DE INEPTA VERECVNDIA.

335. 21. Polyſperchon.) lege πολυσπόρχων, non πολυωρχων. & ſic erat in ſcripti margine annotatum etiam infrà. Dictum de hoc alibi. Paulò pòſt præbenti præbitur.) δειπνήσεις, ἂν δειπνίσας. Sic reſtitue ex Græcæ linguæ proprietate. nam δαπανᾶν eſt cœnare, δειπνίζειν cœnam præbere. Sic infrà de fraterno amore, Ἅρδυς τοιαῦτα δαπανίσας τὸν ἀδελφὸν. Qui de Laſo Hermionenſi cognoſcere aliquid auet, indicem locorum in Leopardi Emendat. lib. 2. cap. 23. reperiet.

338. 14. Facit vt reſpuamus.) παρατᾶται τὸ συμφέρον. In margine ſcripti eſt παραιρᾶται. quod probo. mea uerſio ad utrunq; quadrat.

341. 6. Intelligo bene.) τὸ μανθάνω. alludit ad Euripideæ Medeæ uerba:

Καὶ μανθάνω μὲν οἷα τολμήσω κακὰ,
Θυμὸς δὲ βρότεια τῶν ἐμῶν βουλευμάτων.

343. 1. Plus habent.) καὶ τὸ τοῦ Ἀγησ. μὴ legendum, & ἴσχ. non καὶ & ἴσχ. rectè ſcriptus. & infrà τῆς περὶ αὐτὸν σὺν. non πρὸς.

IN LIBRVM DE FRATERno amore.

346. 29. Dokana.) Quæ initio libri sunt περὶ τῶν δοκανῶν, citat & explicat Eustathius Iliados ρ. 744. Nota II, qua geminos, sidus cœleste, astronomi signant, ualdè huc quadrat. Interpres nescio quid Philadelphi hæc commentus est. De Molionidis uide Eustath. in Iliad. λ. 749.

349. 6. Ingens profectò.) ἀ πόρισ τὸν, οἷς τ' ἐξουρανίναι. scriptus habet, οὐ περὶ αὐτὸν οἷς τ', deterius aliquanto, neutrum sententiam habet planam. ego suspicor legendum ὅτι τ', pro ὅτι αι, putat. ut sit sententia, cum qui uel umbram amici adeptus sit, existimare se non inani bono ditatum. Ad hoc Menandreum etiam in libello περὶ πολυφιλίας allusum est.

350. 21. Euerti.) καταλυομένοις. scriptus, non καταλελυμένοις quod nihil est. ex eodem & alia possunt corrigi id genus menda. ut ὧδε νίκας, non νίκας, &c.

351. 7. Aliam ducens uxorẽ.) ἐπιγαμῶν. lege, non ἐπὶ γάμων, quod nullo sensu legitur & in scripto quoque ambigua erat scriptura. ἐπιγαμεῖν autem est etiam ducere uxorem, nouercam prioris matrimonij liberorum. uox satis nota. historia autem etiam in apophthegmatis tradita, lectionem ueram confirmat.

352. 1. Ad solis ortum.) Ἄστρων ἀνίλθοιμ'. Versus sunt de Phœnissis Euripidea. Sed illud ἰσότιμα τιμᾶν etiam apud Aristotelem receptum nõ est Eteoclis, sed Iocastæ. quod uisum fuit monere. Hoc autem nolui dissimulare, μόνιμον mihi multò magis probari, quàm νόμιμον. disputatur enim quæ imperia sint durabilia itaq; tantum abest μόνιμον ut tollerem, ut etiam rogatos hîc eos cuperem, quibus fide dignorum suppeditat copia, an non ipsi quoq; in melioris notæ libris Euripideis μόνιμον inuenissent. quæ præterea disputans adferre non aburda uideri posse uidebar, sciens prudensq; prætereo. Vide an non pro λακὼ ῥέοντος legendum sit παρέοντος. Aliquot pòst uersibus, ἀ καλιῶς οὔδις ἀναλαμβάνοιμ. In scripto est ἀναλαμβάνοντας,

sot suprà scripto. & pro συγγεν. ἀδελφόν. σκυθρ. habet scriptus melius βλέπεσθαι quàm ἀδελφόν, etsi hoc suprà est à correctore allitum.

353. 11. Parari alios posse.) λήθοι μ' ἄγαμαι φίλοι. alluditur ad Homerica Iliad. ι. 406. Statim. Mulier illa Perfica.) Vxor Intaphernis, quæ marito & filijs fratrem prætulit. historia est apud Herodotum in Thalia.

ibid. 37. Peccatis quibusdam.) τῶν ἁμαρτημάτων. legebatur nullo sensu πλὴν ἁρπάλου. Sed scriptus habuit ueram & à nobis redditam lectionem.

355. 21. Permutationem.) τὰς μεταλλάσεις. τὰς μεταλήψεις in scripto, & hoc suprà annotatum. Idem paulò pòst ἀνολογισάμενον per ι, non per ν. quod & secutus sum. paulò antè ἢ πράξις ἐτόραν, πλὴν. Legendum uidetur, ἢ πλὴν. de Agamemnone locus est Iliad. κ. 122.

361. 6. Administrationem rei.) lego οἰκουρεῖν ἑτατῆρον. noster ἑτα. in scripto ἑλατῆρον. hinc & ex sensu difficile non fuit corrigere locum. uerti autem debuit, rei suæ familiaris. uerùm ego suspicabar οἰκονομᾶν hæc uel legendum uel intelligendum. scilicet, fratrum œconomos eos fuisse & administros, non participes imperij: quo modo hodieq; in Hispania & alibi maximo natu filiorum principis uiri hæreditario principatum tenente, cæteri fratres quasi clientum & famulorum muneribus fungi persæpe audio. Paulò antè alluditur ad locum Homeri Iliad. ζ. 227, ualdè eleganter.

364. 17. Lauacris Aedepsijs.) ἐν ἰδύψῳ. legitur in scripto Αἰδηψῷ, multo rectius. Sed in Stephano nostro eam rem abundè explicauimus.

367. 11. Non dictum, sed factum.) ὄργον ὁ λόγος. In scripto, ὄργον ὁ λόγος. utrunq; neq; inelegans est, & dubiam lectionem facit diuersitas. ὁ tamen malo, ut dictio factum anteferatur. ἐπιβολῆς autem cum mihi esset suspectum, deprehendi id in scripto ex correctione esse: neque constat quid antè ibi fuerit. certè legi sic nõ debet. fortasse ἐπιβολὴν ἀδικίαν, aut ἀδ' ἐπιβο-

βουλὼν. nisi ὑποβουλὼν quis malit. & pro σπεισθεὶς, quod habetur in margine, est ibi in textu καταπλαδεὶς. pro uerbo προσήκει, quod non cohæret, legendum est ut habet scriptus, προσόφει. mox est & in margine ἐδιξιώσατο, sed ἐδίξατο in textu. Quod sub finem libelli legitur de etymo uocis ἀδελφὸς, obscurum est. sed apud Athenæum libro nono δειπνοσοφιστ. δελφὺν exponitur μῆτρα, ut ἀδελφοὶ sint uterini. ab α pro ἅμα posito, & δελφὺς.

IN LIBELLVM DE garrulitate.

374. 34. Prosiliret.) μηδὲ ἀνηλλῆται. Hæc quidem uox nihil (mihi notum) significat. scriptus habet ἀνειλῆται, quod magis utcunque probo. Cum enim lingua sit τριπλῆ, uolui eam & reuolui miraculum non est. ac fieri potest, ut alludat sit ad aliquem poëtæ alicuius locum, nobis nunc occurrentem: ut in ἐν' ἀ συγαλόγχλα, quod esse Homericum constat, Iliados τ. 226. alibi. Quid si est ἀναλλῆται, ab ἄλλεσθαι prosiliat? Sed μηδ'. in ἀλλὰ hîc esset mutandum. Porrò scriptus legit, Α' χαλίνων γὰρ, ὃ ταμιέων ὀνοὶ ἀκμάτων. quod secutus sum. Euripidis locus est in Bacchis.

375. 22. Pedésque inferre choreis.) Locus Homeri extat Odyss ξ. 465. Scriptus habet ἀνώγει, & in margine ὀρχήσασθαι ἀνώγειν. Ex eodem ὠδὴ pro ὡς δὴ, & distinctionum notas correxeris. Idem non habet hæc uerba πρὶν ὑπνίνδωμεν.

376. 1. Pro sua quisq; persona.) συμβολὰς pro συμβολὰς est in scripto. quod non probo. Neque enim consultatum deliberatum ue de certis propositis inter pocula puto: sed quenque symboli loco aliquid sermonis in medium attulisse.

377. 37. Alio vrgente negocio.) ἐπὶ πόνῳ ἄλλος ἐπαγγ. alludit ad Homericũ, cuius locus non occurrit, neq; uacat quærere, ἐπεὶ πόνος ἄλλος ἐπάγει.

379. 21. Facundissimo.) λογιώτατον. quid enim sit λογιώτατον? scriptus rectè. sed hoc leue. Paulò pòst ὅτω τὸ σῶμα μιγὸν lege, non γέμα, idq; in scripto supra uocem σῶμα fuit allitum, quam tamen genuinam esse adeò liquet, ut etiam nullius codicis fidem secutus eam fuerim pro γέμα recepturus: nam non ob oris modò, sed oculorum quoq;, & aliarum corporis partium continentiam laudatur Vlisses ab Homero & Plutarcho. quod totum pertit, si γέμα legamus: uiget, si σῶμα. porrò apud Homerum Odyss τ. 494. ὡς ὅτε τις γόμφῳ λίθος legitur, ubi hîc ὕψι ποδὸς ὑρατόφιν ἀρῦσ. Sed non solet Plutarchus syllabas apices ue locorum, quæ citat, ubiq; appendere. ut alibi etiam docuimus. Id quoq; dissimulare nolui, quod de lingua iudicium Pittaco hîc tribuitur, id Bianti in libro de septem sapientum cõuiuio adscribi. tametsi μνημονικὸν ἁμάρτημα cũ aliis hoc quoq; potiùs crediderim, quàm ut diuersorum esse eos libros autorum assentiar: maximè, cum unum post alium scripsisse probabile sit, & modò hunc modò illum secutũ. Neq; est ignotum, idem apophthegma sæpe diuersis tribui. De lingua censura & admonitio efficacior est D. Iacobi in sua ad Christianos omnes epistola. Paulò pòst παῤῥησίαν ἄγουσα. quàm mallem legere παῤῥησιάζουσαν? certè in scriptis libris uersati quæ sunt, ex nostra lectione illam à librario ossitante potuisse effici facilè intelligunt.

380. 36. Omnino autem.) τὶς δὲ ὅλως. legebatur ἄλλος. Sed in scripto expressissimè est ὅλως. idq; sensui congruit, cui alterum officit. Omnino (inquit) qui suum arcanum alteri aperuit, id efferentem eum liberè accusare non potest. cur enim ipse non tacuit, si res silentio premenda erat? cuius ignarus alter, quî eam effutuisset? Sed pro ὅπου σιωτὸν, legerem ὅτου, sententiæ commodo. Sed non multum refert. Multo etiam rectius uidetur ἐρομένης nostrum, quàm ἐρωμένης, quod habet scriptus. notum est eruditis quid sit ἔρεμα, & συνέρεμα, adeóq; ἐρεμὸς.

383. 24. Lysimacho.) Λυσιμάχῳ. sequitur πρὸς ἑαυτὸν. quod expunxissem, etiamsi in scripto reperissem. Si quis tamen

γιώτατον: scriptus rectè. sed hoc leue. Paulò pòst ὅτω τὸ σῶμα μιγὸν lege, non γέμα, idq; in scripto supra uocem σῶμα fuit allitum, quam tamen genuinam esse adeò liquet, ut etiam nullius codicis fidem secutus eam fuerim pro γέμα recepturus: nam non ob oris modò, sed oculorum quoq;, & aliarum corporis partium continentiam laudatur Vlisses ab Homero & Plutarcho. quod totum pertit, si γέμα legamus: uiget, si σῶμα. porrò apud Homerum Odyss τ. 494. ὡς ὅτε τις γόμφῳ λίθος legitur, ubi hîc ὕψι ποδὸς ὑρατόφιν ἀρῦσ. Sed non solet Plutarchus syllabas apices ue locorum, quæ citat, ubiq; appendere. ut alibi etiam docuimus. Id quoq; dissimulare nolui, quod de lingua iudicium Pittaco hîc tribuitur, id Bianti in libro de septem sapientum cõuiuio adscribi. tametsi μνημονικὸν ἁμάρτημα cũ aliis hoc quoq; potiùs crediderim, quàm ut diuersorum esse eos libros autorum assentiar: maximè, cum unum post alium scripsisse probabile sit, & modò hunc modò illum secutũ. Neq; est ignotum, idem apophthegma sæpe diuersis tribui. De lingua censura & admonitio efficacior est D. Iacobi in sua ad Christianos omnes epistola. Paulò pòst παῤῥησίαν ἄγουσα. quàm mallem legere παῤῥησιάζουσαν? certè in scriptis libris uersati quæ sunt, ex nostra lectione illam à librario ossitante potuisse effici facilè intelligunt.

380. 36. Omnino autem.) τὶς δὲ ὅλως. legebatur ἄλλος. Sed in scripto expressissimè est ὅλως. idq; sensui congruit, cui alterum officit. Omnino (inquit) qui suum arcanum alteri aperuit, id efferentem eum liberè accusare non potest. cur enim ipse non tacuit, si res silentio premenda erat? cuius ignarus alter, quî eam effutuisset? Sed pro ὅπου σιωτὸν, legerem ὅτου, sententiæ commodo. Sed non multum refert. Multo etiam rectius uidetur ἐρομένης nostrum, quàm ἐρωμένης, quod habet scriptus. notum est eruditis quid sit ἔρεμα, & συνέρεμα, adeóq; ἐρεμὸς.

383. 24. Lysimacho.) Λυσιμάχῳ. sequitur πρὸς ἑαυτὸν. quod expunxissem, etiamsi in scripto reperissem. Si quis tamen

omnino retinendum putat, interpretetur seorsim, solum ad se.

385. 26. In mente num nam.) τί δαὶ, non δή, scriptus. senarij sunt. ac uidetur esse dialogismus. Infra ἔοικε, τὸν προδότην.) sic scriptus. non ὦ τὸν. planè enim illud ὦ abundat. proditorum horum mentio est etiam περὶ τύχης apud nostrum. Quod ad equos prodentem attinet, alluditur ad Dolonis fabulam Iliad. κ.

387. 7. Certaminibus de rep.) διαπολιτέαις. pro eo est in scripto πολιτείαις. Sed ego uocem bene elegantem retineo. qua etiam in suis thesibus politicis usus est Cicero ad Atticum libro nono, epistola tertia. Iambicus autem octonarius ὁ φιλαίθρωπος, &c. extat etiam apud nostrum in Poplicola, & Epicharmo tribuitur. Paulò pòst, legendum est cum scripto ἐδιδάσκουσε δυδὲν, αὐλίσησιν. ubi nos malè distinctio loco uerbi primam syllabam amisimus. Locus Platonis qui paulo post citatur, est in Protagora.

389. 27. At Atticus.) de hoc suprà uersus, ut conijcio, comici recitabantur, in libello de curiositate, 299. 21.

392. 27. Non ineptè subiecit.) lego ὁ φαύλως ἐπιτυχεῖ. ἐπιτυγχάνειν est respondere, subijcere. itaq; legitur in scripto, & usurpatur alibi à Plutarcho alijsq;. non ἐπίτυχεῖ. infrà λοιπὸν σαθμὸν πρὸς τὸν λέγοντα ὁ ἀλόλιστος. sic scriptus. articulo omisso, noster sententiam ambiguam reddiderat, cum ἀλόλιστος adiectiuum iungi cum σαθμῷ uideretur. prouerbium est λοιπὸν σαθμὸν ab Erasmo illo Magno non malè explicatum.

394. 37. Semper debet.) τούτοις δὲ ἀεὶ δεῖ. Sic scriptus. pro δεῖ, impressi habent ηχὶ, sententiæ detrimento.

395. 21. Profligantes.) τῷ προσίχειν ἀποβιαζόμενοι. Sic scriptus, quanquam ἀσωβιαζόμενοι, quod nos habebamus, supernè à correctore annotato. utrum melius sit, obscurum non puto.

IN LIBRVM DE AMORE diuitiarum.

390. 9. Diuitiæ in se.) Legi enim, τῷ πλουτεῖν ἐνυπάρχειν. Hic locus in scripto rectè habet, malè in impresso depravatus.

Paulo

Paulo pòst λεῖν ὄχεα λεροτίνυτος. alludit ad Homeri Iliad. ο. 453. uocat autem hîc currus inanes, quibus decertabatur, id est, uanitatem sumtuosam. Hîc impegit Erasmus, nescio quos magnificos currus architectatus.

398. 21. Est hoc de Thrasonidæ malis.) Totus hic locus è comœdia aliqua uidetur desumtus: & conferri diues qui suis opibus non fruatur cum Thrasonida comico, qui amica potitus, copiam sui facientem non amet. cuius adeò sit hæc exclamatio:

Ἆ πολλὰν, ἄνθρωπον εἶδ' ἀθλιώτερον
Ἐφρακας ἆρ', ὀρῶντα δυσποτμώτερον;

Sunt enim senarij sic legendi, & scriptus quoque comparatiuum habet pro ἀθλιώτατον.

Hominem'ne, Apollo, uidisti miserum magè,
Cui resq; in amore infeliciùs essent sitæ?

399. 23. Huc adegit.) σαπραγόρα προσέξ. ita omnino etiam in scripto est: sed monstri similis lectio. & ἄγει, non ἄγει. post ὑφαίρεις noua incipit sententia. δεῖ autem ex scripto insere post περίεσθαι.

401. 23. Furtim potuerunt auferre.) ὅτι ἀκέοντες τι μαυθάνουσι. λαυθάνουσι haud dubiè, & uel ἔτι, uel ὅ, τι. Sed ἀκέοντες non concoquo. uerbum enim uidetur requiri, quod furari significet.

402. 9. Iis non uti.) Legitur οἱ μὲν χρῶνται. sed οὐ ex scripto inserui. itaq; demum argutè dictum est, aliâs friget. non enim contra officium est, uti opibus suis. Sed uel non uti, uel malè uti, in uitio ponitur. Mox cæcæ reuera sunt.) legendum ἀλλὰ τυφλὸς ὁ πλοῦτός ἐστιν. ὡς, &c. è margine scripti. Eadem Theophrasti sententia tangitur in uita Lycurgi, qui hoc Lacedæmone effectum dedisse perhibetur.

403. 31. Quibus omnibus tanquam.) Inter μάρτυρον & ὃ τὸ μυελὸν desunt hæc uerba, quæ è scripto inseras. εἰς δὲ πᾶσιν ἐμπομπεύειν ἑαυτὸν. utrum tamen ἐμπομπεύειν

potiùs quàm ἐμπομπεύειν sit legendum, quiuis uiderit ibidem etiam est ὅσαν. ἀλλ' οὐχ ὅμοιον γε, &c. & αὐτὴ ἑαυτῇ. & τ' ἀγαθὸν est suprà τ' ἀγαθὸν. ante ἄξιον deest ὤν, nisi interrogatiuè legas. μηδενὸς nouam inchoat sententiam.

IN COMPARATIONEM ANIMI & corporis perperſionum.

405. 3. Propter animum ne.) πότερον διὰ τὴν ψυχὴν. in scripto est τύχῃ: nostra, quæ & uerior est, lectione suprà scripta. sequenti uersu πρὸ pro παρὰ ex eodem & necessitate lectionis scribe.

406. 22. Eas se rectè gerere.) ἐπιτυγχανέιν pro ἀποτυγχανέιν scriptus habet, & requirit sensus. Statim uerò lege etiam ἐπὶ pro ἐπὶ. Infrà, ὥστε περὶ τούτοις χαίρειν.) scriptus, ὥστε περὶ διὰ ταῦτα περὶ τούτους. & prope finem ἐκβ. τ. ὀσίαν. scriptus τὴν Ἀσίαν. Declamatiuncula esse uidetur eruditi alicuius, nihilq; habere Plutarchicum: nisi si quid scriptor non admodum peritè est imitatus. quo facilius fero iacturam, quod totum hocce non extat: neq; admodum cum correctore scripti libri laboro ubi reliquum inueniatur.

IN LIBRVM DE FORTVna Romanorum.

409. 19. Fundamenta Romæ iecit.) ὑποβαλόμενος. Budæus legit ὑπολαβόμενος. ὑποβάλλεσθαι uidetur esse positum pro ordiri, moliri. Mox autem ubi uulgò legitur ὁ ὄφιν ἱερὰν, & mendosum haud obscurè est, ὑσίαν ἱερὰν restitue ex scripto. Budæus sacellum uertit, siue libri boni fidem, siue iudicium (quo mirum in modum polluit) secutus. Vesta autem domicilium stabile notari, non est obscurum.

περὶ Λούκιον Κίκιν.) Scriptus περὶ Λούκιον περὶ Κίνν. sed nostrum præfero. quanquam Budæus quoq; E T interiecit, & fuerunt etiam præter Cincinnatum alij fortes Lucij, ut L. Manlius Vulso & magnus ille L. Papyrius Cursor, atq; alij. Mox. ἐφὰ δὲ περὶ

τὸν Γάϊον μαρίου, scriptus Κλαύδιον, inepta Claudij inculcatione. in uersu legendum ὑπολιτοπάλαι & αὐτιπάλοις Grammatica docet. Ego pentametro expressi. Sed è Pindaro citatur oratione de Alexandro posteriore, & αὐτιπάλοισι legitur. Ad rem nihil interest, & de hac licentia professus sum alibi.

411. 3. Obitu mox euanescere suo.) ἅτ' ἄνοισιν ἀκλέης. in ultima uoce puto esse mendum. nam & ἀκήδεια minor est, quàm ut fortunæ destituenti debeat exprobrari. (præsertim cum res aduersæ non multas ferant λειπῶτας) & ἀειδὴς melius huc quadrat, euanescente subitò fortuna, quæ olim splendebat. Enimuerò hæc acerbum Budæus habet: cui ut me non oppono, ita ἀκλὴς tamen acerbum esse non facilè credo.

ibidem 15. Non enim incerta.) οὐ μὴν γὰρ ἀπαυδὴς. Pro his in scripto est οὐ μιγαωχιδὴς, Budæus, incompertam reddidit. optimè. Nam ita & Homerus usurpauit Odyss. γ. 88.

Κάνε Δ' αὖ περὶ οἴνοιο ἄνωγα δῆμι Κρονίωνι.

De quo nihil auditur. Significat etiam, qui nihil audierit, libri eiusdem uersu 184.

Ὡς οἶνον φίλιτατόν ἄνωγα δῆμι.

Vtranq; significationem Eustath. & Suidas agnoscunt. Cur egò uocabulo incerta usus sim, Pindari locus satis ostendit.

ibidem 33. L. Diademato.) περὶ Λούκιος Διαδήμα. Budæus quatuor fratrum nomina planè omisit. Plutar. in Coriolano Vittati huius mentionem facit: in scripto etiam erat Διαδούμα. Sed horum Metellorum historia non ita est obscura, ut non possit constare de emendatione. & ut Scaurus λαχὼς εὐδοκιμῶν dicereturr, ne scripto quidem libro ita perhibente, tolerare potui. Cur nouus uocetur, cùm alioqui Scaurorum familia maturè apud Romanos fuerit nobilissima, ex ipsa re hæc disces.

412. 23. Tempore vixit: cùm iam.) γεγενὼς ἤδη. Etiam in scripto signum est à correctore allitum, quod locum mutilatum indicet. deest autem uox διαδιδόντων ante ἤδη. nam

(quod sanè Plutarchicum minimè est: etsi satis appareat de Chæroneæ paulo suprà posita mentione, libellum Plutarchianum fuisse) integra pòst pagina & amplius: hæc ad uerbum pœnè repetuntur. Quod mox sequitur de Fortunæ templo ab Anco posito, quæ cognominis esset fortitudinis, aut saltem affini nomine prædita: fortè ad Fortunæ Fortis dedicationem refertur. quanquam eam Seruio Tullo Liuius adscribit. Alioqui inter Fors & Fortis, unde fortitudo deducitur, uicinitas est nominum, quæ ἀπὸ τύχης uidetur: quam fortasse autor studiosè & consultè institutam uoluit dicere.

417. 23. Ex validis roboribus.) ὥσωφρ ἐκ δρυάδων. Scriptus δρυάδεων. intelligit querna ligna. mox pro μυελὸν in scripto est μύλον (qui & Solonem uitiosè pro Silone habet) ego nescio quid sit legendum. neutrum enim horum noui. sanè inter socialis seu Marsici belli duces quidam nominatur Papius, cognomento Mutilus, cum Popedio Silone. 418. 6. Corpore exercitato.) σωμασκήσας ex scripto reposui, cum fœdè legeretur συμμαχήσας καὶ. mox πολέμῳ τύχῳ. non memini me legere hoc, & πόλῳ mallem, ideoq; belli portà reddidi. de qua præter alios Virg. 1. & 7. Aeneid. Consulis nomĕ, sub quo Ianus iterum fuit clausus, ex historia & Numa nostri posui.

419. 24. In Abesemis.) ἐν ἀβησυμαις ἐπιστρεφομένους. Sic omnino est in Græco, scripto etiam, in quo pro μισκῶσαν est ineptè μισικῶσαν. Ego Cumas noui, ἀβησυμαις quid sit, nŏ inuenio. suspicor autem pro ἐπιστρεφομένους esse reponendum ἐπιτρεφομένους: ut fortunæ puellæ, nec dum adultæ satis, sed certo interim enutritæ loco honos habitus uideatur. Budæus hæc uerba omisit interpres, quia (puto) uti corrigerentur ne ipsi quidem succurrebat. Sed & illud ὃ ὡς ἀλλόδ& uidetur suppositicium. Venus quoque ἐπιταλαρίου Budæo ignota fuit, ut & ab alijs præterita. quam tamen ego non repudio. ταλαρ& enim calathum significat, nentium mulierũ quasillum, ad quem Cæneus Ouidianus à Centauris relegatur. Plutarchus in problematis

tis fuisse ostendit, qui inde Talasium dictum putarent, omen nuptiale. ut talem Venerem inter tam multas fuisse non absurdum sit.

420. 21. Non dimissurum.) καὶ προσιδαι. omnino legerem καὶ μὴ προίδαι. quid Budæus legerit nescio, nam de triumpho in meis quidem libris nulla mentio. sed & quæ sequuntur, integra non sunt. προσιώδρυον scriptus habet, non πρὸς σιωδρυὸν. Sed deest aliquid. Deinde pro σωνοσήσασαν, quod scriptus habet, & ratio probat, malè legebatur σωνολήσασαν, uoce nihili.

IN I. DE ALEXANDRI fortuna.

427. 6. Porrigentibus manus.) συνῆπτον αἱ Ἄβλιαι. sic scriptus, idq; historia & sensus requirunt, non Θῆβαι. neq; Budæus historiam mendo posthabuit.

429. 30. Prophthasiam.) δὲ προφθασίαν. scriptus προφασίαν. Apud Strabonem tamen lib. XI. legitur προφθασίαν. de hoc alibi. Idem ὑποδιαθᾶσα habet. Sed neutrum expedit sententiam.

431. 21. Non Medicum.) προσήκατο τὸν μαθητὴν, ἀλλὰ τὸν υἱόν. legendum est.

434. 2. Quomodo putas eum.) πῶς γὰρ αὐτὸν ἔχει. fortè ἔλεε, uel ἔλει, aut aliquid tale. sunt & alia passim in hac cuiuscunque autoris (magni enim Plutarchi esse non credo, & Lysandri dictum, ne cætera persequar, Dionysio tyranno tribuitur) declamatione, non optimè cohærentia. quæ facilè obseruaueris. & finis non adest, nisi fallor. aut certè abrumpitur oratio pœnè insolenter. sicut & Fortunæ oratio, cuius initio mentio fit, non habetur. Idem de secunda oratione iudico.

IN II. DE ALEXANDRI fortuna.

443. 13. Libertum se P.R.) ἀπελ. ἑαυτὸν Ῥωμαίων. Sic

& scriptus, & ratio. Nam non Romanum, sed libertum Romani populi se professus est. Mox μίγα ἀλὶ τὸ ἄρχειν. scriptus τῷ habet. deest uocula, deinde ὁρίμβητο ἀρχιμβατοῦν ὧν' αὐαρχίας. probè.

445. 21. Luxuriant.) Metri causa scribe ἀδῦναι. nam (quod ante nos notauit quod sciam nemo) tres sunt senarij de comœdia aliqua sumti. Paulò antè hexameter est λαὶ λι ϛωὴ apud Aristophanem equitibus.

447. 6. Non planè.) ὲ ϖαύτως, ἄϖϛν. non ϖαύτα: ex scripto, cui adstipulatur ratio.

448. 27. Ferreus ille.) σιδαρῶ ἐκεῖν☉. alludit ad poëtæ alicuius Doricum uersum de homine durissimo alioqui, sed ui amoris emollito. legebatur ἐκ τιν☉, & in scripto spacium uoculæ erat, in margine uox præcisa, quæ tamen ἐκεῖν☉ uidetur fuisse, quod sensus postulat. Paulò infrà. τὸ λειάδημα τῦς βασιλέας. scriptus ἀσίας. Sed φόρων aut aliquid deest, ne sequentibus quidem integris.

451. 12. In Maragandis.) ἐν μαραγανδοις suprà priore oratione, ubi hoc idem refertur, ϖρὸς μαρακαλάϸσοις legitur. paulò post habebis μαράκανδα. mox uersus Homeri de Iliad. ι. totus erat etiam in scripto. Locus de Minerua est Iliad. δ. 128.

452. 23. Parum abfuit.) lego, μικροῦ διὰ. nam legebatur ϖρὸ μικρᾶ. & in scripto ϖαρομικρῦ. atqui neutrum erat Græcum. Si ϖαρὰ μικρὸν legere uelis, per me licet.

IN DE ESV CARnium. I.

459. 33. Penetratu difficili.) ἀνοδιαϛατῦϛ. è scripto. nam concinnior uox uidetur, quàm ἀνϛατοῦντι. est autem ἀνοδιαϛαλοῦν, quod non facilè discedat à se aut diuellatur, non facilè intercapedinè admittat, ideoq; uisu haud facilè penetretur. illud autem ἐκεῖνι ϖρὸϛ ϲι quid sit è alluditur deinde ad alicuius poëtæ uersus. me in tantilla re piget molestiæ coniectandi.

460. 12. Radicem alicuius herbæ.) stirpis. est quidem φλοιὸς cortex. sed quin herbam etiam aut stirpem significet

sicet, nihil impedit licere suspicari. Vide caput octauum libri quinti Symposiacῶν.

461. 6. Lolij aristam.) ἄϖρας τάχω. loliginis. sic scriptus. nam ἄϖρας quidem non minus huius loci est uitium, quàm lolium tritici sed & ἐριβάχλω scriptus habet, ubi nos ἐριβάντω, acutiores uiderint quid sit substituendum pro hac uoce: mihi ἐροβάχνη succurrebat. nolui tamen acutioribus præiudicare.

Statim. Quid si quis orat.) τί ἂν ὲ ϖρο τοιῦτον. ex scripto. Neque tamen omnia rectè habent.

Pòst. 15. Operam impensam.) ualdè sunt deprauata hæc. τὸ φύλαιον quid sit nescio. Ego ζούλαιον suspicatus sum scripsisse autorem: oleo pro opera insumta posito, cùm ad lucernam scripta esset oratio. Sed hæc est coniectura, nihil aliud. Pòst. 32. Sublatam.) Scriptus rectissimè ἀϖενομισομένω.

462. 12. Non malleo.) τυσαύω, quam uocem non noui. à τύπτω uidetur τύμπανον non abesse sua origine, ut fortasse instrumentum, quo feritur aliquid, significet.

γῦναι τι ἐωειτα.) Hæc uerba bis posita sunt, haud dubiè falsò. In scripto posteriore loco sunt expuncta. Pindari uerba desunt, nota in Olympicis. uide prouerbium sus Bœotia. de Heracleti dicto, alibi annotauimus. Autor se Bœotum facit: magnum Plutarchum esse uix credibile puto. fortè ἐκλογὴ sit eius ex oratione aut cõmentario hac de re compositò: nam ubi est id, quod posterioris orationis finis, nobis quidè ꝑmittit. Reliqua nõ optimè cohærent.

464. 11. Machinã tollit.) ἄϖρα pro ὄρᾶ debere scribi, certũ est. notum est quid sit machinam tollere, & βὸς ἀϖὸ μηχανῆϛ.

IN II.

ib. 32. recentibus.) ϖροσφάϖϖ. scriptus ϖροσφάτως. sed alterum malo. In eodem erat ὠδίνας, quod est rectiùs, & est (ut apparet) uersus Hexameter. malim quidem λυκῶν legere in eo, aut saltem (si quis ν breue uult, cùm in Homerico λυκῶ ad apocopam accedere potuerit synæresis) λυκίων, miscens. ut ad originem nominis λυκίων uersus respiciat. scriptus sanè habet

luvειῶν. nisi fortè ὠλίνας participium est uerbi ὠλίνω, parturio. Emendari uidetur posse proxima periodus, si ita legatur: ἀ μὲν ἀλλ' ἀ περὶ ἀλίωατον, ἢ διὰ τ σ.τ. αὐαμάρτητον, αὐσχυνόμενοι, τῷ ἁμαρτάνειν χρησόμεθα κατὰ τὸν λόγον.

466. 16. Acfastigia) προσφ'ριοδαι. nimirum deest προσίταξιν, aut aliquid tale. sed τέρψεις uox est huc nihil faciens. legendum uidetur ὄρθψεις, quod ὀρόφους significet. Nam alibi Plutarchus fastigium & ianuam disertè coniungit, hoc referens.

ibidem 24. Initio.) ἀρχῆ δὲ μοχθ. non ἀρχὴ. ex sententia, quam alibi quoque à nostro positus senarius aperit. & ἐν ante θεὰ πατεῖται ipsa loci sententia tollit & pro ἀιδήσεώς τε, ἀιδήσεως γε poscit, ut & παρὰ τῆς φύσεως pro πόρι. pro μόρῳ δικαίως, uellem γένοιο δικαίως.

467. 14 Philosophiam ad Scythas.) Σκύθας φιλοσοφῆσαι. deest Constat, apparet, uidebitur, aut aliquid tale. Sed & πυρία quid hîc sit aut agat non uideo. & Pythagoras certè non negauit, sed affirmauit, esse quandam hominicum brutis societatem. Stoicos negasse isthuc, cùm aliunde euidenter patet, tum ex huius etiam orationis qualicunq; fine.

ibidem 26. Qui Epitedæus.) ἐπιτήδεος προσηγορεύθη. nomen suspectum, ut & Polemarchus. Sed in libro de terrestrium animalium cum aquatilibus comparatione, in ipso exordio idem legitur, ἐπιτήδεος ἰλίχθη: ut appareat non esse proprium, sed hoc significare, dignum supplicio habitum.

IN LIBRVM QVOD PHILOSOphus præcipuè cum proceribus debeat colloqui.

470. 9. Sorani.) Λωρηανὸν. scriptus Σωρηανὸν habet. Fortè Σερεανὸν. ea fuit nobilis familia. Erasmus quidem præterijt. & supernè ad φιλίαν τοῦ μετάνοια, allitum φιλίαν τιμᾶν. & in Aristonis dicto ἔαυτῳ pro ἑαυτῶν. Sed uereor ne hæc & alia id genus si indicem, non tam in librarios, quam in ipsum uidear non nemini inquirere autorem: qui mihi hîc quoque nequaquam uidetur Plutarchus magnus quædam tamen ex scripto emendaui in meo libro.

471. 36. Inspiceret mores.) ἐφορῶμενον, non ὑφορώμενον. Est autem usurpatio Homerici uersus Odyss. ρ. 488. quod non uidetur obseruasse interpres. Loquitur autem de nobili Africani legatione, cuius mentio apud Tullium in Lucullo, alibi, & apud alios.

472. 3. De Elenchis.) in textu πολιτικῶν φιλοσόφων nihil est. suspicor scribendum fuisse πολιτικῶν φιλοσοφῶν.

ibidem. 19. Non est seditio.) ἡ στάσις. apparet uel ex poëtica πῶσαι τῶ μιλήσιον. uersum esse heroicum. qui stabit si legas ἡ στάσις, ὀλίγη, & μιλήσιον. Mox: administri sui.) τῆς τῶ προσπόλω δυγαθάσιν. utrum proprium nomen est Prospolos, an administrum significat? Ego sanè ignoro, & rei non memini. sed posterius amplector. Versum apparet esse heroicum, sed μιχανήσαιο non congruit. fortè τιχυήσαιο, aut quod in margine scripti est μαχλήσαιο. quam tamen uocem non probo, cum ne μαχλοσύνη quidem antiquum Eustathio uideatur. ibidem pro μήσια quod nihil est, legitur μήδια: & in margine μίσια. λαλαχίαν clumbem uersum reddit: etiam λαταχίνα, tametsi una syllaba minus. Vtut legendum sit (neque enim μήδια improbo, etsi uox ambigua est) sensus uidetur, Iratam Venerem ijs quæ præscriptione amoris malis artibus circumuenirent & expilarent adolescentes.

473. 5. Eos duntaxat.) Hæc μὴ in ὑμᾶς μὴ μόνον liberè expunxi.

IN LIBELLVM AD PRINCIpem indoctum.

476. 19. Atque est homo.) ἀς ἀνὴρ ἴφι. in scripto notatur legi etiam ἴφι. utrumque stare potest. ex Lucullo Plutarchi apparet ἴφι rectius legi. ubi hoc ipsum refertur.

477. 36. Oromasdes.) Persarum deus, ut apparet, nominatur μισοφομάσδης. is à Plutarcho Ὡρομάσδης et Ὡρόμαζος

etiam uocatur, in uita Alexandri, de Iside, in Psychogonia. sic & ab alijs. μισορὴ quidem mensis huc nihil facit.

479. 5. Ius & fas.) κλέπτῳ δὲ. Hoc λλάτῳ perspicuè falsum obrepsit, neque satis liquet quid pro eo reponendum. fortè γνῶθι, aut ἐκ εἰδέας, ut in Alexandro Plutarchi, unde & θέμιν hinc elapsum reduxi, cuius mox mentio fit. pro διόμνυ & ἰώμεν & ex scripto ipsa etiam sententia flagitante, reponendum, & δεῖ quoque interuersum, ut sit ἀ δι δεῖ. Mox pro ἀφιλέας legerem ἀφιλέας. Sed scriptus habet ἀλυδέας, certè uel simplicitas, uel ueritas rectiùs quàm utilitatis Dicæ attribuitur.

408. 20. Suum adiungentes.) legi enim τάξουτις ἰδίους. est etiam in scripto πράξουτις, nullo sensu. paulò suprà πράγμασι μυρίας. in margine est πραγμάτων quoque legi posse: & uerè. 481. 3. Dementia motibus.) ex eodem margine αὔσιαν scribendum pro ἀνίαν. quod cùm Erasmum falleret, factum est ut redderet affectibus effectum addit. ibidem 22. Nimq; statim.) ἐκεῖ γὰρ ἤδη. Infrà de uirtute morali legitur ἤλπει & pro σάλον σάλῳ.

IN LIB. DE VIRTVTE MORALI.

483. 22. Excitauit.) ἀγάρας. scriptus ἐγάρας. Locus est in Menone. Plutarchus apertiùs eodem alludit initio πολυφιλίας. Paulò superiùs. ἐν δὲ διαφθίσεις. scio posse hoc ferri, si inter uoluptates & earum tempora diuisionem uelis interpretari: ego tamen ἐν δὲ τοῖς ἀφθίτοις suspicor fuisse scriptum, aut ἀφθίτοις. interpretatio utriq; satisfacit.

484. 33. Principium exhibeat.) ἀρχὴν διαφορᾶς ποὶ γένεσιν. hæc non sunt integra. ἄρχειν διαφορᾶς ποὶ γένεσιν scriptus, & γρ. ἴσασιν in margine. fortè nostris deest uerbum παρέχει, aut simile.

485. 3. Gubernante opus habeat.) διόμενον. s. τὸ πρατοῦντος, λυβερνῶντος, σωζόμενος, aut quidquid tale, quod excidit. ὧδι πλέον Α' ειν. scriptus ὧδι πλεῖον, quod placuit.

487. 13. Non foris vagetur.) πλανώμενον ἐξωθεν. legendum arbitror πλαζόμενον, ne longiùs abeat à uestigijs ueræ lectionis coniectura.

482. Quæ semper eodem modo.) πρὸι τὰ ἀεὶ ποὶ τὰ αὐτὰ, monstrum est. fortè πρὸι τὰ αὐτὰ, ποὶ ἀεὶ ὡσαύτως. Nam τὸ αὐτὸ uocare uidetur id, quod sui semper simile est, neq; fit ἕτερόν πως ulla mutatione. quo pacto DEVS uerissimè dicitur ὁ αὐτὸς Psal. ρα.

489. 30. Eiusq; gratia appetitus.) ποὶ διομένη διὰ τῆς παθητικῆς. uidetur legendum τῇ διομένῃ διὰ τοῦτο τῆς, &c. ut τοῦτο ad σῶμα referatur: itaq; etiam sic conuerti.

490. 27. Stuporem animi nullo sensu.) ἀπαθέας. Hæc ὦ de meo insercrem: nam uox εὐαισθησίας corrigit uocem ἀπαθέας. & Stoici ἀπαθῆ hominẽ ita fingunt, ut tamen εὐαίσθητον eundem ipsi non profiteantur.

492. 24. Impellit ira.) ἵλκει γὰρ ὀργή. sic & scriptus. & suprà ad principem indoctum. & uersus aliter non stat. & ὀνάλιτ' rectiùs hîc legitur. Prior Iambicus ex libello de poëtis audiendis & metro ac sensu est emendatus, ἀνύρτηται & sententia flagitabat, & scriptus habet. Iam in Timonis Sillo legendum est ὅπαν ὀρόσαι, & μίνος· ὃς ῥα. pro ὧν τῇ legitur in Symposiacis 7. 5. 493. 23. Aequabili quietem.) ὁμαλὶς ἡσυχίαν. lege cum scripto ἄσφυκτον. quod motus & exagitationis est uacuum.

494. 5. Felis metu.) γαλῆς φόβῳ. ex scripto reponendum pro γαλιοῦ φόφῳ. & uersu priore μόνοι idem rectè pro μόνον.

ibid. 15. Non animaduertentes.) id est, qui non animaduertamus uerba hæc. οὐ σωφρωνίζει non sunt integra, neque sententiæ cohærent. refert eorum sententiam, qui affectus ipsius ὑγιεινὰ motus & opiniones putabant. & si legas, οὐ σωφρῶντας quarto casu, congruent omnia.

ibidem 27. Euidentiæ.) παρὰ τὴν ἐναργειαν. refellit hanc opinionem, ut euidentiæ & sensuum indicio pugnantem.

legebatur ἐνόρχεων. sed is error etiam alibi fuit à me notatus, & mox idem τὸ ἐμφανὲς dicit. deniq; etiam infrà Stoicos in æquandis peccatis errantes notans, idem habet.

497. 26. Et adolescentes.) ὥσπερ αὖ καὶ. Scriptus ὡσπερ οὖν. non placet, cùm aliud exemplum superiori subiungatur. Mox pro μιλήσιοι lege μιλλήσιοι, & ἢ καὶ αὐτοῖς ῥᾴων τινα διὰ τέλους ἐναγώνιον. aliàs nullus est sensus. & mox: σύμφυλον ἃ τὰ αὐτὰ πάθη, &c. Hæc quin sit genuina lectio, docti, puto, omnes fatebuntur. Paulò antè in senarijs de duplici uerecundia ἔθνων mutandum in οἴκων, ex scripto, ita quidem etiam flagitante sententia.

498. 12. Conturbationes,) quid uocabuli sit σωλοφορσις, nondum didici. ego σωλοφορήσεις legi, quod & uicinum uoci nihil significanti est, & à sensu minimè alienum. agitationem enim quandam ac conturbationem aut conquassationem significat: ut cum in olla quæ coquuntur, tudicula uel cochleari exagitantur. ἠοργὴ cochlear significare Græci docent. inde ἠοργίσθαι, durch ein ander rueren. neque sanè sophisticas διακρίσεις agnosco, & διακρόσεις aut aliquid tale puto Plutarchum scripsisse. nam non ita multò pòst uoce διακρούεσθαι utitur hac significatione. 437. 3.

500. 29. Fuit isto tempore.) τὸν χρόνον. Hic uersus non constat. & ex loci sententia legendum uidetur:

τὸν χρόνον, ὅτ' ἐ ταῦτ', ἀλλ' ἐκεῖν' ἐφρόνουμεν.

Sic autem rectiùs uertissem:

Fuit isto tempore, quo non hæc decreuimus,
Sed illa.—

502. 37. Auellere.) addendum colliquando'ue separare. ἀποῤῥήξειν. legitur ἀπολύξειν, quod est mordicus auellere, demordere: sed nunquam potui credere rectè sic legi.

IN LIB. AN SENI GERENDA sit Respublica.

505. 14. In altas.) ἐς αἴσω, non ἴσω. extat & in comparatione animalium terrestrium cum aquaticis.

506. 4. Arci tyrannicę.) ἐκεῖ τοῖς τυραννίσι legendum τυραννείοις, arci, in qua tyrannus munita stipatus, quasi in carcerem compactus, uiueret. & ἐγκαταβιώσαι lego, non σαι.

507. 24. Militum * At.) ἐ γὰρ τοσοῦτον. Locus mutilatus. quod ubi sensi, asteriscum margini addidi. suprà ibidem 16. Non malè.) μὴ καλῶς. aut μὲν aut nihil lege, aut scribe καλῶς, si sententiam commodam quæris.

508. 25. A filijs.) ὑπὲ πολλῶν. immò ὑπὸ παίδων. Certè & Cicero in Catone, tradit à filijs Sophoclem accusatum, quòd desipiens rem familiarem negligeret. & Lucianus σοφοκλέους παραφρονοῦντος filium Iophontem accusatorem nominat: & cur eum πολλοὶ accusassent? Facilè etiam parodi Sophocleæ uerba ex ipsa tragœdia correxeris.

509. 2. Paulum tragœdum.) παῦλον. Hic quis fuerit nescio: certè nomen meritò suspectum mihi esse quiuis crediderit. Interpres Polum posuit, nescio quid secutus. non equidem memini me nomen eius inter tragicos alibi audire aut legere. nisi quod pro histrione sumitur in Politicis præceptis 499. & de gloria Atheniensium 529. quod huc non facere uidetur.

ibid. 31. Volúntne eum.) πότερον ἀφροδισίαν. Locus lacer. & uox αὐτῆς non quadrat. quid si ἀφροδίσια ναύτεως scriptum fuit. ut nautis conferat, naui non in portu constituta, sed in alto deserta Veneri festos agentibus dies? Sed nihil tale de nautis comperi. Videant docti. Interim dubitari non puto an pro ῥιψίζειν non sit ῥαπίζειν legendum. ἄλως autem pro ἄλλως lego. & ibi docui ἄλως etiam feminini esse, quod uocant, generis.

521. 9. Quorum quasi opifex.) οἷον δημιουργὸς. ὧν haud dubiè, aut saltem ὧν οἷον.

ibidem 33. Quomodo Del.) ὥσπερ γὰρ εἰ τὸ Δηλ. uel γὰρ abundat, uel deest aliquid. prius puto uerum.

514. 16. Aes vsibus.) λάμπει γὰρ ἰν. Senarius est, & χαλκὸς initium alterius, qui etiam hoc ipso in libro integer refertur. pag. 481. Locus autem est mutilus. & uidetur tale aliquid fuisse χαλκὸς. τῷ δὲ τὸ σώματος ἀδύνατος ὂν τοσοῦτον κακὸν. Sed & illud ἰσοφαλμίνα non cohæret.

516. 11. Missam iam nunc.) καταυλιδῶν λήδη. apparet ὕδη fuisse scriptum: sed quid pro καϊλαυλιδῶν scribi debeat, non assequor. In uoce ἀμφιπόλῳ alluditur ad Odyss. α. 190. Ex horto, seu hortenses philosophos dici Epicureos, ex alijs Plutarchi locis, ac aliunde est notum.

ibidem 28. Tumultum & strepitum.) Si ῥαχίαν ποιεῖν rectè scriptum est, sanè tralatio est non nimis uerecunda, ut tumultum & fremitum significet, qualis est fluctuũ maris ad ῥαχίας. profectò autem sequenti pagina rursus ῥαχία est cum ψόφῳ coniuncta, uersu à fine quarto. neque ita multò pòst Agamemnonem rex regum dicitur. quod si ita scriptum est, eò dicitur, quòd sub se reges multos ea in expeditione habuit.

519. 27. Sicut Ibin aiunt.) ὥσπερ τὸν ἶβιν. quid rei aut materiæ medicæ sit ἶβις, adeò non reperio, ut mendosum non dubitem locum. βρομῶδες uirosum significat. De Ibide aue accipi posse quis putet, aut quid ei cum rebus aromaticis rei? Fortassè ἶβηλις est scriptum, aut quiduis aliud. Videant naturæ rerum periti.

521. 8. Facere se hoc.) ὅτι τοῦτο ποιεῖ. Post hæc uerba curaui asteriscum signari. Desunt enim alia, quibus causam reddit, cur tali ueseretur pane. Polybij liber ex quo hæc referuntur, periit. & tametsi apud Tullium in Catone, ac in Suidæ collectaneis ac fragmento Diodori Siculi de libro XXXII plura de Masanissæ senecta ac duricie referuntur: tamen inde quod hunc impleat locum, peti non potest, quod sciam.

523. 21. Omni magistratu.) πᾶσαν ἀρχὴν ἐπαυρόμενοι. Sic Græcos loqui non puto. ἐπαυρόμενοι lego. 257. 20. Quod de sacerdotibus Ephesiæ Dianæ scribitur, ἐμέως ἐνάτου, posterior uox in ἔναρον aut in ἐνάτῳ mutari debet. in utrum, non contendo. Certè Strabo lib. XIV. Eunuchos scribit fuisse Dianæ Ephesiæ sacerdotes, qui Megabyzi dicerẽtur: sed ita, ut secum haberẽt sacras uirgines. de quibus ut accipiam, monet me terminatio in ως, etsi accentus non respondeat, uitio (ut infinita alia) librarij fortassis. nam λαλῶσιν quidem accusatiuum requirit: nisi insolenter loqui uoluit Plutarchus. Mutila sunt quæ sequuntur, sensu interim liquido.

IN LIB. DE PRAECEPTIS GERENDÆ REIPUBLICÆ.

533. 9. Ferre fortunam.) λοιπὰς λαθύπορδι γαλάνας. Verba sunt poëtæ alicuius, Pindari puta, aut alius Lyrici. sed corrupta. Scriptus habet παφῶσαν. mallem ϖαρίσαν. Sed nominatiuus deest, qui cum χαράξῃ (super ϛ in scripto ξ est annotatum) congruat, & accusatiuus quem regat. Ego totum in mea uersione omisi, cùm sensum nullum exprimere commodum possem. Homeri locus qui initio citatur, est Iliados ι. 55. Illud satis mirari non possum, quod interpres Saguntius hunc librũ Traiano inscriptum perhibet, præmissa etiam ad eum præfatione, quæ nusquam (puto) extat: quando ipse quoq; Menemachi nomen minimè omisit, cui hæc præcepta conscripta & dicata sunt. neq; uerò is Traianus fuit, sed Sardibus natus, ut ex hoc ipso libro sub finem non obscurè liquebit. Librum Plutarchus suum agnoscit, in principio libelli de capienda ex hostibus utilitate.

536. 14. Consternata.) legendum ϖυρόμενον. Sic est etiam in scripto. Librarius ϖ & υ in unam supernè lineam contraxerat, ϖ. inde ineptum πυρόμενος inscius finxit. Paulò pòst pro ἰόνλιος scribe Liuius, ex Drusi historia. V Latinum aliquando per ου exprimere Græcos, notum est: ita hic uidetur λίσιος fuisse, ac totidem litteris, ordine mutato, subrepsisse ἰόλιος.

537. 36. Cum Demosthenes.) non ualdè mihi arridet hic

Demosthenes. fortasse pro eo legendum δημοτικὸς, plebeius.

538. 9. Adiutricem tamen.) ἀλλὰ τοι legi ex scripto, non τι. idem ὄθεν pro ἀφ' οὗπερ. & c. habet. & infrà ἐπίνῳ non ἐπίῳ.

541. 8. Quàm iudicialis.) δικανικὸν μᾶλλον. δικανικὸς habet & scriptus & impressus: & interpres, admittat in causis forensem dicendi acrimoniam, sententias, &c. nullo utrunque sensu. Ego sententiam sum sectatus, eamq; restitui. Qui Rempub. gerunt, eorum oratio in deliberatiuo genere quàm præcipuè uersetur, obscurum peritis non est. In suadendo autem & dissuadendo quin uel principatum tenèat, graues nobilium hominum sententiæ, exempla, apologi, aliaq; id genus, nemo ignorat. Paulò antè ἀγυμνάστ. περὶ λόγου legi pro λόγων. quod & in scripto erat, & λαβὰς omissum, perperam. Post ὧδε δὲ τῶν ἐφόρων.) ἔτι scriptus, non probo.

543. 28. Rapax, clamator.) lego λιμοφάκης scriptus ἢ λεφάκης. quasi si propria essent nomina clamosorum hominum. inceptè. sed & ἢ λεφάκης uitiosum est. ego restituo ex autore unde est petitus. est enim senarius Iambicus ex Equitibus Aristophanis in Cleonem. Cycloborus, ut ibi & in Acharn. habet scholiastes, torrens est apud Athenas. itaq; obstreperam & asperam uocem eius fremitui comparat. Interpres horum uidit nihil.

544. 17. Quemadmodum Ladam.) Ὅσον δὲ ὥσπερ ὁ παῖς τὸ Λάδα. Hic locus mutilatus est. Ladas Alexandri magni cursor fuit nobilis, cuius in Argolicis quoq; Pausanias meminit, ut statua ob uictoriam donati. meminit eius Solinus, ut mirificè celeris, his quidem uerbis: Primam palmam uelocitatis Ladas quidam adeptus est, qui ita supra cauũ puluerem cursitauit, ut arenis pẽdentib. nulla indicia relinqueret uestigiorũ. et innuit Iuuenalis,

——locupletem optare podagram
Non dubitet Ladas.——

Ipsa uox, Varino & alijs tradentibus, binnuleum significat, animal uelox. Enimuerò hæc uerba ὁ ψόφος ἰὼ, &c. adhuc extant in Epi-

epigrammatis Græcis, sed longè diuerso à Ladæ historia sensu: de cuius celeritate nominatim libro eius sarraginis quarto extant eulogia. At in secundo libro luditur Pericles quidam ita tardus cursor, ut dubium reliquerit, sederit ne an uerò cucurrerit. sanè dum ipse adhuc funis qui ad carceres solebat esse, sonitum exaudiret, quippe à carceribus nondum latum progressus digitum, interim iam alium confecto cursu coronatum fuisse. atque adeò adscribere epigrammation libet.

Τὸ πάλαι Γοργιλλὺς ἦτ' ἐφαμίλλ, ἔτ' ἀπάλλος,
ἄλλας εἶλεν ἅλως. Λαμέδιος βραδύτης.
Ὁ ψόφος ἰὼ ὑσπληγος ἐν ὕπασι, καὶ τις φανεῖται
Ἄλλος, καὶ Γοργιλλὺς λάκτυλον ὠρύβα.

Esto autem, quod fieri potuit, ut in uetustiore aliquo epigrammate hic ipse uersus in Ladæ laudem positus fuerit, qui tanta celeritate stadium confecerit, ut adhuc sonante à laxatione carcerum funiculo ipse coronam adeptus dicatur: quem uersum alius (ut non ineleganter fit) in diuersam usurparit sententiam: certè uerba sequentia ψοφοδεύων ἢ θρεμβόμενον nullo modo cum Ladæ historia aut hoc uersu cohærere possunt nam in Ladæ laudem epigramma etiamnum hoc fertur, planè adsimile modo adscripti, ut suspicari possis, fortassis initiũ tantũ epigrammatis esse: ut in alio disticho etiam ea infuerint, ὁ ψόφος, &c. sicut quod extat distichon priori distichо est ἀντίστροφον. Ita enim habet:

Λάδας τὸ πάλαιον εἰθ' ἅλατο, ἔτι λίπτης,
Δαμέδιον τὸ τάχος, δὲ φράσαι δυνατὸν.

Quod eo magis puto, quia eodem libro, titulo in medicos, aliud tetrastichon extat, omnino ex forma priùs adducti, atq; huius de Lada, expressum. ἐπὶ τῷ γραικῷ, &c. Mõstroso interpres figmẽto loci huius dissimulationem occultarat. ego in mea uersione plurib. uerbis expressi. uox ἰὼ ἰὼ etiam in scripto est. paulò antè ἰὼ σὺ δὲ ex scripto & sententia est scribendum.

546. 30. Afranius autem.) Ἀφράνιος δὲ. Non dubium est, quin Africani uox spuria sit, quamuis etiam in scripto

expressa: neque enim ullum obscurum ego Africanum noui, ullum talem Pompeij amicum. Reposui ergo Ἀφρανιῶ. nam tametsi hæc historia à me, quod meminerim, alibi lecta non est: id tamen constat, Afranium Pompeij bello Mithridatico legatum, eiusdem singulari studio Consulatum in annum V. C. 694. esse consecutum. tradunt hoc discrètè Cice. 1. ad Atticum. Dio lib. 37. Tum uox Afranij Africano ita est uicina, ut indoctius librarius, cui ille ignotus esset, facilè potuerit hunc substituere. Huc facit, quod superiore anno itidem M. Pupius Piso, quem Pompeius & ipsum legatum Mithridatico bello habuerat ad comitia præmissus à Pompeio, operaq; & fauore eius usus consulatum obtinuit, teste eodem loco Dione, ut is uideatur esse, cui Afranius hic concessisse annum dicatur. Itaq; meam emendationem doctis probatum iri, gratamq; historiæ non inelegantis restitutionem fore confido. Si quis quid certius afferet, agemus gratias. Interpres quidem hoc quoq; mendum dissimulauit.

548. 16. Violentorum adulatorum.) ὑβριωμένων. Scriptus habet βιαζομένων. & nostram lectionem supernè notatam. uide Equites Aristoph. ubi non αὐαμιθαρνᾶν est, sed αὐαπαιδᾶσθαι.

556. 14. Administrare.) οἰκοδομᾶν. scriptus οἰλεοδομῶν. equidem οἰλεουομᾶν uel μῶν malim. Apparet eum præfuisse liquoribus dimetiundis, & farinæ, pastæ, aliarumq; rerum ad annonam pertinentium procurationi.

557. 10. Omnibus præest.) πάντα λέπει. in margine scripti πάντα γίνεται. quod & malo.

560. 37. Pardalæ nostro.) Παρδάλαν τὸν ὑμέτερον. de Pardala sub finem libri est, nescio an de eodem. scriptus ὑμέτερον habet: suprà υ notato. credo autem ὄρεων pro ὄρων scribendum. quanquam sic quoq; accipi potest, eos finium suæ potestatis oblitos, magistratuq; abusos, exitium sibi attulisse. aliàs iurisdictionis oblitum acciperem. Cæterùm neq; φιλεῖ. neq; φλεγ. ut scriptus habet, sed φολεγάνδρῳ & scribi debere notum est.

Mox

Mox scriptus pro πλήθη malè habet πάθη. 561. 32. Estq; vrile.) ηρα λαμπρὸν ὂν ἰν. Locus hic non est, ni fallor, integer. Si ante hæc uerba Periodum finias, ὂν deleas, & λαμβάνουσας pro τὰς legas, ut ἐξεγίγνεσθαι significet citare, proferre, cohærebit. Scriptus omnino cum impresso consentit.

564. 14. Sthenonem.) Σθένωνα. Sthenis uocatur in uita eius ab eodem. pro πραΐνιστον scriptus (sicut & alibi legitur) πραΐνετον.

566. 16. Mercede conducto.) μισθῷ τῷ. in scripto est μισθωτῷ τῷ. quis autem est ὁ τὰ ῥίπα λέγων; fortè τὰ ῥίπτα λέγων. quomodo ὁ αὐτόρρα λέγων est apud Plutarchum in Ciceronе. ut alibi docuimus: eoq; minus me huius pœnitet coniecturæ, quòd ῥιπτογωνιστᾶν uerbum in uita Aeschinis infrà legitur. ὑμ ex scripto supplendum post τὸν μὲν.

568. 5. Necessitatis præscriptione.) ἀνάγκλω. Scriptus in margine ἀσίαν, quod malo. nam & ἀνάγκλω & καλλὼ complectitur.

574. 12. Incredita.) ἄπραυστα, non ἄπρατον. scriptus, & lex carminis.

580. 14. Quæ iniuria affici.) τὸ μᾶλλον. τὸν legebatur, confuso sensu. Scriptus τὸ habet, pro παρόντες autem legerim πάρεντες aut παρίντες.

581. 21. Delphi Cratetem.) ἀπολάνεσθε οἱ Δελφοί. legebatur etiam in scripto, ἀδελφοί. Sed ego populum hoc, non priuatos fecisse, arbitror. ἀφικοδ. pro ἰνων. ex scripto.

IN LIB. DE VITANDO ære alieno.

582. 31. Plato in legibus) Locus est libro octauo.

583. 1. Eos autem vult.) Lego δεῖν δὲ. legebatur etiam in scripto δᾶ. sed infinitum nimirum sententiæ series requirebat.

ibid. 35. Neq; videre sustineamus.) μηδὲ ὁρᾶν. deest uerbum, puto αἰσχύνεσθαι aut simile, nã παραδειχώμεθα subiunctis

uum etiam scriptus habet.

Paulò post συμπεφαθίνας. uox huc nihil faciens. in scripto suprà notatum est συσπαραθέντας, inuolutos, quomodo Horatius se sua ait se uirtute inuoluere. 584. 10. Vbi par erat contractis ad sola vtilia cupiditatibus, ijs nos inuoluere: inutilia autem & ociosa, &c. Sic plenùs expressimus Græca.

μᾶλλον δὲ δ' αὐτοῖς. scriptus non sine littura, μᾶλλον δὲ αὐτοῖς. mox δρόμον ἴσω διώνυσις. Alludit ad uultures Tityi Odyss. λ 578. ἰφθίμους & sensus requirit, & scriptus habet. mox ὁ γὰρ ἀγράφοις. lege οὗ pro οὐ.

ἐν αἰνῇ. sic & scriptus. & est Homericum. Ilia. γ. 20. & per sæpe alibi. quid enim hîc ἐν ἰνῇ Solebat aũt Crates uersus Homericos aliò detorquere, sciteq; illis uti, ut alibi tradit præter alios etiam ipse Plutarchus, cuius rei hîc est exẽplũ. Fuit ergo primus uersus,

Καὶ μὲν μήνυλον ἐσσύδον χαλκῷ ἄλγε' ἔχοντα.

Ad imitationem Tantali in Homerica Necya. 581. Cleanthis responsum est mutilatum. Aliquantò suprà locus est fœdè distinctus, post Mæsonij responsum. Sic lege, & intelliges. λιτὰν αὐτὸθεν ὑπομνῆσαι τοῖς φαινομένοις ἐνὸν, &c. Versus Empedocleos qui sequuntur, correxi in libello de Iside & Osiride. sub finem ferè ex Odyss. τ. 264. & 439. locus est, unde nullo negocio emendabit, συῶδλα in δυῶδια. ac leges deinde γᾶαν ἐρώμενον. — καὶ διασωθὲς.

IN PLATONICAS quæstiones.

591. 35. Contentionibus.) ἐν ὅρισι. hoc ex coniectura (nam scriptus hunc librum non habet) repono. pro ἴτισι, quod etiam in Aldino est. Emendaui & alta ex iudicio, quæ facilè & obseruabuntur, & (ut spero) probabuntur. Numeros problematibus addidi. infrà ὁ μαθὼν παρὰ τὸ μὴ σύρεντες. μὴ illud uidetur offuere sensui. Sub finem quæstionis est ῥίφοντος manca

ca sententia. Ego asteriscis additis ostendi, sicubi non integrũ esse locum aut mendosum putarem.

593. 36. In Phædro Lysiam.) Καλλιππίδαν. uide an non sit μνημονικὸν erratum, si uox corrupta non est. hæc sanè uerba in Phædro leguntur. Ἐν τῷ πρόσθεν δ' ἔτι λόγῳ σοι ἀπολῶ ἔπομαι φαῦλός τις καὶ ἐγὼ, Λυσίαν τὸν τοῦ λέγειν πατέρα ἀστιώτερον, πασῶν τῶν τοιούτων λόγων. Non dubito autem quin rectè legerim. γένεσις pro γέννησις, euidenter id ipsa loci huius sententia docente. ante τῇ μεταφορᾷ locus est mutilatus. Paulò post ἐφ' ἑαυτὸ. lego ἀφ'. Inde καὶ λειτουργίᾳ, lege λειτούργιον. ἐν τῶν ἀλλῶν, &c. manca.

596. 4. Ob sui exilitatem.) ἀς μαλερότητα. lego μιλερότητα. cùm alterum non congruat.

ibidem 25. Et verò diuersis.) Καὶ μὲν ἀμόρου. sic emendandum, cum confusis distinctionibus præterea καὶ μὴ nullo sensu legatur. Mox. 29. Priuationis expers.) ἀπάσης στερεότητος. profectò στερεότης, soliditas nihil hîc, nisi petitionem principij facit: & linea ac superficies στερεότητος μὲν ἀφαὶ sunt, solidatis omnis expertia utique, non tamen ἀμόρου. Iudicent docti, an non sit legendum στρόφους. nam στιγμὴ, punctum, quo lineæ diuiduntur τῷ ἀμόρῳ proximæ, est priuatio, στέρησις. Sic Aristoteles γ. περὶ ψυχῆς docet. ἡ μὲν στιγμὴ, καὶ πᾶσα διαίρεσις, καὶ τὸ ὅντως ἀδιαίρετον ἀπλῶς, ὥσπερ ἡ στέρησις. Quod autem non multo pòst infrà de unitatis, punctiq; natura dicitur, uidetur esse repetitum ex Aristot. ὑστερ. αὐσκ. α'. cap. 23. & 25. quæ quia alibi explicaui, hîc omitto. quæ præcedunt, mutila sunt, sensu satis perspicuo.

609. 28. Vna causa adferri.) ἰωάγαν lego. nam hoc uerbum congruit, non ὑπάγαν. 602. 28. In loca vacuata.) λιπουμένας est scriptum pro λειπομένας, quod res ipsa docet. In quæstione VII. in animæ definitione Aristotelea ἐνδιλίχειαν esse non ἐνδιλίχειαν, sciunt docti. Mox ἀριθμῶν χρόνῳ erat. at sensus genitiuum exigit, & eo casu legitur

apud Plat. pag. Basil. idt. 482. unde hæc descripta sunt. 604. 14. In Empedoclis uersu dum lucem intercipit.) ὑρισαμένη lege. In dicto Pythagoræ de tẽpore τῶν τούτῳ ψυχῶν, τούτῳ mundum uidetur significare, aut potiùs locus esse mancus. aliter in Placitis refert lib. 1. cap. 21.

606. 10. Imum in ijs.) νέατον δὲ τὸν fortè νέατον δὲ, τὸν ἐν τοῖς ὑπ. σιλ. Et alta sunt remedium desiderantia. 607. 2. Cùm ratione.) ἀλόγως τῇ. certè sensus οὐλόγως poscit, aut ὂν ἀλόγως, nisi fortè ἀλόγῳ malis.

ibidem 7. Hirtum circa aures.) περὶ ὦτα λάσιον. erat περὶ ᾧ τα λάσιον. quod quidem stare non potest, & Talasius malè huc uocetur. περὶ ὦτα λάσιον esse legendum satis constat ex Phædro Platonis, unde hic locus desumtus est. Suprà similem errorem notaui in de ει Delphico, ἐξώδια βιβοντας pro ἐξω διαβιβοντας.

610. 29. Euenus quoque.) ἔναι λίγομεν, ἴυτι. Locus lacer & confusus, ac qui solis coniecturis periculosè curandus appareat. Eueni dictum etiam in lib. de adul. & am. discr. refertur, idemq; Prodico tribuitur in præceptis de tuenda sanitate. Vt semel dicam, quid de locis hæc abs me præteritis sensérim, satis mea uersio docebit. neq; ingrati erimus meliora docti.

IN LIBRVM DE PRIMO frigido.

616. 11. ἰάνιθαι vocat Homerus.) Iliados ο. 103. & Iliados ψ. 600. de qua uoce suprà etiam aliquid annotauimus.

619. 5. Naturæ ordine.) ὡς φύσει πρὸς τὸ ῶῦρ. legitur etiam in Aldino (non enim habet scriptus noster hunc libellum) ὥς φησι, nullo sensu. Plumbeas autem Aristotelis ἀκόνας non intelligo satis, quanquam etiam in sexto Symposiacorum, capite quinto & octauo, fit eiusdem rei mentio.

620. 13. Sursum exhauriunt.) τὰ ῥέοντα τῶν ὑδάτων ἀνο-

ἀνορύττοντες. hoc uerbum huc non quadrat. Infrà cum hoc argumentum refellitur, proxima pagina, ἀναῤῥύσεις legitur. quod & ipsum nihil (quod sciam) significat. ἀφύειν quidem est haurire, & ἀφύτω idem dicitur.

622. 23. Non ab aere.) τοῦ ἀέρος τει * ον. Locus corruptus, & mancus. uide autem an non pro ἀ γὰρ ἀεῖα, legendum sit ἀ γὰρ ἀεὶ τὸ: sensus quidem hoc flagitat. Paulò pòst. ὄῤῥι γὰρ ἂ τῶν ὡρῶν. Turnebus legit ὁρῶν, cui facilè adstipulor, uoce ἄκροις quasi digito hanc lectionem demonstrante. aliquanto inferius pro ὅσας πυρώδους, scribendum ὁσίας πυρώδους. non quidem sum nescius ætherem etiam feminino genere dici à Græcis: sed neque id huc facit, & τῷ ἀϋδρι scriptum est perspicuè.

624. 25. Tanquam clauo.) ὥσπερ ἠλίῳ. Hoc quid sit, sanè non assequor, & mendum suspicor. Fortè ἴλῳ legendum. Paulò antè, magis etiam probabilem.) ἀλλ' ἀπιθανώτερον, lego cum Turnebo ἀλλὰ πιθανώτερον. Post ex Empedocle σχιδίῳ φιλότητα refertur. quod si quis rectè legi putat, quid sit σχιδίωον uelim explicet. Ego σφιδανῷ legendum arbitror quæ uox & ab hac lectione non procul abludit, & sensum satis commodum præbet: cum Eustathio teste sit παρὰ τὸ σφάλλω, & τὸ σφοδρὸν significet. λιλίτα.) hæc uox mihi ualde est suspecta. neq; habeo quod commodè subijciam. Turnebus Vestam legit, cui uox τάσις suffragatur. ut sit παρὰ τὸ ἑστάναι ἑστία. non ignoro ab Ebræis uocem deduci: sed id huc nihil. sicut ὀυδὲν λεῖπον nihil est, & locus non integer. Sed paulò pòst χάλικας scribendũ, cum malè habeatur χάλικας. & de lapidibus eum loqui non sit obscurum. ψυχροτέρῳ πολλοῦ. lego πόῤῥῳ. Vide hac ipsa de re Plutarchum libro sexto, problemate quinto συμποσιακῶν.

IN LIB. DE GLORIA ATHEnienſium.

603. 32. Apparet initium libelli abolitum esse, aut intercceptum. Neq; dubium est, quin hoc initium præcesserit Themistoclis respõ-

sio ad eos duces Atheniensium, qui qualiter qualiter re bene gesta se ipsi æquabant. quibus ille de feriis & die τῆς παρασκευῆς apologum retulit. res nota cùm ex alijs, tum ipso Plutarcho in uita Themistoclis, de fortuna Romanorum. alibi. Post 631. 5. pro Tolmia Tolmidam posuimus ex ipso Thucydide. a. ibidem 18. A' Themistogene.) καὶ Θεμιστογένη. γράψας est repetendum ἀπὸ λοιδ, nisi aliquid desit. Locus Xenophontis est initio tertij ἑλληνικῶν. Clinodemus quid historiæ scripserit, nescio: atque adeò an hoc nomen sit integrum. apud Plutarchum & alios & Cleodemus & Clidemus historici citantur. neque tamen nescio ista nomina omnia eodem recidere. Δίνλλος ll gemino legitur apud Athenæum libro decimotertio δειπνοσοφιστῶν. ubi citatur testis amoris inter Demetrium Phalereum & Lampetonem. 631. 34. Colorum temperationem diuersorum.) φθορὰν. rectè sic legitur. uide infrà Sympos. 8. 5. unde uersionis nostræ rationem cognosces.

632. 34. Deliberarent.) ex sententiæ necessitate διαβουλευομένοις scribitur, cùm singulari nominatiuo legatur historiæ cum iniuria. Post de pictura pugnæ τὸ σύγγραμμα nihil quadrat.

634. Ercensis.) Ὁρσιωπος ὁ ὄρωσις. Sanè Atticum hunc hominem fuisse iudico. ω geminaui. Sed gentile hoc mihi suspectum est. Apud Stephanum reperio ὄρσιλλας δῆμον φυλῆς Ἱπποδοντιδος. at inde hoc uix potuit deduci, mallem ὄρσις. Post 29. Misisse.) ἀπίσειλαν. solœcismus est, nisi ἀπεστάλαι legas. Post καὶ λόγῳ ἀξ.) lego λάβ, ex sensu. 635. 37. Vt lege Areopagitæ.) In Græco est, lege cautum, ne quis Areopagita comœdiam faceret. ego latam ab Areopagitis puto, qua omnem huiusmodi scriptionem uetarent. meminit non uno loco Flaccus noster infrà 636. 27. Cornigeri.) Κρατῖνος. fortè κράτινος. Sed omnia sunt confusa.

637. 31. Audi Alala.) Καῦδι Ἀλαλά. Sic legendum, non ἄυνα

ἄυνα ἰγώ. Pindaricum est, suprà quoq; citatũ de fraterno amore. Quid aũt est paulò post νηστάλαυλοι. 638. 28. Sexta vltra decimam.) ἕκτη δὲ μιῶς habet Græcus. ita sexta die dicitur Chabrias apud Naxum uicisse. quod mendo nõ uacat. In Camillo scribitur, circa plenilunium esse factum, ut fortassis scriptum fuerit hîc. ἕκτη δ' ἔτι δίμα τοῦ αὐτοῦ μιῶς, &c. & sic planissimè legitur in Phocione. Certè decimamsextam mensis diem πανσέληνον mox ipse ponit hîc.

639. 16. Rei ad Platæas gestæ.) παραγγελίας νίκης. uitiosè. nota est Aristidis ad Platæas res gesta. itaq; lego δὲ Ἀριστείδης ἐν Πλαταιαῖς νίκης. Mox θρασυβούλου καὶ Ἀρχίου. Locus mancus. Thrasybuli historia nota est. Archiâ tyrannicidâ nullum noui, sed Archiam Thebanorum tyrannũ à Pelopida interfectum scio. 641. 3. Cononem de iniuria.) Κόνων & αἰκίας, est legendum αἰκίας ex ipso Demosthene. Libellus hic est capite & fine truncatus, & aliâs uariè deprauatus.

IN LIBELLVM DE exsulio.

642. 28. Lacedæmon nomine ciuem.) Ὄνομα, καὶ Σπάρτας. Pentameter mutilatus. Totum hoc carmen Fulvius Vrsinus, ut longè harum rerum callentissimus, præfixit fragmentis Alcmanis à se congestis, & cum feminarum Græcarum aliarumq; Lyricorum fragmentis in lucem datis. secutus (puto) bonos codices & eruditas coniecturas. neq; me pigebit cum bona ipsius uenia adscribere.

Σάρδιες, ἀρχαῖος πάτρων νομὸς, ἐν μὲν ἐμοὶ ὑμῖν
Ἐμφερόμην λίλαμις, ἵν' τις ἀνὴρ βασιλεύς
Χρυσοφόρος, ῥώμαν λαλὰ τύμπανα. νικῶ δὲ μοι Ἀλκμὰν
Ὄνομα, καὶ Σπάρτας ἐμὶ πόλιος ναίτης,
Καὶ μέσος ἐν πάλῳ Ἑλλωτίδας, ἃν μ' ἐτρέφανεν
Θύμαρ Δασκύλιον λειρίοεσσα καὶ Γύγιος.

Voces λίλαμις & βάκκος explicatas inuenies in Varini lexico. in πάλιν est synalœpha, utcunq; insolens. Dascylem Phrygiæ

fuisse tyrannum aut uicinæ Bithyniæ apparet, unde urbi & lacui nomen.

644. 18. Commigratio.) σοὶ παροῦσα μετάστασις. μετάστασιν dixit, nisi molli uocabulo uoluit uti non obseruata nimis diligenter proprietate, sed sermone ὑποποιητικῶς ad affectionem eius cui scribebat accommodato.

645. 16. In Diomeam.) Μιλήτου εἰς Διώμειαν. Melita δῆμός est Oeneidis tribus apud Plutarchum in Solone, & alios. meminit Stephanus. sed Διώμειαν nullam inuenio. Διόμεια habet Stephanus, δῆμον Aegeidis tribus, à Diomo Herculis amasio. Locus de Deo & iusticia est Platonis libro quarto de Legibus. μαπρὰν pro μακρὰν ex sensu reponendum.

646. 26. Ad Euxini.) ἄπρατος ἔπι. Senarius est, sed scazon, nisi pro ἔστιν poëta aliud scripserat.

647. 13. Cinarum asperam.) Κίναρον. nomen uitiosum ut puto. Sed uerba sequentia σκληρὰν, &c. Iambicum faciunt senarium,

Sterilémq́, duramq́, & rebellem cultui.

In fine paginæ οἰκᾶον. lego οἰκέων, aut οἰκᾶν.

648. 3. Leuem cupressum.) ἐλαφρὰν λυπρά. Hæc Pindarica non sanè uacare puto menda.

ibidem 18. Berecynthia arua.) Vide Strabonem in calce duodecimi. Epigramma autem Theocriti Chij in Aristotelem, cuius aliquantò pòst fit mentio, integrum ex Aristotele refert Eusebius libro προπαρασκευῆς XV.

650. 31. Non curæ nobis est.) ὀλίγον μέλει. Sic sensus requirit pro μέλλοι. deest tamen αὐταρκέστοις ad illud αὐτιδεῖς. Versus Euripidei de Athenarum laudibus partim sunt ex Erechtheo, & referuntur à Lycurgo in oratione contra Leocratem (pro διαφορᾶσαι βούλει, quod expungere nolui, ibi est διαφορᾶς ἐπιτιμᾶν.) mihi nostra magis placet lectio. est autem omnino scribendum ἐσαγώγιμοι, ut & ratio poscit, & ipsibie legitur. Reliqui ἐξ ἀλλοτροίου aliunde sunt adducti, & mutili. legendum ἐξ ἀλὸς, & λιπαρὰν amoto σιὼ. De Herodoto Plinius libro duodecimo, capite quarto. Strabo libro decimoquarto, alij.

652. 18. Troadem Lyco.) Λύκων ἐν Τρωάδι. legebatur Γλύκωνα. ego philosophum Peripateticum Glyconem inuenio nullum. De Lycone autem libro quinto, Diogenes Laërtius scribit, cum Stratoni successisse, Τρωαδεύσque ab eo dicitur. pro Κῷ non sum ueritus reponere χίῳ. nam Aristo Chius fuit, quod ex Cicerone, Plutarcho & alijs est notissimum. atque adeò in quibusdam libris incuria operarum Aristochius legebatur. Cæterùm locus uitiosa distinctione erat deprauatus, & Critolaus Stoicis adscriptus, quem ex Cicerone abundè constat fuisse Peripateticum. ἐὰν autem, non ἐὰς legendum est, ut suprà ἐὰν πλὼ Πρίαπον. Si, inquit, Stoici te iuuant, &c. Quod autem Cleanthes Lysius dicitur, falsum est. fortè legendum Λύκιος. Assus patria Cleanthis fuit, testibus non tantùm Diogene & Suidâ, sed etiam Strabone libro decimotertio. Clemens Alexandrinus προτρεπτικῷ eum facit Πισαδέα, ut fortasse Λύκιος hîc dicatur. quando etiam in Lycia Assus fuit. tutissimum est Ἄσσιος legere pro Λύσιος. & manuscriptis in libris tantæ uicinitates sunt horum elementorum, ut errare librarius indoctus facilè potuerit.

ibidem 37. Philippus.) Φίλιππος ἐν ἠπείρῳ. Vide ne sit φίλτατος. nam Philippum quidem historicum non noui, nisi quòd Athenæus cuiusdam Philippi meminit alicubi, qui de Legibus scripserit. Tamen Suidas Philippum Amphipolitam historicum refert, qui de Rodo & Co scripserit. Ego Philistum malo.

654. 20. Mihi malè faciunt.) ποιοῦντας. asteriscò indica tũ uolui, deesse restõsum Theodori, quod apparet germanũ fuisse eis quæ apud Ciceronem feruntur. non magnum esse, quod cantharidis uim sit consecutus. iussit fortasse eum hæc quoq; purpuratis suis minari. Indidem intelliges Cyrenẽ ei patriam fuisse. Ver-

ſus de Phœniſſea Euripidea, ex ipſo poëta corrigere cuiuſuis eſt. 656. 25. Caſtumq; Apollinem.) Ἀ πέλλω legi, ut conſtaret senarius, & ſimul ſententia Empedoclis aũt uerſus ita poterã ex cõiectura corrigere, ut fortaſsis mea pro ipſius uerbis ſubſti tuerem, quod fecerunt in alijs alij. Senſus quidem etiam de mendis elucet. & alibi uerſus refert de dæmonum pœnis ac ſupplicijs Plutarchus. & hexametros debere eſſe omnes conſtat. notus eſt etiam hîc Empedoclis uerſus:

χαίρετ', ἐγὼ δ' ὑμῖν θεὸς ἄμβροτος, οὐκέτι θνητὸς.

pro φεῦ paulò poſt φεύγα reſtitui.

IN LIB. DE INVIDIA ET ODIO.

658. 30. Fide maiora bella.) ὥσωσθ' ἀνίκους τινὰς. fortè deeſt πολίμους. Sunt & alia quædam talia. ſed Λέοντι χρῆσθαι ἢ λέοντι non libuit mihi, occupato in Plutarchianis.

IN CONSOLATIONE AD ſuam vxorem.

661. 33. Laturam me præſente.) Sub initium, ὅτι σαν γενομένου. legerem παραγγομένου.

662. 14. Bilis vacuitas.) ἀσχολίαν ηχὲ πρα. lego ἀχολίαν.

663. 14. Non enim in bacchationibus.) Alluſio ad notiſsimos Euripidis uerſiculos è bacchis, qui etiam in Ti. Gracho noſtri citantur.

664. 5. Admirationem traxeris.) παρίχας. malim ijſdem litteris παρῆχες. Sed ſtatim pro χάρωνος lego χάρωνος. credo enim Chæronenſem à Chærone urbis inſtauratore filio nomen dediſſe. Plutarch. initio πολυπραγμ. proximæ paginæ uerſu quarto ὅταν expunxi, quod ſenſui officiebat. Mutilata ſub finem & in fine reſtituet, cui ἀντίγραφον copiam faciet. πολλὼ quidem facilè fuit pro πολλιὼ reponere: & uerſus integer etiam apud Plutarchum extat in altera conſolatione, φύτα δ' ἔπως ὥλιγα πύλ. &c.

IN

IN LIBELLVM DE FATO.

HVius libelli diſſertatio ſalebroſa admodum eſt, & in emendando quoque nimiam diligentiam non adhibui, cùm uiderem fruſtra me ſine codicum auxilio laboraturum. facilius integrũ hac de re commentariolum compoſiturus, quàm hic meas cogitationes periculo curioſitatis expoſiturus. Verſio mea aliter habet interdũ quàm Græca ſonãt. correxi enim in meo libro quædã ex Platone, alia Grammaticis fretus rationibus. paucula tamen quædam annotabimus. 669. 29. At fatum quod.) ἐμαρμένη τῇ λεγ' οὐσίαν. Poſt ἐμαρμένη deeſt uerbum, ut ἄρτεται, ἀρόω, aut ſimile. Ac legendum τῇ δὲ λεγ'. non enim obſcurũ eſt, deſcriptionem hanc alterius eſſe fati. Depræhendi poſtmodo etiam Turnebum idem ſenſiſſe. rum incomparabili doctrina. ὃν συμβάνει αὐτῶν ἀνραινίων, pro αὐτῶν lego αὖθ' ὧν. τοῦτο ἀλλοῖ.) ἄλλον. ἀλλ' αὐτὸ μένον τὸ ἐπόμενον.) μένον.

673. 32. Tum ſi neq; ortis.) οἷον ἔστι χάνισις. Qui hucuſq; nullum orationis defectum ſenſerunt (in quibus meum nomen nolim profiteri) ij uidentur mihi nihil hîc quoque debuiſſe deſiderare. Satis enim reſpectu reliquorum & continua & commoda atque apta uidetur eſſe ratiocinatio. 674. 19. Cuius etiam contrarium.) οὐ ηχὲ τὸ αὐτικέμενον ἀδύνατον. Res ipſa ἀνανκαῖον poſcit.

678. 16. Igitur poſtquam vniuerſum.) In Timæo, editionis Baſilienſis, pag. 481, locus eſt integer. ineptè aſteriſcis tot hæc notatus, quod idem etiam de alijs intelligas uelim.

679. 24. Loquitur Theages.) legebatur διαλλὼ. At prope finem Theagis uerba hæc extant, indeq; nullo negocio emendabis hîc uitiata. Paulò antè πλὼ ἐμαρμένλω γενομένη. lego τῇ ἐμαρμένης γινομένη. miſi mutilum locum uelis putare.

680. 13. Ignaua oratio.) Ex Cic. de Fato & alijs hæc ἀργοὶ reſtitue pro ἀγροὶ. Nam ἀργὸς λόγος ſophiſma fuit, mala ſa ti interpretatione fretum. Apparet non librum hoc eſſe, ſed Eclogam, neq; integram, neq; ſatis accuratam. Et tamen quidquid eſt,

uersio & emendatio nonnullo nobis labore constitit.

IN LIB. DE MVSICA.

683. 18. Siue triplex.) ἢ καὶ διμιολὲς. fortè διμιρὲς, ut infrà pag. 550. Cæterùm suprà 682. 27. Philammonẽ Delphum.) φιλάμμονα τὸν Δελφὸν legendum est, non ἀδελφὸν. quod mendum etiam alibi annotauimus. hic quidem statim Delphorum mentio est. & infrà Delphus dicitur. Delphum fuisse suspicari licet etiam ex Ouidij XI. Metamor. Cæterùm ego magis commentario quàm annotationibus hunc librum indigere puto. et alicubi asteriscis signaui, quæ uel mutila mihi, uel falsa uiderentur. Rem ipsam fortasse tractandi suus erit aliquando locus, & ea de nobili mathematices parte harmonica differendi copia, quibus doctiores excitemus ad hanc quoq; scientiam in lucem è tenebris extrahendam. Dux tantùm nobis, & autor opus est.

698. 31. MVS. Dicam.) Versus Pherecratis apparet esse senarios: & plerique constant: sed septimus fine, octauus initio caret. ego operam his ex conjectura emendandis noluì ludere. Ἀλλ' ἴσως. pro ὃν legi οὐκ puto sensum iubere. Nam de uoce ἄπλους non admodum dubito, cùm suprà in libro utrum doctrina an bello clariores fuerint Athenienses, malus hic dithyramborum scriptor Atheniensis commemoratur. Inserui etiam personarium literas primas. Et post M. uidetur δεῖ, aut aliquid desiderari. Abundat βαδιζούσῃ. Quid autem sint νιγλαροι, apud Aristophanis scholiastem inuenies in uersum Acharnensium, qui habet νιγλάρων συνεγμάτων. Suidas inanem uerborum pulsationem & superuacaneam exponit, τερετίσματα.

701. 37. Vnde Pæon componatur.) Σιώπησιν. Vox suspecta, si genuina est, σύνθεσιν significat, constitutionem, à futuro uerbi φράω. Ego etiam in uertendo multa dissimulaui: rem non inexplicabilem quidem, sed tamen obscuram & difficilem in medio relinquens, cùm non esset pertractandi locus. Paulò post de διὰ πασῶν. περὶ μὲν τῶν χρόας. illud χρόας nihil huc facit. malim χρόας: etsi & hoc lubricè. Sed de his, ut spero, accuratiùs

suo loco & per otium.

IN EPITOMAM COMPArationis Aristophanis & Menandri.

IN hac laborare nolui, cùm neq; exstet Menander, nisi in reliquijs: & ex Aristophane possit qui uult curare cætera. ut ex Acharnensibus ψιχοβρῶτις (haarvüürm) pro ψιχοδόσευχις. & τυρὸν. pro γυρ. Vtinam ipse Plutarchi proferatur liber.

IN VITAS DECEM RHEtorum. Antiphonte. I.

712. 12. Eetionea.) ἐπιτέχισο ὁ Ἠετιωνέα. Etiam in scripto uitiosè legebatur, ὁ Ἐτιωνία. idq; interpres securè fuit secutus. Ego historiæ fidem imploraui, quæ extat apud Thucydidem libro octauo. Stephanus quoq; & Suidas ita ut ego correxi, legunt, alterumq; Piræei promontorium fuisse Eetioneam tradunt.

ibidem 23. Mansuetior.) ἀλλ' ὅντος τι ἂν ἡμιρώτερος. Videntur esse uerba Theopompi, initium eorum, quæ is de Antiphonte scripserit. Scriptus pro ἐκδὸ τῶν λ'. habet ἐκδίρ, quod non probo. Et hæc uerba sic ibi habentur. ἀλλ' οὕτος ἂν ἡμιτόρος λυσ. Habet etiam πυθίην, & quid hoc rei sit, docet Suidas, itaq; aliquoties citat Athenæus & infra Plutar. sub finem primi capitis, secundi libri Symposiacorum. itaq; περιούλω amoue. pro περισβυτίω lego περισβύτω. non enim puto uel legatum eò iuisse, uel legatum à Dyonisio, utut tyranno, interfectum. Historiæ meminit etiam alibi Plutarchus, ut de discrim. adul. & amici. Sed & in uita Antiphontis orationum reliquijs præfixa est περισβύτης, hac ipsa de re.

713. 15. Hippocratem prætorem.) In una linea duo uocabula expungo, ἰαρῶ, &, ὑφισμα, quorum posterius ex insequente uersu irrepserat, prius planè ridiculum est. & à deo medicorum Hippocrate Coo mutuò nulla commoditate

ſantum, tametſi interpres τραπηγοῦ *omiſit, ut Atticum quoque Hippocratem ſcilicet medicum efficeret. Paulò antè pro* ἀγχιλίας *puto legendum* ἀσαγχιλίας. *nullum enim comperi crimen iſto nomine. Mox pro* ἐπιτρέπει, *ſcriptum ſecutus* ἐπιστρέπει *lego, quæ uox & Græca eſt, & huc quadrat. Sic infrà in Lycurgo.* περὶ τὸ Διονύσου θέατρον ἐπιστρεπῶν ἐπιλαβέσθαι. *Sub finem* εἰς τὸν, *deeſt aliquid. Interpres multa monſtra habet, & inter alia Dinarchum: ad quem nihil hoc quidem iudicium pertinebat.*

ANDOCIDE II.

716. 2. Reditum flagitantis.) λαβόλα διωμένου. *Legebatur* λαβόλας, *& uertit interpres in totum. ſed* Λ, *&* Δ *litteræ ſunt perſimiles. Exſtat autem oratio Andocidis de ſuo reditu. Sunt autem ſuprà etiam mutila quædam & ambigua: maximè de* ἑρμῶν ωδρικοπῆς *hiſtoria. quam tamen ex Alcibiade poſſis, & ipſo cognoſcere Andocide. Quid ſit* πωγινὸν σίλινον, *fortaſſe alius aliquas inueniet. ego quærere non poſſum. Totum iſthuc, Herma Andocideo corrupto, interpres omiſit.*

LYSIA III.

716. 31. Eudemum & Brachyllum.) οὐδιάδας. *ſcriptus* οὐδίμες. *fortè* οὐδίμος: βραχύλλος *autem pòſt dicitur: etſi uitiosè Branchylus impreſſum ſit.*

717. 5. Cum aliis CCC.) μετ' ἄλλων ἑξῶν. Ἰσὸ φιλοσοφίαν, *ut eſt apud Dionyſium Halicar: aſſenſem in huius uita: ubi* ἐκλυθέσι *falsò in Pariſ. legitur, in Aldino melius* ἐκλιθέσι. *eſt enim ſcribendum* ἐγκλιθέσι. *quod noſter uoce* ἐκτιαθέις *expreſit. Sed & uox* Καλλίᾳ *ante* Ὀλυμπιάδι *eſt ita poſita, ut uideatur deeſſe aliquid. Et Clearchus mox Cleocritus dicitur.*

718. 9. Anteiuerit.) *Locus corruptus. utiq; autem legendum* ἔτεσι *non* ἔθεσιν. *ſcriptus rectè. Philiſci epigrammatis primus uerſus eſt uitioſus,* ὦ *abundante, & fine deficiente, niſi* δέξις *eſt per* ἐπιζευξιν *repetendum. quod non cenſeo. uix ſenſus elici poſſe uidetur. itaque meas diuinationes ſi floci facias etiam, non ſuccenſebo. dicendum quippe putaui mihi aliquid potius quàm nihil.*

ISOCRATE. IV.

ibid. 34. Erechthienſis.) Τῶ Ἐρεχθέως, *ſcilicet ſummi Pontifices erant, uel alibi, uel adeò Athenis, ciues neutiquam primarij, & qui tibicinibus alendis quæſtum facerent: eſſentue aut haberentur, ut eſt de huius patre apud Philoſtratum & Suidam, ipſi* αὐλητοποιοί. *Interpres harum Vitarum Robertus Britannus perbibuit eum ſacris mediocrium ciuium præfuiſſe. nimirum falsò. Non ego primus de huius libelli uitiis conqueror. Sed hîc quidem mederi facilè potui. Memineram enim apud Stephanum in* Ἐρεχθέα *legiſſe me,* ὅτι ὁ Ἰσοκράτης ἐν Ἐρεχθεῖ, *& inſulsus librarius literarum ſectatus ſimilitudinem, locũ corrupit, notiore* ἐρεχθέως *uoce pro* Ἐρεχθέως *ingeſta.*

719. 5. Myrrhinuſio.) Μυρρινουσίοις. *poſt hæc uerba, aut hæc, aut his reſpondentia extrita ſunt* ἐρεχθεῖδος Ἀθλίψοι, Λυσὶς μὲν ἐν νεωτέροις. *Remitta habere facilè deprehendes, Dionyſii Halicarnaſſei de hoc oratore inſpecto libello.* Κέᾳ *quoque ſcribendum eſt, non* Κίᾳ. *Fuit enim natus Iulide Prodicus, in inſula Ceo. Suidas & multi alij. Hoc mendum & alibi haud raro obrepſit.*

Paulò pòſt βότωνες.) *ſic & ſcriptus nomen mihi ſuſpectum.*

ibid. 22. Orationes compoſuiſſe.) *Legi* ἄλλοις δὲ μιμολεγικοῖς. *Eadem coniectura fuit doctiſſimi amici noſtri Vuolfii, quem (ut uirtus eius ſingularis, & doctrina meritò ſuſpicienda poſcunt) honoris cauſa nomino. Quid enim ſit* μιμαρτυρικοῖς *in hoc loco? Et pro* ἀπῶν, ἀπεῖν *legerem.* διανοηθεὶς *utcunque poteſt ferri, etſi* ἃ διενοήθη *idem mecum malit.*

720. 16. Leges Athenien.) νομοθέτης Ἀθηναίοις *aut nominatiuo caſu eſt gentile legendum, aut legendũ eſt* νομοθετήσας, *quod mihi magis arridet. Illud porrò* μονᾶς *uitioſum eſt. Quid ſi legendum ſit* χιλιὰς μὲν μνᾶς, ἃς ἔσειπ? *Sed ſumma fieret prægrandis. Denique infrà eſt, ipſum docuiſſe decem minis: quas pro*

mille accipi drachmis, si centenæ drachmæ (quod nouum non est) in minam ueniant, non uideo quid uetet? Scriptus χιρωνίδης habet.

721. 4. Ad Philippum.) Τὸν δὲ πρὸς φίλιππον etiam scriptus habet τὸν, sed non arbitror eum plures ad Philippum orationes scripsisse. Cæterùm proxima periodus distinctionibus planè erat fœdata. Quod autem de opibus dicitur, haud dubium est ad Isocratem, non ad Apharcum pertinere. ibid. 11. Ad instruendam triremem.) πρυραρχεῖν repone. ex sententia. Infrà ostenditur, Plathanen Hippiæ oratoris uxorem fuisse, ut non usque adeò sit difficile sententiam elicere: uerba mutet cui licet aut libet.

ibid. 37. Qui in globum.) βλίπουσ & non βλίψασα. scriptus rectè. Mox pro ἀκροατηρίῳ ipse quoq; ἀκροατηρίῳ malle.

723. 3. Diphorum, hoc est bis.) Δίφορον scribe. nihil arguti δίφορ & quidē in se habet: & biga interpretis nihil ad rē. Δίφορον autem legendum, facilè ex ioco patet. ut quia bis attulisset mercedem, non iam Ephorus, sed Diphorus dicatur, ludente in uerbi sono Isocrate, ut sit biser, παρὰ τὸ δὶς φέρειν. Mox ubi τοῖς δὲ χρέας legitur, ego mallem ἱστορίας legere cum Vuolfio meo: notum, in fine κοινοῦς scriptus, non λοιποῦς habet. Pro Vsicle Sosiclem legi debere, Vuolfio adsentior, morem nominum sequens.

ISAEO V.

724. 19. Quas habuit contra suos tutores.) Hoc ex historia notum est: itaque scriptum librum eò libentius secutus sum, qui ἐπιφορικὸς expreßè habet. Quid enim sunt λόγοι ἐπιφερόμενοι? aut quid hic faciunt? Ex iis quæ Isæi orationibus præfixa sunt, λατὰ τὸν πελοπ. ωολ legendum apparet. non μετὰ. permutatio librariis usitata est. Apud Suidam legitur, absque mercede Demosthenem fuisse ab Isæo doctū quod considerandū puto. certè ex uita Demosthenis, quæ Ciceronianæ à nostro opponitur, satis cōstat, ne minore quidem mercede discere potuisse Demosthenem.

AESCHINE. VI.

ibid. 30. Cothocides.) Scribo Κοθωκίδης nō ὠκώδ. quamuis in scripto etiam sit. Sed secutus sum Philostrati lectionē, & Apollonium, alterumq; qui uitam Aeschini præfixam scripsit, Suida etiam Κοθωκίδης habente, & apud hunc literarum serie dubitationem tollente.

725. 3. Alcidamantem.) Λεωλάμαντ&. Apud Suidam est Ἀλκιδάμαντ& τ Ἐλεάτ. et eius mox in Demosthene fit mentio. atq; adeò in altero etiam Plutarchi Demosthene, ut qui Demosthenem erudierit: itemq; in Lucianica Demosthenis laudatione. itaq; Leodamantem missum feci.

ibid. 15. Probalinthius.) προβαλλσοῖς, lego προβαλινθίς. Est enim δῆμος Pandionidis tribus Probalinthus, uel Stephano teste. Proballusios autem & Probalesios non noui.

726. 9. Aphobum.) Ἄφοβον, fortè Ἀφόβητον, ut Apollonius in uita Aeschinis, qui & φιλοχάρη alterum appellat.

LYCVRGO. VII.

728. 1. Scriba ciuitatis.) γραμματία. Hæc uox omissa locum totum confuderat. Est autem in scripto & Aldino.

729. 25. Calei Abronis filius, curia Batensis.) βατῦθεν. Sic & suprà initio, & hic scriptus. & Suidas ait Baten δῆμον Aegeidis tribus esse. λατῦθεν uerò nihil est. mox pro ἀεξωνέως lego Ἀιξωνέως. hic enim δῆμ& est notus.

730. 24. Quibus substruebantur.) μισοπρανῶς, nimirum διάνας. non μισοπράνας. Vide Poll. lib. 3. cap. 11. Onomast.

ibid. 30. Status liberi.) Δηλέας. ἰπιπαλ. Videtur aliquid desiderari. Ibis auis est anguibus infesta, ita Lycurgus malos tollebat. Videtur esse senarius ex comœdia aliqua. & Ξᾶν legendum. sed & ἐν inserendū est inter αὐάνεσθ & ἐρεχθέως. Εὐωνυμᾶ in fine non commodè legitur, nisi datiuo casu dictum est, ut φρεατίοι, & alia. Nam εὐωνυμία tribus Pandionidis δῆμος est etiam Stephano. Ego scripsissem εὐωνυμίθεν, ut παιανιεῖς.

DEMOSTHENE. VIII.

731. 18. Gylonis.) Γύλων& ex ipso Plutarcho sic emendare in promtu fuit. Atticè τὸν δὲ δῆμον scriberetur. sed quia hoc sæ-

pius hic repetitur, & apud Laertium quoque in Polemone, & alibi sic legitur, in medio relinquo. Et quia huius summi oratoris uita cùm in Parallelis Plutarchi copiosè est descripta, tum alia extât de eadem permulta, non sanè uolui hîc nimis esse accuratus. Vide autem nonne pro ὃν τινες ἔφαμεν προκυμένους αὐτῷ σχολάσαι, legi debeat ᾧ τινες αὐτὸν. In historia de Callistrato ἐμπάλιν uocabulum est mendosum. V'ã succurrere non potui ex templò, asteriscum alleui.

732. 17. Literum R.) Ridiculus error est in ῥώμην pro ῥᾳθυμὸν. Interpres: Et i. facultatem dicendi consequeretur. Cæterùm uide an pro ἐκπεσεῖσθαι non sit legendum ἐκπονεῖσθαι. uel ex Cicerone notum est, Demosthenem suæ artis (rhetoricæ nimirum) primam litteram pronunciare aliquàdo nequiuisse.

733. 23. Lamachum Terinæum.) Τερινάιον in altera uita est μυρρινάιον. fortè μυρινάιος à Lemni urbe μυρίνα. Fuerunt & Attici, δῆμον μυρινούσιοι. Terina urbs est Italica, de qua Stephanus & Plutarchus in consolatione ad Apollonium, Elisium Terinæum Italum appellat. Sed id huc non puto quadrare.

735. 37. In Aeaci templo.) Τὸ Αἰάκειον scribe ex Plutar. cùm τὸν ἀκρᾶον nihil sit: nescias q; ubi consederit, qui ad Acræum consederit, ut habet Britannus.

737. 19. Decennio pòst.) δεκάτῳ ὕστερον. ἴσως de meo adderem. πάσιν autem scriptus habet pro πᾶσιν. liquet.

ibid. 32. Ab Ephialta.) scribe Ἐφιάλτου. legebatur Ἀλφιάλτου, & in scripto aliquanto rectius Ελφιάλτου. Ephialtis nomen etiam alibi in historia Attica occurrit, sed Demagogus iste Ephialtes, qui Persicam tractarit pecuniam, in Hyperidis uita nominatim commemoratur.

IN HYPERIDE. IX.

739. 7. Alphenum.) Ἀλφινὸς. scriptus Ἀλφίνης. & sic infrà habetur.

ibid. 22. Honoribus.) Δημοσθ. Τιμὰς, non τινὰς. Aldinus & scriptus rectè. Cæterùm obiter hoc monere lubet, ex hoc loco intelligi posse, quid sit quod in fine Demosthenis est, ἐνωμόσατο Διονύσας.

740. 8. Purgauit se de.) περὶ τοῦ περὶ δὲ Διαφ. sic ex scripto. (& sententia quidẽ postulante) corrigo. sed ex sensu & iis quæ præcesserunt γλαυκ. τὸ ὑὸς pro τινὸς τὸν scribendum.

741. 32 Scimus Antip.) Ὀιδα μὲν. malim οἶδα μὲν. sed non ita multũ refert. Paulò supra Leosthenẽ pro Demosthene ex historia belli Lamiaci reposui. quæ uel è Phocione Plutarchi nota est.

IN DIMARCHO. X.

742. 10. Affam peragr.) ἐπῆλθε. sic rectè scriptus, quod in impressis in ὠθῆ degenerârat.

ibid. 33. Recusaret.) βουλοίμην. Equidem contenderim legendum ἐβουλόμην. Non enim (puto) accusassset Proxenum, si is ultro de facto domi suæ furto se inquisiturum recepisset.

ibid. 31 Contra Aristog.) ante Ἀριστογάτ. addendum ὁ κατὰ. Ea enim extat oratio Dinarchi.

IN DECRETIS.

643. 4. Leuconensis.) pro Λευνευδοὺς scribi debet. Λευκονοεῖς. Sic suprà in Demosthene bis, & infrà Sudas ante οὐς inserit, scribit enim Λευνοεῖς. δῆμος & Διοντίδ & οἱ Λευκόνοει. infrà πρὸς ante Ἰλουσίνια addo, & ἐνὼρ δημοσ. lego. Sed et alia sunt manca.

744. 36. Stratocles Euthydemi F.) scribendum fuit Ἐὐθυδήμου Διομειεὺς. scriptus & Aldinus habent Ἐὐβυδήμου Διομελεὺς. ut cur Corrector εὐβυδήμου Διοπειθοὺς scripserit, id q; Interpres amplexus sit, non possim coniicere. Sed legendum est Διομειεὺς, cuius δῆμος suprà quoque in simili errore abolendo fecimus mentionem.

745. 22. Imperfecta.) ἡμίεργα nõ ἡμιέργα. Sic scriptus, & suprà quoque opera intellige semiperfecta, ἡμιτελῆ.

FINIS ANNOTATIONVM
Tomi secundi.

RERVM AC VERBORVM IN HAC SECVNDA PARTE MORALIVM PLVTARchi memorabilium Index iuxta seriem Alphabeti.

Abron 729.24, 731.3
absorpti à terra 69.5
abstinentia coniugalis 305.9
abydus 172.29
Accipitris imago 194.25
accipitris natura 194.26
acerbitatis causa 273.26
achelous 647.26
acheron 618.23
Achilles 259.18, 261.28, 274.34, 320.19, 454.30, 487.8, 573.35, 705.20, 706.5
achilles pulcer 99.14
achillis virtus 434.15
achlys quid 618.19
aconiti natura 296.6
acro medicus 215.9
actionis oratoriæ commendatio 733 10
actiones amatoriæ 275.15
actiones sine fine 520.1
actionum requisita 488.36
actionũ senilium exempla 507.25
actionum vitæ fons 330.3
actionum voluptas 122.30
Ade 145 22, 178.30
ades 618.23
adelphi vax 372.9
adfectionum animi propagatio 243 34
adfectionum remedia 326.33
aduersus Affectiones prauas quid sit vtile 346.5
adfectuum & peccatorum comparatio 499.9
adfectuum inæqualitas 499.10
adimantus 358.37
adolescentes qui probandi magis 332.24
adolescentes quos reuereantur senes 528.10
adonidis horti 238.36
adrastea 246.21
adrasteæ sanctio 672.8
adsuefactionis vis 395.19
adsuefactionis vtilitas 301.13
adulterium quid 300.8
adulteria mutua 581.25
adulterorum natura 317.8
Aedificiorum mutatio 292.33. 628.10
ageria 81.26
agesta 84.3
ægipanes 76,12
ægon 449.37
ægyptiorum pueri cur diuinandi periti putentur 168.30
ægyptiorum superstitio 208.11
ægyptus 186.22,429.28, 447.18
æmylius 75.22, 326.5
æmilius Censorinus 84.4
æmilius Paulus 69.14, 411.27, 472.5
æmilius Scaurus 411.37,412.22
ænitus 82.34
æolus 78.12
æoli habitatio 649.19
æqualitatis situs 212,13
aër an primum frigidum 618.3
aër ex igne 618.36
aër vt fiat tenebrosus 618.24
aëris effectus 603.6 (33
aëris natura 6.11, 214.28, 623.
aëris nocturni natura 216.20
aëris vis 624.25 (618.10
aërem esse primum tenebrosum
aërem non esse frigidum 623.21
aëropus 427.9
aëropa 638.23
æs alienũ cui cauendũ 586.34
æs optimum quod 712.30
æris alieni fuga 586.28
æschines 288.32, 362.1, 554.28, 635.18, 734.9
æschines Academicus 519.20
æschinis mors 725.37
æschinis orationes 726.5
æschinis pater 724.28
æschinis præceptores 725.2
æschylus 636.15, 638.21, 692.11
æsculapius 298.33
æsopi mors 232.32
æstas quomodo fiat 38. 21
æstatis atq; hyemis indicationes
æstus vis 195.6 (29.10
ætas iuuenilis ad quid sit accommoda 516.33
ætas senilis ad quid accommoda 516.33
æthia 94.25 (19
affectio animi miserabilis 398.
affectio bona quãdo fiat 498.19
affectionum comparatio 113. 20
affectus an sint opiniones 494.10
affectuum fœtus 502.29
afranius 546 30
africæ natura 624.5
Agamẽno 15.37,83.8,99.6,147.16, 261.1, 274.34, 284.35, 311.2, 351.16, 454.15. 27, 640.15, 705.21
agamẽnonis præstantia 434.14
agatho 402,20
agathobulus 109.17
agathocles 233.19, 264.7, 281.26, 578.13
agaue 406.27
ageis 716.8
agendi principia 407.4
agenor 67.23
agesilaus 71.3, 126.36, 265.30, 341.22, 343.2, 354.30, 508.2, 518.6, 549.28, 552.12
agesilaus Spartanus 546.13
agesilaus Themistoclis F. 66.26
agesilai virtus propria 454.23
agesistratus 735.32
agis 313.9, 530.21, 567.32
agriantæ 120.7
agricolarum spinam exscindendi mos 226 16
agriculturæ ratio 224.24
agrigentinorum medicamẽtum 225.34
agri pater quis dicatur 593.30
Aiax 176.4,234.1,361.23,376.18, 499.11, 554.18, 649.20
alacritatis in operando causa 475.14
alæ natura 600,7

Alcamenes 539.15
Alceus 398.32
alcibiades 224.14, 313.7, 392.11, 428.29, 436.37, 535.2, 536.22, 543.6, 544.25, 578.20, 631.8, 711.9, & 30
alcidamas 725.3, 732.1
alcinous 649.21
alcippe 84.14
alcinæo 545.23, 647.25
alcman 642.21, 684.19
alcyonum natura 152.18
alcyonum partus 417.8
ἄλευ 307.3
aleua Theſſalus 371.23
alexander 726.36, 127.6, & 30, 233.14, 261.17, 265.22, 274.13, 280.26, 283.18, 304.36, 310.32, 320.16, 322.8, 411.8, 425.25, 479.4, 480.23, 499.15, 524.8, 568.33, 660.8, 683.36, 725.20, 729.2, 736.73
Alexander Magnus 424.31
alexander Moloſſus 424.37
alexander Pheræorum tyrannus 438.24
alexandri ætas 437.36
alexandri cum alijs imperatoribus comparatio 454.15
alexandri dicta 432.36
alexandri diſcipulorũ cum Platonis & Socratis comparatio 428.25
alexandri imperium 430.20
alexãdri interrogationes 453.5
alexandri magnanimitas 433.30
alexandri pudicicia 446.29
alexandri veſtitus 431.21
alexãdri virtutes 436.6, 454.8
alexandri magni fortuna 426.1
alexandri magni viaticum 427.32.
alexandro aduerſa fortuna 450.28
alexandro quomodo imperium obtigerit 450.16
alexandrum eſſe philoſophum 429.36
alexandrum non fuiſſe fortunæ opus 441.34
alexandrea 429.28
alexinus ſophiſta 345.26
alexis 509.1
alia 422.16
alimentum naturæ cognatum 100.8
aliterium 306.33
alphenus 739.7
alymonus 450.13
Amalthea Stoicorum 87.9
amantium natura 393.16
amaſis 443.9
amathuſius 641.5
ambitio 525.8
ambitio occulta 142.18
ambitionis incommoda 571.34.
ambitionis vis 128.22
ambitioſus quis ſit 470.16
ambulare qui dicantur 529.10
amenthe 178.35
amici memoria 138.31
amici optimi qui 641.16
amicis gratificandi citra inuidiam ratio 550.24
de Amicis iudicium 548.6
amicicia quouſque extendenda 550.13
amicitiæ diſciſſæ cauſa 352.20
amicitiæ ſemen 473.2
amicitiæ veræ origo 349.9
amicitiarum fructus 369.14
aminias tibicen 120.24
ammonis nomen 187.7
amor fraternus naturæ conueniens 347.20
amor fraternus parentum reſpectu qualis 251.26
amor Stoicus 86
amor validiſſimus quis 575.8
amoris fraterni vinculum 369.37.
amoris fuga 515.7
amoris officium 478.2
amoris ortus 199.10
amores fœdi 99.5
amphiaraus 69.6
amphilochus 244.16
Amphion 475.16, 682.20
amphipolis 638.6
amphitritæ vnde dicti 212.4
amulius 82.33
amuſi 439.2
amyntas 427.9
Anacharſis 377.29
anaco 721.26
anactorium 225.15
ἀναλγητὰ quæ 612.31
anaxagoras 290.24, 325.19, 347.28, 471.31, 573.1, 590.21, 657.17
anaxarchus 310.33, 332.34, 479.3, 493.4, 499.24
anaxarchus muſicus 434.27
anaxicrates 730.15, 742.26, 744.34
anaximenes 6.11, 427.21, 541.26, 616.33, 736.7
anaxillas Orestes 738.6
anchiſes 416.36
anchurus Midæ F. 68.25
ancus Marcius 412.30, 419.3
andocides qua ætate vixerit 716.4
andocides Leogoræ F. 714.21
andocidis elocutio 716.13
andocidis orationes 716.1
andreas Corinthius 692.19
androclus 638.15
androcottus 261.18
andronichus 733.7
androtionis patria 653.1
anima optima quæ 463.19
anima quid ſecũdum antiquos 605.10
anima quid ſit 43.18
animæ brutorum natura 93.11
animæ cogitationes 231.16
animæ definitio 6.13
animæ definitio Ariſtotelicæ 603.31
animæ delectationes quales 114.21
animæ deſcriptio 107.21
animæ excellentia 93.6
animæ facultas thymoeides 485.7
animæ facultates 605.36
animæ humanæ natura 214.6
animæ immortalitas 45.8
animæ medicina 220.10
animæ motus 45.3
animæ natura 8.6, 596.18, 597.15

animæ origo 657.2
animæ pars princeps 44.26, 51.25
animæ partes 44.8
animæ perpetuitas 238.25
animæ sensus vnde 51.23
animæ substantia 43.30
animæ vigor vt pereat 521.35
animæ proprium sentiendi instrumentum 122.15
animæ inuicem mandẽtes 250.37
animæ morientiũ quales 245.8
animarum transmutatio 248.3
animalia ab Aegyptiis culta 208.20
animalia cur audacia 153.8
animalium cædes qui decreuerint 467.20
animalium corpora per hyemẽ cur calidiora 623.12
animalium cicurum comparatio 194.1
animalium genera 61 15
animalium inimicitia 209.5
animalium natura 60.25
animalium nutritio & incrementum 64.10
animalium ortus 60.25
animalium præstantiorum finis 112.10
animalibus ingenerata erga homines benevolentia 573.30
animalia interficiendi modi varij 465.19
animus aduersus perturbationes vt muniendus 308.18
animi ad res aduersas præparatio 325.20
animi affectio qualis 311.14
animi discordia 497.11
animi partes 51.31, 502.1
animi philosophici quid sit 434.23
animi imbecilli causa 321.8
animi imbecillitas 344.29
animi interitus 140.9
animi lætitiæ subiectum 123.36
animi morborum primus 405.32
de Animi morbis indicium vnde sumatur 405.30
animi obfirmatio 344.36
animi oblectatio 328.35
animi ornamenta 531.20
animi paupertate qui laborent 398.1
animi superbi natura 273.20
animi vis 125.29
animi voluptas 114.28
in Animo præcipua quæ insint 487.31
animum quid inflammet maximè 289.35
animi multitudinis vt conciliandi 545.11
anius 84.21
annibal 76.35, 472.6, 558.29, 654.27
annibal Carthaginensis 421.29
annon 535.5
anserum clangore Roma seruata 423.25
anserum natura 386.29
anubis 169.1, 189.6.10, 201.19
anthes Anthedron 682.25
anticyra 287.30

Antigenes 448.8
Antigenes Pellæneus 447.33
antigona 448.23
antigonus 243.16, 279.27, 281.29, 342 20, 361.5, 380.14, 520.25, 588.2, 742.25
antigonus secundus 266.2
antigonus senex 174.6, 337.31, 433.2
antiochus 361.7, 366.10, 421.9, 422.1
antiochus Opuntij 357.7
antiochus Seleuci filius 450.35
antipater 237.31, 339.35, 322.7, 735.35, 394.23, 399.11
antipater Casandri filius 335.17
antipater Tarsensis 316.15
antipatri patria 652.21
antiperistasis quid 600.21
antiphanes 733.13
antiphon 358.1, 711.39
antiphon qua ætate vixerit 712.4
antiphonis rhetoris pater 711.5
antiphontes 635.28
antiphontis orationes 712.36
antiphontis tragœdiæ 712.1
antiphraxis 187.28
antisthenes 442.8, 474.11, 556.8, 656.12
antonius 413.25, 414.17
antonij & Augusti coniunctio & dissidium 414.24
anytus 159.16, 327.17
Apharæus 84.16, 721.6
apharei orationes 723.31
aphobus 732.5, 726.9
aphrodisia quid 124.4
apelles 118.18, 320.26
apelles pictor qua ætate vixerit 440.22
apis 172.33, 188.21, 210.6
apis interitus 166.9
apollo 233.26, 239.3, 517.4
apollo Loxias cur dictus 388.28
apollo Polycephalus 685.9
apollinis ortus 197.12
apollinis Pythij templo quid inscriptum 388.21
apollinis vocabulum 212.10
apollini cum nocte commune quid 249.16
apollini sacrum animal 208.8
apollocrates 237.31
apollodorus 229.27, 232.8, 474.31, 631.33
apollonides Cyzicena 359.31
apollonius peripateticus 363.34
apollonia 225.14
apopis 184.2
apothetus 683.17
appellationum origo 150.30
appellationum varietas 498.5
appetitio ciborum vt irritetur 268.7
appetitionum differentiæ 96.29
appetitionum mediocritas 319.30
appetitus animaliũ causa 64.18
appetitus necessarij 99.37
appius 554.13

Appius Claudius 525.27
apum alueus optimus 578.32
apum natura 152.14, 457.24
apusia quid 182.8
aqua an sit primum frigidum 620.18
aqua quæ facilius concrescat 619.23
aquæ elementum 182 6
aquæ origo 11.15
aquæ natura 5.25, 619.10, 624.29
aquæ frigidissimæ quæ 628.25
aquarum fluxus 602.20
aquilarum natura 303.1
aquilonis natura 309.1 619.16
Aræ tubarum sonitum edentes 75.10
araspes 304.31
aratus 544.23
archadicus vates 348.29
archadio Archiuus 279.31
arcanum cur silendum 381.5
arcanorum natura 296.22
arcanorum principum indagatio 296.5
arcesilaus 286.20, 317.3, 428.13
archedemi patria 652.22
archelaus 120.4, 438.34, 650.36
archelaus physicus 629.23
archelaus Macedonum rex 337.20
archelaus rex 384.33
archeptolemus 712.14, 714.2
archestratus poëta 438.6
archias 126.23, 736.5
Archias Phygadotheras 740.10
archidamus 343.30, 540.3, 541.24
archilochus 239.20, 684.11, 686.36, 697.27
archimedes 116.23, 510.33
archimedis studium 117.29
archinous 711.31
archinus 717.22.33
archippus 631.10
arcon Pytharatus 744.3
archontes quomodo legantur Athenis 449.31
archytas 222.18, 5745.1
arcus cœlestis mathematicis quid 172.18
ardalus Trœzenius 684.12
artabanus 365.33
artaphernes 585.11
artaxerxes 450.36
artemisium 66.24
aremanius 190.37
areus 561.37
arethusa 471.10
argeades 435.4
argillæ natura 582.36
argo 475.27
argo nauis 174.1
ariamenes 365.17
aridæus 245.36
arimanij natiuitas 191.19
ariobarzanes 71.18
aristagora 741.2
aristarchus 116.23, 603.21
aristarchus Theodectæ pater 347.6
aristida 578.24
aristidas 124.21, 281.2, 290.36, 455.5, 519.12, 527.6, 530.5, 546.11, 552.21, 635.15, 711.24, 715.24
aristippus 253.33, 288 20, 315.36, 394.31, 397.4
aristippus Socraticus 432.13
aristo 157.20, 235.21, 295.31, 553.15
aristo Chius 470.23, 482.37
aristo Oetæus 226.35
aristonis patria 652.18
aristobulus 133.27
aristocrates 218.5
aristodemus 104.37, 129 28, 479.36, 724.34
aristodemus Batensis 726.29,
aristogiton 379.2.463.6, 712.31
aristonicus 440.8, 734.30, 739.1
Aristonymus 729.37
aristonymus Ephesius 78.26
aristophon 539.6, 653.25, 732.9
aristophanes 120.22
aristophanis dicēdi genus 708.20
aristophanis poësis qualis 710.3
aristotechna 220.14
aristoteles 374.14, 430.12, 496.8, 649.4
aristotelis patria 652.16
aristotelis voluptas 123.8
aristoxenes 120.21
arrephorotum 723.21
arridæus 443.9, 444.32, 520.25
arsaphes 184.19
ars dicendi vt exercenda 538.9
artis ciuilis opꝰ maximū 579.31
artes variæ 587.10
artium incremēta quid efficiat 438,14
artium origo 8.8
arueris natiuitas 167.5
aruntius 74.30
aruntius Paterculus 84.6
Asclepiades 720.9
asclepiodorus 632.2
asclepius 733.17
asdrubal 66.16, 429.2
asiæ incolarum seruitium 339.24
asini natura 179.14
aso 167.33
aspidis comparatio 210.33
aspidis cultus 210.21
astarta 169.21
aster Olynthius 70.1
astrorum confectio 11.4
astydamas 638.25
Ateas 439.2
atepomarus 79.13
atheas Scytha 120.24, 521.31
athenæ obsessæ 377.36
athenæus 350.33
athenienſium in fabularum actiones sumtus 637.5
atheniensium ingenium & natura 534.23
athenienſium victoriæ 638.1
athenodorus 357.16, 439.35
atho 276.3, 318.14
athos 441.16
athyr 206.28
athyr mensis 168.11, 185.26
athyri 198.33
C. Atilius 418.19
atomi nomen & natura 9.25
atomorum figuræ 9.21
atossa 365.19
atreus 80.23, 352.10
atrometus 724.28

attalus 120.4, 350.33, 367.20, 521.15
auaricia belluina 400.1
auaricia punita 76.30
auariciæ exitus 72.35
auariciæ natura 398 34
auarorum filij 400.36
auarorum natura 399.2
audaciæ militaris exemplum 68.10
audaciæ vox 212.12
auditio suauissima 511.21
auditus quomodo fiat 49.15
auditus foramina garrulis vbi desinant 373.22
auditus impedimentum 592.26
augeas 243.17
augustus 414.5, 563.35
augustus Cæsar 517.26
augusti victoria Actiaca 418.21
aulidis 72.30
aulis 583.18
aurium iudicium 704.20
aurum internum corruptelæ expers 572.6
auri natura 159.2
autolycus 102.23, 226.10
autolycus Areopagitæ 730.20
automaton quid 676.28
autophradates 448.25
autoritatis effectus 574.20
autumni natura 181.29
auxomenon 236.33
Axioma quid 609.2

B

Bacchanaliũ festiuitas 403.3
Baccheium carmen 698.10
Bacchus 70.15, 178.3, 248.28
Bacchi cognomen 182.10
bacchi nomen 187.5
bacchiorũ sacrorũ ritus 182.25
bacchylides 653 2
bactra 429.10
bagoas 445.6
bal Aegyptiis quid 215.18
Q. Balearicus 411.33
battus 574.15
Beatitudo vnde depẽdeat 666.34
behæon 193.33
bebon 202.9
bellicosorum pictura 165.29
belonarum natura 383.36
belterophontes 300.33
belluarum natura 114.19
bellum Cimbricum 75.6
bellum Illyricũ & Traballicum 453.19
bellum Samniticum 67.31
belli porta 418.12
belli requisita 420.30
beneuolentia quibus opponatur 658.2
beneuolentia quid sit 658.3
beneuolentiæ causa 363 13
bessus Pannon 226.35
bestiarum comparatio 102.20
Bias 337.31, 375.32
biantis dictum 218.2
bilis à benignitate distantia 133.6
bile laborantibus quæ accidant 47.36
binarij natura 371.12
bio 240.23, 345.23
bocchores 164.7
bocchorides Aegyptius 334.12
bocchus 547.21
Boedro-

Boedromion mensis 366.26
bœotorum natura 463.15
boidium 123.35
bonæ spei ara 419.25
bonum imperfectum 188.9
bonum quid Epicureis 111.23
boni natura vnde existat 111.30
boni proprium quid 133.5
bonorum consideratio 316.12
bonorum cum malis commixtio 190.6
bonorum & malorum instrumentum 380.9
bonorum feriæ 330.20
bonorum memoria 323.10
bonorum post mortem expectatio 138.15
bona amittendi metus 140.21
borborus fluuius 649.10
boto 719.18
Brachyllus 716.31, 718.7
branchidæ 233.16
brasidas 217.7, 455.25, 633.37
brasidæ virtus propria 454.24
brennus 72.33
breuiloquentiæ laus 387.30
briareus 318.8
brisëis 284.35
brutum quid dicatur 484.4
brutorum artes 100.31
brutorum castitas 99.20
brutorum cum plantis comparatio 151.18
brutorum doctrina 101.34
brutorum fortitudo 93.16
brutorum natura 113.30 151,2332, 65,8,25.
brutorum proprietates 151.10
brutorum pugna 658.31
brutorum ratio insita 102.10
brutorum temperantia 96.5
brutorum virtutes 93.15
Brutus 71.22, 334.28
bubonis natura 365.10
Bucephalæ 429.36
Buli 564.13
Busiris 83.23
busiritarum mos 179.18
Butus 204.20
Byblus 169.3
bysatia 76.25
byzantius 399.20

C

CAdmus 243.29
Cæciæ vis ac natura 578.1
cæcilius 725.3
cæcilius Metellus 411.31
M. Cædicius 413.11
cæneus 85.18
cæpæ natura 163.25
cæsar 413.15, 554.20, 561.36, 569.19, 620.6
Tit. Cæsar 525.5
cæsaris fortuna 414.8
calamitatis causa 374.37
calamitatis remedia 644.6
calamitates publicæ 236.17
calamoboas 394.27
calippo 335.16
calippus 226.30
callæschrus 712.20
callias 402.18, 578.19 717.1
callias Syracusanus 731.36
calliæ adulatores 474.29
callicles 340.2, 576.31
callicratidas 128.16, 571.5
callimachus 66,10, 634.23
callimachus Cyrenæus 14.13

Callinicus 656.17
callimici 446.13
calliope 472.34, 538.29
calliroë 76.18
callisthenes 274.13, 521.24
callistomacha 729.32
callistion 729.33
callistone 729.24
callistratus 555.17
callistratus Empædi filius 731.27
callixenus 150.16
callondas 239.21
calœus 729.25
caloris in aërem mutatio 619.5
caloris proprium 627.34
calpurnius 78.6
calpurnius Crassus 76.22
calpurnia 75.7
calumniatores quid scrutentur 306.29
calypso 589.37
camillus 144.11, 281.2 412.34, 653.16
cambyses 367.36
caniculæ stella 201.37
canis figura quid denotet 166.4
canis veneratio 189.18
canum natura 308.21, 394.31, 570.20
canopus gubernator 173.37
canthari cultus 210.22
cantharides 227.27
cantharidum natura 400.5, 659.32
cantharolethrum 323.37
cantharorum natura 210.28
canulia 78.21
capacitas quid sit 20.13
capio 363.14
C. Caprarius 411.34
Carbo 255.34, 537.34
carcinus 638.22
cardaces 120.6
carneades 108.23, 325.34. 392.22, 394.25, 420.13, 519.21
carnis esus causa 468.34
carnes cur edantur 459.16
carnes vt edendæ 465.15
carnes vt nascantur 62.10
carnium cruditas 462.36
carnium esum esse contra naturam 462.1
ex Carnium esu damna 463.9
carnium præparatio 462.19
carnium vsus 100.16
carthaginienses victi 421.10
carthaginiensium ingenium 534.32
casander 225.18, 361.5, 561.18
casandri statua 237.25
casandra 83.8, 574.10
Caspium mare 441.32
casius Brutus 71.10
casius signifer 71.13
castor 361.21
castores 29.3
castorum amor 356.18
casus & fortunæ comparatio 676,25
casus fortuitus 72.10
casus insperati 499.18
catæbates 445.26
cathetus 84.23
Cato 264.17, 290.36, 332.23, 342.30, 363.14, 464.36, 471.32, 479.30, 507.25, 516.9, 518.7, 519.14, 530.6, 543.29, 546.12, 551.24, 553.9, 554.20, 555.32. 569.18, 572.17, 582.2, 586.31
Cato maior 541.1, 544.36
cato Romanus 520.34
catilina 553.16
catulus 342.30, 547.27, 551.24
caucasus 429.10.30, 441.30
caudinæ furcæ 67.33
causa quid sit 17.36
causarum diuisio 675.18
causarum infinitas 12.4
Cecrops cur biformis 223.25
celænæ 68.20
celtiberum consuetudo 388.5
centaurorum ortus 99.30
centimanorum natura 748.1
cephi odorus 343.13
cephisodotus 731.2
cephisus 555.22
Cepio 684.34
cepion 683.18
ceramicus 378.9
ceraunus 446.1
cerberus 140.32
ceres 206.25
cereris ac Proserpinæ nomē 187.8
ceruicis inter ambulandum elatio quid denotet 258.37
cerno cur cornua data 442.11
Chabrias 519.14, 546.18, 640.22
chæron 293.1, 664.10
chærondas 729.26
chæronidas 720.25
chalcioeci templum 385.32
chaldæorū de deis opinio 192.10
chaos quid 199.6
chares 361.37, 514.33
charicles 357.7, 731.37
charilaus 444.27, 659.10
charillus 550.7
charinus 558.15
charmides 390.22, 730.1
charmosynæ 178.29
charybdis 266.7
charondas 299.6
charopos 178.8
cheiron 706.6
chemia 181.36
chenosiris 184.14
cherronesus 638.6
chiron 705.22
chlido 516.6
chloris 394.22
choæ 569.36
choaspes 645.35
cholera laborantium natura 589.10
chonuphis Memphita 165.5
chrematis vsus 692.3
chromius 67.23
chrysippus 80.24, 483.19, 496.8, 593.31, 625.8
chrysippi patria 652.20
chrysitis quid 400.22
Cibi qui cauendi 304.26
Cicero 258.19, 260.14, 414.15, 541.37
ciconiæ cultus 210.20
ciconiarum natura 101.37
cicurandi ratio 94.8
cimon 224.11, 235.29, 482.5, 519.14, 527.6, 536.28, 540.1, 558.36, 569.17, 636.14
cineas 639.31

cinna 79.32
cinyras 75.30, 450.4
circuli lactei natura 34.15
circuli zodiaci ornatus 12.31
citharæ figura 684.33
citharœdicæ artis nomi 683.20
ciuilis hominis institutio 266.35
ciuilis viri animus 563.19
ciuilis viri officium 558.8, 562.37, 580.8
ciuilis viri proprium 474.2
ciuili viro quæ cauenda 523.16
ciuitas quid 236.19
ciuitatum maxima bona 579.34
ciuium concordia 580.10
ciuium obedientia 566.5
ciuium seditiones & discidia 578.35
Cleanthes 588.2
cleanthus patria 652.20
clearchus 445.36, 717.1
clearchus Ponticus 479.34
cleo 472.34
cleisthenes 226.3
cleon 295.37
cleo 534.36, 545.32, 548.7, 558.27, 569.8, 631.4, 638.10
cleobula 731.17
cleocritus 717.6
cleombrotus 729.33
cleonæi 226.1
cleonica 230.1
cleopatra 414.18
clinodemus 631.20
clisthenes 519.12, 546.18
clitomachus 429.1
clitophon 545.33
clitophontes 428.29
clitus 445.22, 479.4, 499.19
clodius 389.17, 545.23, 653.23
clonâs 684.8, 686.9
clusia 72.14
clymene 662.25
clytemnestræ somnium 229.20
Cnephas quid & vnde dictum 618.17
Cocles Romanus 573.12
cocytus 140.32
codrus 656.11
codri factum 74.8
cœlum qua figura significetur 165.23
cœlum vt natum 31,2
cœli natura 26.23
cœli orbes 26.29
cœna monstrosa 459.11
cœna sumtuosa 466.27
cœnæ gratia 254.31
cognitio veri qualis 115.12
cognitioni rerũ adiuncta 300.12
cognomina varia 446.15
colendi qui sint 565.6
collegarum amor 564.33
colophoniorum genus 421.25
color medius 490.1
color quid 19,2
coloris genera 19.9
colorum molestorum remedia 643.4
colotes 128.11
comarchius 683.17
cometæ natura 34.36
Caminius SuperLaurētius 81.26
conceptio vt fiat 45,25
concordiæ fundamẽtum 357.36
concordiæ symbolum 389.9
cum Conditione poni quid sit 672.3
confidentiæ descriptio 95.13
congelatio quid 627.19
congelatio quomodo fiat 619.9
congelationis causa 622.31
coniugia brutorum 151.34
coniunctionum apud Dialecticos vsus 611.34
conon 128.16, 631.12, 638.11, 641.3
conscientia malefactorũ 329 22
conscientiæ malæ indicia 231.26
conscientiæ pœna 229.10
consilium sapiens 517.25
consilia quarum rerum ineantur 488.25
consolandi ars 713.4
consonantia diapason 693.36
consonantiæ natura 602.36
consuetudinis vis 311.15 389.30, 647.4
consultatio animi 495.10
contemtus effectus 284.27
contemtio quæ fugienda 577.5
contentionis vox 212.11
continentia quæ dicatur 491.3
continentia virtute minus aliquid 491.15
continentiæ & temperantiæ discrimen 490.35
contingentia quæ 674.15
contingentiæ & fati comparatio 672.20
contingentis & possibilis differentia 674.4
contingentium diuisio 674.25
copais 99.9
copreus 226.9
coptitarum mos 179.10
coptus 168.26
cor hirsutum 68.13
corax Naxius 239.15
cordati hominis quid sit 342.10
corinna 639.8, 689.19
cornelius Scipio 544.30
cornelius Sylla 432.3
cornicelus 419.31
corpus è vitioso corpore natum vt curandum 241.25
corpus quid sit 18.8
corporis affectionũ natura 53 23
corporis humani miseria 110.5
corporis imbecillitas quid adferat incommodi 514.17
corporis membrorum elementa
corporis natura 106.13 (62.10
corporis principium 597.15
corporis robusti causa 321.8
in Corpore cur pleraq; duplicia 347.22
corporum accidentia 9.17
corporũ intelligibiliũ natura 9.
corporũ natura 597.1 (11
corporum primorũ causa 183.30
corporum solidorum formæ 25.5
correctionis effectus 504.15
cotys 261.33, 565.36
Cradias nomus 685.31
crassus orator 555.26
craterus 361.4, 380.23, 448.35
crates 149.25, 310.36, 442.36, 581.10, 587.34, 685.16
crates Thebanus 590.16
cratinas Magnetes 552.24
cratinus 712.24
cratippus 631.14
credulitatis remedium 290.8
creo 335.7
criso 320.16

Critias 711.31
critolaus 73 15
critolai patria 652.18
critolaus peripateticus 556.21
crocodilus cur colatur 210.37
crocodili natura 211.3
à Crocodilis qui non infestentur 170 30
crœsus 577.13
cromnus 343 31
cronos 180.20
cteſicles 731.15
cteſipho 278.21
cteſiphon 725.21, 734.31
cucurbitularum natura 298.3, 315.27, 600.33, 643.27
cupiditatis & iudicij comparatio 494.28
curiatij 73.24
curioſitas amarore permixta 305.27
curioſitas in quibus ſita ſit 297. 15
curioſitas quid 293.12, 298. 18, 300.10
curioſitas vt fugienda 296.30
curioſitatis damnoſæ exemplum 305.15
curioſitatis mala 383.30
curioſitatis remedium 301.12, 13, 304.13
curioſitatis vitium 291.8
curioſitatem ſequentia 300.15
curioſus quis 257.10
curioſi animus 296.2
curioſi mores 295.26
curioſi quæ quærant 299.3
curioſi quibus malis delectentur 297.26
curioſorum aures 298.5
curioſorum exercitia quæ 297.1
curioſorum fides 300.31
curioſorum loca 299.26
curioſis inuiſa quæ 299.12
curtius 69.1
Cyane 74.21
cyanippus 75.12
cyanippus Syracuſanus 74.19
cyclops 380.1
cyclopum ager 92.26
cynægirus 66.9. 634.23
cynopolitarum mos 209.14
cyrus 265.37, 281.25, 304. 30, 368.3, 394. 4, 449. 23, 575.6, 660.8
cyri virtus propria 454.22
cyrenaicorum opinio 107.32
cyzicenus 361.8
cyzicena 124.32

D

Daiphantus 235.2
Damatrius menſis 206.29
Damochares 726.9
Damon 690.13
damon Pæanienſis 735.25
damoſtratus 73.13
damoteles 734.30
danaus 157.36
darius 304.36, 365.17, 426. 5, 436. 26, 445. 6, 449. 25, 518. 6, 521.30, 585.10
darius Hyſtaſpis F. 449.24
darius minor 306.22
darius Perſa 71.15
datis 585.11
datis Perſarum ſatrapes 66.5
Decius 149.10
P. Decius 71.8
P. Decius Romanus 74.13

decori violatio 257.3
defenſio rei bene geſtæ 260.1
defenſio ſui mixta laudatione 257.20
definiti natura 671.37
deianira 16.4
delatores 306.21
delectationis natura 393.14
deliciarum contemtus 98.15
deliciarum varietas 465.20
delicta maiorũ cur poſteri luant 232.25
ob Delicta maiorũ qui puniantur 243.10
delphorum pœnæ 233.6
demades 400.14, 399.4, 541.8.12, 554.30, 569.30, 573.16, 730.21
demarathus Corinthius 430. 32
dementiæ natura 405.33
dementiæ proſtigandæ principium 405.35
demetrius 243.16, 327.1, 335. 18, 388.17, 445.24, 569. 16, 578.10, 742. 25
demetrius Phalereus 573.15, 646 17
demetrius Poliorcetes 90.11
democharis 726.2
demochares 737.9
demochares Lachetis filius 743. 4
democles 729.10
democrates 128.6, 542.18
democratia quid 89.1
democritus 128. 29, 155.18, 303. 37, 496. 8, 573. 29, 617.29
demodice 73.18
demodocus Corcyræus 682.34
demonicus Alopecenſis 713.22
demonſtrandi vis 8.25
demophilus 723.1
demophon 732.5
demoſthenes 260.3, 336.19, 361.37, 400.14, 527.10, 537.37, 540. 30, 541. 6, 542. 28, 543. 4, 554. 29, 567.8, 631 4, 633.37, 638. 10, 641. 1, 717. 28, 720. 18, 724.16, 725.6, 729.7
demoſthenis cognomẽtũ 737.28
demoſthenis coronatio 734.30
demoſthenis exercitationes 732. 15
demoſthenis in rempubl. merita 743.12
demoſthenis obitus 736.23
demoſthenis orationes 737.26
demoſthenis pater 731.17
demoſthenis res geſtæ 734.6
demoſtratus 78.26
denarij numeri natura 7.28
dentium vſus 374.32
deus cur beatus 479.1
deus cur muſicus 615.9
deus malis vt vtitur 225.23
deus qualis 593.27
deus quid ſit 14.9, 205.5
dei clementia 223.4
dei cognoſcendi formæ 13.10
dei deſcriptio Stoicorum 12.10
dei exemplum 222.30
dei imago 478.17
dei in cœlo ſimulacrum 478.21
dei natura 202. 25, 212. 35, 223. 1, 238. 25, 291. 24, 480. 10, 596. 13, 678. 2, 679.4

Universidad de Deusto Biblioteca

dei noticia hominib. vnde 12.9
dei virtutum imitatio 221.9
deo beatitas vnde 159.24
deo quæ tribuantur 605.19
deum nõ curare humana 15.15
de Deo disputationũ finis 114.1
ex Deo fructus maximus 221.22
de Deo quid sentiant optimi quiq; 132.35
dij diuersis nationibus diuersi an sint 205.10
deorum administer quis 478.2
deorum classes 13.12
deorum differentia 133.15
deorum motus legitimus 130.32
deorum numerus 190.32
de Diis fabulæ 166.1
de Dijs opinio qualis esse debeat 130.18
de Dijs opiniones vt tractandæ 206.20
à Dijs quæ petenda 159.18
deos se facietes homines 174.30
Dexitheus 733.36
L. Diadematus 411.33
dianium 224.16
diana 584.13
dianæ nomen 212.10
dianæ sacerdotes Ephesi 527.20
dianæ sacrum animal 208.9
diapente 694.19
diatessaron *ibid.* 18
diattontes 35.18
dicæarchea conflagratio 250.1
dictamni vsus 101.9
dies epagomenæ quid 166.32
dies nefastus 167.13
diei festi, eumq; sequentis contentio 416.5
diei lux 216.18
diesis harmonica 704.20
dinarchus 729.27
dinarchi orationes 742.36
dinarchi pater & patria 742.6
dinocrates 729.33
dio 335.15, 123.7
dionis interitus 226.30
diocles 744.17
diocles Melittensis 730.6
diodotus 734.33
diogenes 133.18, 149.2, 253.22, 285.4, 303.18, 311.6, 312.15, 330.18, 338.1, 400.36, 403.21, 434.33, 462.37, 480.23, 504.18, 505.37, 646.23
diogenes Babylonius 429.3
diogenes Cynicus 737.31
diogenis patria 652.20
diomedes 76.15, 526.27, 559.32, 454.35, 567.5, 570.33
diomnestus 719.2
diondas 739.2.24
dionysius 177.26, 184.5, 207.37, 225.11, 268.19, 312.33, 340.23, 384.25, 388.15, 439.12, 470.21, 474.32, 475.34, 481.4, 505.35, 521.32, 574.32, 712.27, 718.31
dionysii cadauer 237.26
dionysius Iambus 689.35
dionysius iunior 446.2
dionysius maior 320.10
dionysius Syracusanus 111.3
dionysius tyrannus 433.5, 438.17, 712.2
diotimus 733.2

Diotimus Diopithis F. 731.14
dioxippus 303.19
diphilus 730.22
in Disceptationibus causarum quid agendum 582.14
disciplinarum liberalium vtilitas 681.16
discordiæ effectus 358.13
dissensionum fuga 559.11
diuinationis natura 54.9
diuinitatis appetitꝰ quid 159.36
diuinorum ad homines translatio 174.5
diuitiarũ amori propriũ 398.13
diuitiarum alinina cupiditas 399.37
diuitiarum felicitas 403.30
diuitiarum impotentia 396.11
diuitiæ quatenus laudem mereantur 396.1
diuitiarum vsus 402.13
diustias parandi modus 321.9
dryllus 631.20
Doctrina philosophica vim legis adepta 475.32
doctrinæ philosophicæ effectus 471.23, 480.21
dokana 346.29
dolon 499.11
dolone ignobilior 97.15
doloris esca 141.7
doloris remedium 641.27
doloris vis 106.3
dolorum causa 325.35
domitianus 306.5, 563.34
donandi arbitrium 337.26
dositheus 530.12
Draco 690.22
dromoclidas 533.19
δυσωπία 332.11

E

EBius Toliex 81.2
ebrietas 74.20
ebrietas quale vitium 375.15
ebrietas quo nomine culpetur 375.19
ebrietatis effectus 162.28 (12
ebrij & garruli differẽtia 376.
ebur vt emolliatur 149.36
Echemythias 300.14
echo quomodo fiat 50.36
eclipses 189.1
Edera cui consecrata 184.13
Eetionea 712.12
Egeria 416.32
Elaus 84.37
electra 48.5
electri natura 601.19
elegiarum actor 686.20
elementa geometrica 7.20
elemẽta quæ vocẽtur 5.9 (598.1
elementorum figuræ & corporã de Elementorum mixtione & temperatione 19.22
elementorum ortus 359.5
elephantorum natura 432.3
eleusine 722.1
eleusinius 656.3
eleutheria festiuitas 79.9
Emathion 416.37
emodi montes 441.30
empedocles 293.1. 467.1, 617.35, 624.34
Endrome 697.1
endymatia 686.17
entelecheia 5.15, 20.27
entoria 70.17
enunciatorum diuisio 680.26
Epaminondas Thebanorũ dux 71.28

Epaminondas 124.25, 126.37, 144.16, 257.37, 260.36, 265.22, 313.3, 321.31, 402.20, 456.33, 479.25, 511.13, 513.31, 530.8, 535.14, 545.24, 546.19, 551.19, 552.6, 555.17.35, 568.2, 571.3, 578.23
epaminondas Thebanus 632.15, 637.33
epaphus 184.22
epeus 263.25
ephialtes 540.2, 545.37, 558.14, 737.37, 739.16
ephorus 394.14
ephorus Cumæus 720.8, 722.37
epicasta 394.22
epicharecacia 298.26
epicharmus 442.19
epicles 738.28
epicureorum consolationes 134.15
epicureorum dogmata & mores 129.1
epicureorum iactantia 111.35
epicureorum voluptas 105.10
epicurus 109.16, 113.26, 354.7, 309.23, 325.7, 363.25, 474.14
epicurus Neoclis filius 9.9
epicuri doctrina qualis 139.36
epicuri iactantia 124.3
epimenides 506.36, 572.37
epiphi mensis 195.13
epitedeus 467.26
epona 78.33
ἐπῳδὴ quid 610.15
Equi natura 370.19
Erasistratus 298.32
eratosthenes 509.3
erebus quid 626.12
erechtheus 75.1
eretria 387.2
ergana 359.25
erinnys 246.34, 386.20
eriphylæ 227.1
erroris musici causa 89.7
eryngij herbæ vis 471.18
essendi desiderium 136.7
Eteocles Thebanus 251.36
ethicæ & theoricæ comparatio 488.10
εὖ & 487.17
εὖα Græcis cur dicta 223.23
Eubulides 733.21
eubulus 362.1, 725.14
eubulus Anaphlystius 559.2
euclides 288.10, 717.21
euclides Olynthius 728.24
euclides Socraticus 367.7
eudemus 716.31
eudoxus 117.16, 165.2
euemerus Messenius 174.15
euenus 84.14
euergetæ 446.13
euharmonij cantus autor 687.8
eumenes 350.32, 367.10, 380.22
eumenides 647.27
eumolpus 75.1 79.24, 656.8
eunomus Thriasius 733.5
euphorbus 387.2
euphorion 321.28
euphranor 632.2
euphrates 447.20
euphrona 304.8
euripides 337.22, 511.10, 636.14
eury-

eurymedon 224.16, 561.24, 638.9
eurypylus 281.15
euthydemus 286.26
eutycrates 386.36
euxitheus 541.1
excandescentia quid 485.15
excandescentiæ natura 148.9
excrementi natura 161.14
existimationis commoda 574.29
exspiratio vt fiat 52.15
exsulum non esse probrosum 655.35

F

Fabia 83.15
Fabius 519.14
fabius Fabricianus 83.13
fabius Gurges 68.2
fabius Maximus 68.16
fabricius 313.3
fabula Aesopica 768.21, 405.10, 518.15
fabula de asini vmbra 738.11
fabula de vulturibus 589.25
fabula quid 172.20, 639.26
fabularum delectatio 115.6
fabulis cur vtendum 199.26
facies mundi dextra & sinistra 180.29
facultas quid 487.33
facilitatis effectus 285.28
facilitatis vtilitas 288.7
facultas ciuilis vt paretur 321.5
facultatis natura 673.31
faleriæ 82.6
famæ & ominis templum 413.9
famis finis 257.2
fatalia quæ sint 673.11
fatalia quomodo omnia 673.14
fatalium euentuum dolia 643.35
fatum 21.24
fatum quale sit 670.10
fatum quid sit 669.22
fatum quot modis accipiatur 669.12
fati cum fortuna comparatio 672.19
fati cum prouidentia collatio 672.19
fati natura 21.32
fato cognata 673.18
fato quæ comprehendantur 677.6
faunus 83.29
faustus 70.19
Febricitantium natura 234.20, 315.2
febris accidens 284.23
febris causa 64.24
febris definitio 64.26
febris natura 365.9
felhyænæ 225.27
felicitas quid 677.4
felicitati aduersum 110.23
felis cultus 210.22
felis natura 203.6, 210.25
felium partus 152.31
felix 70.19
feminæ an semen promittant 45.13
feminæ vt nascantur 45.33
feneratores quid efficiat 588.17
feneratorum artes 586.9
feneratorum errores 585.15
feneratorum pernicies 587.5
fenus pro fenore 585.25

à Feris nutriti 82.25
ferri natura 202.14, 602.14
fetus quomodo alatur 59.1
fetus in vtero formandi tempus 61.35
fetus in vtero genus 58.22
fetus perfectio 59.10
fetus septimo mense editus cur vitalis 59.16
ficus Ruminalis vnde dicta 415.26
figura nuptialis 198.13
figura quid 18.34
filiæ patres prodentes 76.15
filij boni & iusti 251.10
filiorum erga parentes mores 158.2
filios educandi ratio 157.28
firmus 81.3
fistula capistro emendata 277.12
fistulæ effectus 277.9
flagitij nondum commissi pœna 242.24
flagitiosorum vita 110.22
flamma vt extinguatur 274.15
florentia 78.5
fluuiorum decursus 602.10
Formæ dissimilitudinis causa 57.22
formæ similitudinis causa 57.20
formidinis obiectum 110.37
formosi vt lædantur 110.17
fortitudinis acies 95.24
fortitudinis proprium 279.15
fortuitorum correctio 312.14
fortuna cur multum debeat imperio Alexandri 443.18
fortuna fortis 413.14
fortuna quid sit 22.11, 488.19
fortuna Romani imperij 421.1
fortunæ à casu differentia 22.15
fortunæ accusatio 408.26
fortunæ commendatio 408.30
fortunæ definitio Platonica 675.35
fortunæ descriptio 410.36
fortunæ & sapientiæ comparatio 408.33
fortunæ & vitiositatis comparatio 148.22
fortunæ genus 675.17
fortunæ masculæ fanum 419.25
fortunæ muliebris templũ 412.34, 419.6
fortunæ munera 442.15
fortunæ officium 414.1
fortunæ opera 443.15
fortunæ oratio 425.25
fortunæ primigeniæ et obsequentiu templa 419.18
fortunæ priuatæ templũ 419.19
fortunæ προσωπογραφία 416.11
fortunæ qui succenseant 410.25
fortunæ simulacri vox 413.4
fortunæ templa 412.27, 418.37
fortunæ verus vsus 449.15
fortunæ virginis fanũ 419.23
fortunæ virilis templum 419.3
fortunæ vis 673.27
fortunæ viscosæ templũ 419.19
fortuna vt vtendum 327.16
Frater amissus irrecuperabilis 353.13
frater erga fratrem quomodo se gerere debeat 570.25
frater inferior vt tractandus 359.20
frater malus vt tractandus 353.20
frater peccans vt admonendus 351.30
frater præstantior vt tractandus 360.1
fratris maioris officium 362.37
fratris minoris officium 363.1
fratris patrocinium 356.3
fratrum amicitia rara 347.10
fratrum concordiam quid contineat 369.20
fratrum constans benevolentia 350.8
fratrum discordiæ ob ætatis discrimen 362.21
fratrum inæqualitati vt medendum 358.17
fratrum iniustitia 357.12
fratrum inter se officia 363.2
fratrum inimicitiæ 251.3
fratrum odium quale 352.14
fratrum officium viuis parentibus 354.29
fratrum officium mortuis parentibus 356.11
fratrum quanta debeat esse coniunctio 368.36
fratrum supplantatio 354.37
fratribus ætate propinquis quæ cauenda 364.5
fraternæ benevolentiæ exempla 365.19
fratricidia 77.7
frigefactionis proprium 613.30
frigiditas quibus accommodata 613.25
de Frigido quæstiones 613.16
frigoris adiuncta 626.34
frigoris affectiones 614.7
frigoris opificium 614.19
frigoris prima causa 619.29
frigoris qualitas 626.37
frigoris vis 627.8
frigus non esse privationem 613.33
frugalitas Aegyptiorum 164.1
frugalitatis asylum 584.15
frugalitatis commẽdatio 388.37
frugalitatis laus 286.10
fruitio rerũ præsentium 325.18
frugum copiã quid efficiat 438.12
Fulguris eruptio 481.17
fulgurum causa 35.25
fulminum causa 35.25
fulminum natura & causæ 601.15
fuluius 383.3
fuluius Stellus 78.31
furius Camillus 413.5, 422.22
futilitatis cautio 390.37

G

GAleritæ cultus 210.17
Galli à Romanis profligati 422.17
gallinarum natura 353.25
garrulus quis sit 393.24
garruli natura 374.6
garruli proditores 386.35
garrulorũ natura 377.9, 383.30
garrulorum sermo 374.28
garrulis quæ desint 373.28
garrulitatis consuetudo. 385.21
garrulitatis curandæ ratio 387.15

garrulitatis effectus 378.32
garrulitatis pœna 384.15
garrulitatis remedium 372.33, 387.27, 389.32, 394.22
garrulitatis vitium 373.14
garrulitatis adfine vitium 383.27
garrulitati adfinia 377.25
garrulitati comitantia mala 377.21
ad Garrulitatem procliuis quos sermones vitare debeat 392.34
gaudium verum 125.25
gaudij effectus 274.3
gaudij fundamentum 109.5
gaudij natura 393.8
gaza 451.11
Gegania 420.10
gelo 223.30, 261.20
gelu quæ non constringantur 623.7
gemini vt nascantur 56.36
genij boni 176.15
geniorum appellatio 176.1
geniorum in deos trãslatio 179.4
geniorum natura 175.18
geniorum nomina 324.34
geras 517.10
gerærem quid 517.11
germanicus 658.19
geryones 571.9
Gidica 81.27
gladiatorum abstinentia 126.29
glaucippus rhetor 739.6
L. Glauco 66.18
glauco 358.37
glaucothea 724.30
glaucus 686.32, 730.3
glaucus Corinthius 102.24
glaucus Epicydis filius 232.9
gloria an communicari possit 363.35
gloria inuidiæ expers 544.14
gloria quibus conducat 473.15
gloriæ causa 566.37
gloriæ commendatio 473.1
gloriæ emptio 575.23
gloriæ & honoris coniũctio 312.29
gloriæ fomentum 512.1
gloriam vir ciuilis vt æstimet 256.22
gloria esse præditum an dulce sit 128.36
glutitionis causæ 601.6
Gnatho Siculus 142.14
gnomonum natura 604.9
Gorgias 636.6, 721.37 737.16
gorgias Leontinus 719.9
gorgias sophista 712.4
C. Gracchus 276.24, 533.23
grandinis natura 36.18
granicum 451.10
gratiarum nomina 474.19
graue quid sit 18.19
grauitatis argumentum 306.10
grypus 361.8
Gubernatoris causæ 538.17
gubernatoris fortuna 327.27
guloſitatis damna 468.5
gustatus vt fiat 49.32
Gylon 731.18
gymnopædiarum inuentio 686.14
gynecij tumultus 309.5

Habitus

H

Habitus quid sit 487.37
habitus et priuationis comparatio 614.32
hæreditatum ambitio 157.35
halicarnassus 447.19
halos 42.10
harma 69.10
harmatius 685.18
harmodius 379.1, 712.31 718.23
harmonia Dorica 690.16
harmonia Lydia & Phrygia 576.5
harmoniæ corpus ex quibus constet partibus 695.6
harmoniæ laus 694.35
harmoniæ ortus 192.14
harmonica auctio 695.28
harmonicæ distributio 702.12
harpalus 336.20, 561.21, 734.36, 742.20
harpocrates 205.36
harpocratis ortus 172.1, 204.7
Hecates vis 189.
hecatompedus 640.29
hector 454.30, 638.23
hectoris appellatio 176.4
hecuba 208.9, 438.31, 108.25, 123.36, 143.37
hedista 730.
hegesianactes 130.12
hegesias 158.28
hegestratus Ephesius 84.31
helena 81.37, 274.9
helicon 290.10
helicon Cyzicenus 340.22
heliodorus 737.5
hellanotamias quis 726.30
hemerides 502.14
hephæstio 436.31
hephæstion 443.35
heptachalcum 378.3
heptaphonus 373.16
heraclea 230.7
heracleæ tyrannis 445.37
heracletus 8.35
heracletus 109.19. 388.32, 605.32
heraclidas Ponticus 634.13
heraclidarum dignitas auita 235.4
heraclides 103.24
heracliteus fluuius 237.14
heraclitus 279.20
herbæ Medicæ semen 106.1
Hercules 69.25, 72.7, 83.25.28, 233.29, 235.6, 261.17, 318.8, 335.20, 343.34, 372.12, 471.7, 644.26, 656.16, 706.4
herculis amores 99.12
herculis exitus 16.3
herculis nomen 187.6
herculis ortus 415.6
herculis pictura 509.34
hercules Antistheneus 345.35
herculei lapidis natura 601.20
hermanes 717.16
hermanubis 201.20
hermateos modus 440.16
hermeias 552.26
hermon Thessalus 576.35
hermodotus 174.7
hermupolis 194.4
herodotus 713.18
herophilus 298.32
hestia 629.28
Hierax 696.37

Hieraphorus 160.29
hierastolus 160.29
hiere 527.22
hiero 223.30
hieraglyphica 181.5
hieron 120.4
hieronymus 274.28, 284.24
hierosolymus 180.14
himeræus 735.15
hipparchus Pisistrati filius 229.32
hippasus Metapontinus 8.35
hippias rhetor 723.12
hippocrates 720.26
hippodameia 80.22
hippodamus 714.3
hippolytus 81.13, 473.20
hippolyta 81.14
hippomachus alipta 395.32
hipponactes 685.3
hirtius 414.17
historiarum delectatio 115.2
historiarum materia 297.20
de Historiis Epicureorum sententia 118.21
historicorum & res gerentium comparatio 630.37
Homerus 138.3, 376.36
homeri institutio 182.4
homerici poëmatis gratia 377.1
homichla 618.20
homo cordatus 291.16
homo cur sapiens 347.30
homo quando & quomodo perficiatur 62.16
homo quid 644.23, 673.34
homo secum camparatus 404.37
hominis alimentum 100.12
hominis anima quomodo duplex 484.10
hominis educatio 157.13
hominis gubernatore carentis actiones 407.16
hominis miseria 156.5
hominis partes 121.35
homines viui combusti 209.32
hominum miseria 92.9, 404.30
hominum mutationes 237.5
hominum natura 154.25
hominum omnium finis 437.21
hominum pessimus quis 386.34
hominum quot genera 135.22
honor primus cui debeatur 349.32
honor quid 573.12
honor quomodo augeatur 572.12
honores falsi 575.11
honores varij 573.1
honorum cupidus quid agẽdum 309.23
honorum in repub. media varia 545.12
honorum petitio 361.15
honorarij custodia 573.21
honoratior quis 566.33
horatius Cocles 70.9
M. Horatius 410.29
horatij 73.25
horizon vnde dicatur 189.10
hostibus optanda quæ 442.9
Humores maximè pellucidi qui 621.1
Hyagnides 684.1, 685.21
hyampeia 233.3
hydor 182.10
hyem

hyem 182.10
hyemis quomodo fiat 38.20
hymnus 70.19
hyos vnde dictus 182.9
hypaton quid 606.9
hypereia 648.24
hyperides 362.1, 554.30, 635.14, 720.17, 726.8, 732.37, 734.30, 735.14
hyperidis mors 740.15, 742.3
hyperidis natura 740.36
hyperidis orationes 740.34
hyperidis pater & patria 739.4
hyperidis præceptor 739.8
hyperidis res gestæ 739.15
hypocritarum supplicia 250.27
hyporchematum autor 686.22

I

Iactantia intempestiua 255.27
iæiviδεα 616.11
iambicorum diuisio 697.35
ianitorum vsus 295.23
Ianus 70.19
iani templum 418.12
iason 568.8
Ibis 211.18, 519.27
ibyci interfecti indicium 386.11
de Icario fabula 70.15
ictinus 539.15
Idas 84.16
idea Platonica 198.7
idea quid sit 17.25
ideæ quid sint 595.16
idearum conceptio 595.18
idithya 209.31
idmon Samius 233.9
Ienæ quid 201.8
Ignis vt extinguatur 274.25
ignis alimentum 624.36
ignis forma 18.37
ignis in aërem mutatio 622.4
ignis mors 618.31
ignis natura 8.36, 409.14, 483.12, 624.31
ignoratio quibus modis accidat 406.10
Ilus 73.33
Imaginũ in speculo resplendentium causa 48.27
imbecillitatis argumẽtũ 442.7
ad Imperandum quæ conducãt 282.35
imperator quis eligendus 515.1
imperia 279.18
imperij Romani causa quæ 408.20
imperitia rerum 310.16
imprudentia in respondendo 391.1
imprudentis descriptio 332.17
impossibile 622.20
impossibile nõ tentandum 341.29
impossibile quid 674.22
impunitatis effectus 282.31
incendiũ oriri vbi soleat 580.31
incestus 78.12
incontinentia vitio minus aliquid 491.27
incontinentium voces 492.18
indignationis causæ 285.16
indiuidua quæ dicantur 596.26
indolentiæ origo 130.4
indolis magnæ adiuncta 224.

indulgentia nimia 568 37
infantis recens nati forma 156. 10
infantum mors 668.27
infelicitatis perfectio 149.34
inferiæ 173.10
infinitum quid 6.8
infiniti natura 5.37
infortunatus quis sit 319.35
ingenij argumenta 433.1
ingenij humani natura 242 8
de Ingenio hominis cõcepta persuasio quantum valeat 538. 5
ingeniorum bonorũ causa 438. 14
ingeniorum diuersitatis argumentum 369 15
inhospitales 83.28
inimicitia quãdo tollatur 660. 26
inimicitiæ humanæ causa 209. 10
inimicitiarum regula 552.13
ino 231.10
inopinatum 326.10
insaniæ comes 375.15
insaniæ contubernalis 375.15
insomniorum ratio 54.22
inspiratio vt fiat 52.19
institutionis liberalis fines 504. 29
instrumentorum musicorũ præstantissima 89.28
insularum laus 648.30
intellectus natura 595.35
intelligibilium natura 213.25
intemperantium domus 289. 18
intemperantium voces 492.6
interitus quotuplex 24.24
interitus rei quid 618.30
inuidentia quid 298 24
inuidentiæ germanum vitium 298.23
inuidia cui rei similis 512.32
inuidia quam ætatem infestet 528.11
inuidia vt extinguatur 660.7
inuidiæ causa 358.13
inuidiæ et odij comparatio 657. 30
inuidiæ fuga 558.18
inuidiæ morbus 515.10
inuidiæ obiecti 658.12
inuidiam quæ tollant 660.18
inutilium amolitio flexuosa 570.6
Iola 72.7
iolas 741.17
iolaus 86.4, 372.15
ionia 638.15
ionicæ sectæ origo 5 22, 7 13
ionocampta 255.35
iphiclus 372.16
iphicrates 254. 20, 514. 33, 539.6, 559.7, 640.23, 718. 22
iphigenia 72.31
Ira qualis affectus 275.30
ira quid sit 375.15
ira quomodo obseruanda 276. 10
ira quomodo superetur 273.37
ira quos maxime infestet 278.30
iræ à gratia differentia 133.6
iræ amolitio 284.21
iræ an sit sensus 274.30
iræ causa 274.7, 279 2
iræ coercitio 222 13
iræ cognomen 499.29
iræ cohibitio 273.30
iræ consuetudinem quid ingeneret 291.24
iræ damna 287.22
iræ deprecatio 284.28
iræ descriptio 277.17
iræ effectus 281.25
iræ & vini comparatio 277.36
iræ impetus 281.19
iræ initia 274.6
iræ irritamenta 279.12
iræ materia 291.8
iræ moderatio 274.1
iræ natura 278.9
iræ origo 284.25
iræ principium 278.29
iræ qui imperarunt exempla 279.27
iræ remedium 222.15
iræ remedia vnde petenda 273. 13
iræsemina 289.9
iræ tollendæ ratio 277.3
iræ trophæum 279.19
iræ vt resistendum, & quando 274.22
ad Iram procliui quæ cauenda 287.5
aduersus Iram quid faciendum 272.22
in Ira quid deceat 278.4
irarum effectus 273.24
iracundiæ causa 273.25
iracundiæ remedium 271.35
irati hominis natura 273.7
iratorum pusillanimitatem quæ indicent 278.18
iridis colores 37.12
iridis natura 36.27
Isæus 635.28, 720.17, 731. 34
isæus quando floruerit 724.13
isæi patria 724.8
ischomachus 294 32
iseum quid 160.21
isiacus verè quis 161.2
isis 160.6, 177.14, 334.14
isis quid sit 196.13
isis vnde nata 160.22
isidis amuletum 205.35
isidis è Phœnice aduentus 194. 10
isidis nomen 200.36
isidis ortus 167.8
isidis pater 167.11
isidis physica explicatio 196.15
isidis significatio 196.2
isidis vela 213.12
ismenia 321.31
ismenias 402.18, 439.2, 578.22
ismenias Chalcidensis 730.37
isocrates 635.28
isocrates Panathenaicam quando scripserit 720.37
isocrates vbi sepultus 721.24
isocratis auditores 720.3
isocratis discipuli 720.8
isocratis diuitiæ 720.2
isocratis filij 724.5
isocratis natiuitas 719.4
isocratis obitus 720.25
isocratis naturâ 723.6
isocratis orationes 719.22
isocratis Panegyrica oratio 640.17
isocratis parens 718.34
isocratis patria 718.34
Italicæ sectæ origo 10.18
Iudæus 180.14

iudex cur sui quisq; peior 271. 17
iudicandi modus 103.16
iudicium vulgi 228.1
iudicij effectus 273.30
iudiciorum differentiæ 499.36
iugurtha 547.22
C.*Iulius* 72.24
iulius Proculus 80.17
iulia Pulcra 78.19
iuno 180.21
iunonis appellatio 176.4
iunonis nomen 10.3
iuniperi species 215.
iupiter 176.4, 320.37, 479. 10
iupiter Amun & Ammon 164. 27
iupiter Ascræus 407.29
iupiter Ctesius 583.26
iupiter Idæus 68.30
iupiter Tarsius 68.35
iouis imago mutilata 211.33
iouis nomen quid significet 10.2
ionem quid vocent Aegyptij 184.8
iuris administratio 220.20
iuris & legum violatio 343. 13
iustitia tarda 218.15
iustitiæ appellatio 483.11
iustitiæ & suadæ soror 411.17
iustitiæ exercitatio 305.6
iustitiæ munus 247.10
iustitiæ pictura 165.28
iustitiæ vox 212.13
iuuenes à quibus docendi 518. 23
iuuenum opera 518.30
Ixion 473.6

K

Kæmin 198.32
Κατύφεια 332.13
Kneph 173.23
Κόσμος 23.16
Kosmus 198.6
Krexus 688.14, 697.37
Κρεῦσις 691.15
Kyen 189.17
Kyesis 201.35
Kyon 189.17, 202.1
Kyphi 195.32, 215.19
Kyphi vtilitas 215.32

L

LAborem dulcem quæ reddãt 312.29
Lacedæmon 385.31
lacedæmone chorus senũ vt canet 265.9
lacedæmonij à Thebanis victi 273.34
lachares 111.3, 207.36, 235. 20
laches 737.18
laco 254.3
lætitus 720.16
lætis confectio 155.6
lacus inferni 251.2
ladani collectio 226.19
ladas 544.17
C.*Lælius* 531.8
laërta 309.6
laërtes 514.9
lagisca 723.9
lais 126.22
laius 305.18
laius Thebanus 80.25
lamachus 571.8, 576.27
lamachus Terinæus 733.23
lamia 294.6

lampis nauicularius 512.3
lampo 516.7, 558.16
lamprocles 690.5
laodamea 730.4
lapitha Stoicorum 85.24
lapsus quarum rerum sint 313. 18
largitionum modus 575.25
laudandi seipsum ratio 257.20
laudantis, seipsum fiducia 264. 17
laudatio sui importuna vt vitanda 267.27
laudatio sui per alium 261.5
laudationem sui quid excuset 258.27
in Laudatione aliorum quid cauendum 26 .30
laus aliorum quãdo impugnanda 266.22
laus propria 551.8
laus propria cur sordeat 256.2
laus propria quò referẽda 264. 30
laus rectè à se factorum 260.1
laus sui apud amicos 265.35
laus sui illiberalis 255.10
laus sui necessaria & permissa 256.13
laudis suæ in alium translatio 261.25
laudis tributæ correctio 262. 12
in Laude suiipsius quæ cauenda 257.5
laudes sui vanæ 256.34
laudes suspectæ 345.10
inter Laudes vitiorum confessio 263.20
Lasus Hermonienſis 336.11, 698.12
Leæna 378.37
leagoras 715.17
in Legatione obeunda quid obseruandum 571.1
legationes intempestiuæ vt disiciendæ 570.13
legitimum quid 673.2
lemniorum cultus diuinus 210. 17
leobates 653.22
leo Byzantius 543.12
leodiaris 722.7
leodamus Athenienſis 720.15
leonnatus 457.16
leontium 123.34, 144.1
leonidas 68.7
leonum natura 303.1
leosthenes 267.11, 362.2, 443.22, 741.18
lepidus 414.16
leporum natura 585.20
lesbius cantor 234.34
lethæ locus 248.30
leucadia 225.15, 233.32
leucothea 372.19, 483.3
leue quid sit 18.18
lex Aegyptia 224.36
legis finis 478.16
Liber 183.4
liberalia 125.1
liberalia sacra 74.30
liberorum de mortuis auaris parentibus vita 401.24
liberorum furta 401.22
liberorũ prava institutio 401.1
lichas 578.22
lienis tumor 284.23
limnæus 426.30, 457.18
lingua febricitantium 277.31

lingua iratorum 277.33
lingua qualis esse debeat 277. 30
lingua vt cohibenda 386.26
linguæ descriptio 380.8
linguæ munimentum 374.30
linguæ vsus 98.6
linus 682.24
lini natura 161.29
lini origo 161.28
lippitudinis & insaniæ compatio 406.23
literæ hieroglyphicæ 165.11
literarum seminocalium natura 606.35
lites vt dirimendæ 581.3
litium causæ 408.5
liuius Drusus 537.1
liuia 383.11
Locatio templorum 148.14
locrensium mos 233 32
locus demortuorum 146.6
locus quid 20.6
locum simul habere quæ nõ possint 321.2
logica quid 3.20
loquacitatis communis clausula 382.16
loquacis sermo qualis 375.11
loquacium lingua 386.23
loquendi ad ingratos licentia 259.17
loquendi magistri 379.19
Lucanus 417 32
luculus 546.12
lunæ à sole distantia 33.20
lunæ aspectus 33.7
lunæ defectus 32.28
lunæ forma 32.11
lunæ illuminatio 32.15
lunæ magnitudo 32.7
lunæ natura 31.30
lunæ opera 187.28
luctus natura 664.27
luctus nimij turpitudo 663.22
luctui quæ comitentur 665.7
de Luctu fabula 664.30
lucullus 358.26, 482.6, 510.3, 521.20
luscitiarum peritiæ 102.8
lutatius Catulus 70.28
luxuriosorum natura 285.25
luxus soboles 588.18
Lycastius 82.29
lyciscus 218.11
lycnitæ 183.3
lyco Scarphensis 440.5
lyconis patria 652.18
lycophron 726.27, 729.32. 730.17
lycophron Lycurgi filius 744.33
lycopolitarum mos 179.12, 209. 12
lycormæ 235.3
lycornæ 84.18
lycos quid 209.12
lycurgus 133.29, 143.20, 165. 3, 260.9, 388.3, 444.27, 466.14, 517.5, 527.33, 659.10
lycurgus Spartanus 554.31
lycurgi continentia 728.29
lycurgi in Rempubl. Athen. merita 745.5
lycurgi leges 727.31
lycurgi liberi 729.25
lycurgi orationes 730.13
lycurgi pater 726.27
lycurgi præceptores 726.33
lycurgi res gestæ 727.6

lycurgi sepultura 729.11
lycurgi tribus 726.31
lyeus Martis filius 76.16
lydiades 224.6
lyræ vis 216.2
lysander 341.21, 527.36, 546. 20, 578.24, 730.1
lysias 376.24, 681.23, 711. 31, 716.6, 719.5, 724.9, 738.33
lysiæ natiuitas 717.29
lysiæ orationes 717.30
lysiæ ortus 716.23
lysiæ parens 716.17
lysicles 730.20
lysidonidas 712.23
lysimache 342.17
lysimachus 230.22, 296.14, 383.24, 445.29, 573.34, 578.12, 654.14, 723.28,
lysimachus Myrrhinusius 719.5
lysippus 174.10, 440.22
lysistratus 723.34

M

MAcareus 78.14
Macedonia 427.8
macedonum & Persidum coniugia 431.6
magas 280.10, 499.23
magistratus malus 548 32
magistratus vt adiuuandus 567.15
magistratus Spartani epitheta 517.4
erga Magistratum obedientia 566.5
magistratus minores à maioribus vt tractandi 560.3
magnatum supplicia 228.7
magnetis vis 601.21
magniloquentiæ locus 259.28
magorum theologia 190.35
maiestatem conciliantia 525. 10
malcander 169.20
maledicta quibus noceant 313. 25
maleficorum ad supplicium egredientium mos 227.32
malicia extrema 659.35
malicia occulta 242.3
maliciæ duricies 231.34
malum in autorem recidens 83. 33
malum innatum quomodo eiiciendum 241.12
mali fuga an bonum 113.2
mala bonis admixta alienis vt obseruanda 318.35
mala vt præuenienda 241.18
malorum compensatio 315.12
malorum incitamenta 218.27
malorum patefactio 298.29
mamercus 77.25
manerotes 170.9
manerotis vox 170.16
manethos 193.34
maneto Sobennita 177.29
T. Manlius 418.20
mansuetudinis causa 285.27, 315.1
mansuetudinis proprium 281.1
manus amputati 66.5
manlius Imperiosus 72.1
marathon 66.6, 224.16, 561.24, 638.6
marcellus 412.21, 418.32
marcus Coriolanus 412.35, 419.7

Marcus 521.27
mardonius 66.30
mare lacryma Saturni 181.10
maris æstus causæ 41.26
maris natura 163.15
maris origo & qualitas 41.8
maris purgatio 277.29
mares quomodo nascantur 45. 33
marius 75.6, 225.35, 286. 37, 410.20, 421.34, 547. 16
maro 685.34
marpissa 84.15
mars 77.18
martis cum Syluia coitus 415. 10
marsus 417.31
marsyas 277.11, 685.20, 684.2
masinissa Afer 520.34, 521.3
materia prima 183.37
materia quid sit 17.10, 199.30
materiæ partes extremæ 200. 25
mathematũ commendatio 504. 22
mathematum incrementũ 118. 9
mathematis voluptates 116.11
matricidium 83.10
matuta 372.21
C. Maximus 771.2, 546.19
mazæus 447.20
Medea 335.7
medeus 730.2
medicamentorum natura 139. 34
medicus curiosus 299.1
medici studium 471.1
medico quis habeat opus 397.6
medicorum scopi 406.9
medietatum species 693.25
mediocritas quæ dicatur 490. 10
medium quotuplex 489.36
medius 321.30
medullina 74.33
medius Anagyrasius 732.11, 742.2
melichius 280.31
menus rex 164.4
megabyzus Persa 320.24
megaclides 723.24
megalopolis 224.5
megara 206.24
melanthea 483.4
melanthius 729.13
melanthus 656.11
melanippides 689.31, 698.16
meleager 77.18, 444.34
melitus 150.16
melliere 527.21
melytus 327.18
memaclles 280.32
memoria bonorum 323.10
memphis 172.29, 204.20
apud Memphim æreæ portæ 178. 17
menander 574.34, 635.2
menandri dicẽdi genus 708.25
menandri laus 710.6
mendacij causa 586.5
mendesius 96.10
mendete 210.12
meneclidæ 260.37, 545.24
menedemus 322.4, 345.30, 482.32
menelaus 351.20, 403.16
menesæchmus 729.6
menesæmachus 735.14
menippus 558.14
meniscus 636.31
mensæ iniustæ quid comitetur 466.10
mentis conceptũ causa 46.24
mentis descriptio 8.10
mentis fanum 412.21
mentis opificium 7.5
mentis proprietates 442.22
mentis templum 418.32
mentiri qui magis solent 586.3
mercurius 472.29
mercurius subintrasse quando dicatur 374.3
de Mercurio narratio 173.33
merope 468.23
merops tragicus 307.36
mesopotamia 429.29
mesore mensis 206.4
messena 567.32
metagetnion 645.17
metagetnia sacrificia 645.18
metanera 718.6
meteora 34.12
metella 72.26
metellus 72.22, 74.1, 260.14, 281.2, 360.8, 380.20, 547. 27, 411.34
metellus Agrigentinus 690.23
methyer 198.33
meticulosus quis 470.17
metiochus 557.8
metius Suffetius 69.31
metrocles 148.35, 313.14
metrodorus 133.26
metrodori laus 123.2
metus effectus 274.2, 437.24
metus vituperationis nimius 332.27
Midas 68.22
miletus 392.18, 447.19
miltiades 66.10, 123.18, 124. 22, 157.18, 224.9, 455.5, 536.5, 636.13, 640.12
miltiades Medicida 637.28
mimnermus 685.31
minerua 262.7, 277.3
minerua Poliades 342.18
mineruæ cum Neptuno contentio 366.27
mineruæ sacrum animal 208.8
mineruæ simulacrum 211.35
minima quæ 18.27
minos 136.18, 471.12
minos Iouis F. 220.18
minotauri ortus 99.28
morositatis causa 314 33
misceri quæ non possint 630.5
misericordia quid 314.15
mithra 191.4
mithridates 378.1, 422.4
mitius Argiuus 226.32
mixolydia harmonia 649.35
Mnesiphilus 527.7
mneus 181.31
Modus Antigenis 440.15
molestiæ præsentia 310.7
molestiam quæ adferant 326.17
molestarũ rerũ remedia 642.35
melionidæ fratres 347.15
mollitudo animi 271.31
monarchia quid 88 37
monarchiæ præstantia 90.3
monstra vt nascantur 56.15
mora 640.24
morbus periculosissimus 276.13
morbi causa 65.6, 405.5
morbi comitialis natura 481.30
morbo affectorũ natura 406.33

morbi corporis pestimi 406.3
morborum causa generalis 100.5
morborum corporis & animi comparatio 407.20
morborum corporis indicia 405.25
morborum præposterа cura 238.1.7
morbis obnoxiorum natura 311.34
mores quid sint 487.19
morum emendatorum exempla 223.25
morū ignoratio quid impediat 535.29
morum mutationes 237.6
morum placidorū vtilitas 292.23
morosissimi qui sint 278.35
morositas aduersus deos 235.23
morositatis causa 273.26
morositatis effectus 285.25
morositatis remedia 314.5
morosorum indicia 289.22
mors an & quatenus malum 500.3
mors cur metuatur 140.25
mors quid 136.12
mortis causa 62.28
mortis cogitatio iucunda vel tristis 139.15
mortis contemtus 328.7
mortis subiectum 63.3
mortui an lugendi 130.2
mortuorum recordatio qualis esse debeat 662.35
mortuorum supplicia 250.5
motus quid 20.25
motus circūresistentia 600.20
motus & quietis principium 4.36
motus genus 20.28
motus species 20.29
motus animi vt componantur 308.25
motuum animi requisita 282.12
motuum circumstantiæ 40.33
Mucius 67.6
mucius Scævolæ 410.27
mulæ cur steriles 58.12
mulier garrula 382.5
mulier proba 200.10
mulierum naturæ 278.30
mulierum ornatus 681.6
à Mulieribus obita legatio 413.1
mulius 417.33
multiplicis nota 183.25
multitudinis & morum mutatio 535.31
munius 565.13
mundus an animatus 23.31
mundus an interitus expers 24.8
mundus an vnicus 11.20
mundus quibus similis 594.10
mundus quid 198.32, 330.23
mundus quomodo caluerit 10.23
mundus vnde coaluerit 409.12
mundi alimentum 24.20
mundi anima 594.20
mundi animæ 193.5
mundi concinnitas 190.2
mundi corpus 594.17
mundi exordium 24.28
mundi figura 23.28
mundi gubernatio qualis 190.7
mundi inclinationis causa 25.33
mundi mater 188.29
mundi motus 202.15
mundi natura media 193.9
mundi nomen 23.14
mundi ordo 25.11
mundi origo 199.22, 678.1
mundi origo & compages 193.15
mundi partes 594.16
mundi partes dextræ et sinistræ quæ 26.16
mundi pulcritudo 12.17
extra Mundum an vacuum 26.9
mundos esse infinitos 12.3
munera quæ obeunda 555.32
muræchia 742.25
murrhina 741.1
murium naturæ 400.22
musæ vnde dictæ 251.25
musarum expers 377.22
musica hodierna 689.23
musica quid 681.34
musica veterum qualis fuerit 706.3
musicæ antiquæ corruptores 698.12
musices apud priscos Græcos exercitatio 696.20
musices autor 170.12
musices diuisio 700.16
musices genera 121.16
musices officium 707.1
musicæ rectus vsus 700.12
musicæ tibicinæ mutatio 698.21
musicæ vsus 705.18
musices vtilitas 276.26
musicam vt auxerint veteres 697.20
de Musica Epicureorum sententia 119.28
musici primi 682.24
musicorum internallorum proportio 694.2
musicum iudicium 702.32
musonius 272.20, 587.15
muth 198.33
muthiæ 77.30
Myrionymi qui dicti 186.16
myro 226.3
myron 478.19
myronides 631.6
myrrha 75.29, 216.14
myrrhæ natura 215.17
myrrhæ suffitus 215.5
mythrus Syrus 123.4

N

NAbis 553.16
Naratus 220.3
narrationum veritas 65.35
natura plures fratres ex vno semine cur progignat 347.35
natura quibus rebus vtatur 623.50
natura quid sit 4.21, 22.28
naturæ distributio 358.12
naturæ effecta 23.10
naturæ interitus expertes 16.35
naturæ necessitates 123.28
naturæ præstātioris partes 198.4
naturæ providentia 155.7
nauis onerariæ primum factæ natura 417.15

nauplia 233.14
nauſicles 732.37
nauſithous 548.23
nautæ ignaui 284.2
naxus 647.22
Neæra 718.5
neceſſaria quæ 674.14
neceſsitas 21.10
neceſsitatis natura ſeu ſubſtantia 21.16
neleus 243.18, 638.14
nemaus 169.22
neocles 66.27, 109.17, 124.8, 128.11, 157.17
neoptolemus 281.15, 380.24, 732.29
neoptolemus Anticlis F. 731.11
nephalia 292.1
nephos 618.18
nephthys 167.9, 185.1, 189.6
neptuni tridens 212.1
nero 287.8, 378.18, 563.34
neronis anima 251.35
nerui vt naſcantur 62.11
neſtis nomen 10.3
neſtor 243.18, 264.36, 265.18, 376.18, 392.37, 403.23, 514.7, 526.27, 554.17
neta 691.21
nete 696.5
Nicedium 123.35
niceratus 467.28, 578.23
Nicias 116.25, 385.18, 540.10, 571.8, 631.3, 632.2, 716.35
nicias Maleotes 72.11
nicias pictor 510.31
nicocles 721.9
nicocreon 499.24, 722.28
nicomedes 443.10
nicophanes 739.1
nicopolis 412.3
nicoſtrata 730.10
nicoſtratus 636.31
nicoſtratus Argiuus 343.30
P. Nigidius 531.13
nigredinis & frigoris comparatio 620.25
nilus 180.31, 204.20, 460.35
nili aqua an potu ſalubris 162.5
nili aqua cur pleriq; abſtineãt 162.9
nili incrementi cauſa 42.30
nili incrementa 188.13
nili incrementorum limes 211.9
niuis cauſa 36.17
de Noctis origine fabula 626.14
nonæ capratinæ 415.11
nomus trimeres 686.6
nomi qui 683.14
nominum & appellationũ mutatio 406.15
nominum mutationes 204.28
nominum permutatio 351.21
notionum ſpecies 46.27
noticia quid 145.14
nouercalia 80.30
nubium natura 36.15, 621.32
Nuceria 81.2
numa 412.30, 417.1, 518.6
numæ regnum 416.30
numerorum natura 7.17
numinis cunctatio in pœna malis infligenda 217.18
numinis natura 211.1
Nyſæus 237.30

O
Oarſes 443.10, 445.6
obedientia herilis 531.2
oblimio ſtupida 323.15
obſequentiam quid efficiat 574.4
obſoniorum condimentum 127.7
obſtetricandi ars 593.22
obtrectationis cauſa 358.14
Occaſio 241.10
ochus 166.7, 180.9, 251.1, 443.10
ochi nomen 166.11
ocio animum nõ reddi tranquillum 308.26
ocÿ effectus 309.11, 514.11
ocÿ incommodum 144.27, 521.14
ocreſia 419.32
oculi natura 463.23
oculorum natura 607.32
oculorum vitio laborãtium natura 368.27
odium malorum 659.10
odium quõ definiatur 658.16
odium quomodo concipiatur 658.17
odium vt tollatur 660.26
odÿ definitio 661.6
odÿ & inuidiæ diſcrimen 659.1
odÿ origo 658.8
odio affecti inſtitutum 661.6
odoratarum rerum vis 272.32
odorum vſus 216.5
Oechalia 72.8
œdipus 158.26, 305.15, 412.8, 555.18
œdipus Colonæus 508.26
œdema vt naſcatur 278.27
œnophyta 631.9
œnuphis Heliopolita 165.7
offenſarũ leuium euitatio 364.5
oleo peculiare quid 621.8
olfactus in ſuibus vehementia 98.9
olfactus vt fiat 49.27
oligarchia quid 89.1
olympiæ porticus 373.15
olympiacus 218.31
olympus 684.2, 685.7, 688.1, 691.3, 698.5
Omomi 191.9
omphis 188.12
Oneſicrates 681.22
oneſicritus 434.31
onomacles 713.28
onomademus 559.19
onoſcelis 78.28
Opheltiadæ 235.1
ophthalmia quid 658.14
opifices inepti 444.18
opinio ternario cõparata 8.30
opinionum falſarũ cauſa 207.19
opinionum genera 46.5
oppoſitionum venuſtas 260.7
Oraculum Canopicum 177.16
in Orando vox 543.24
oratio ad multitudinem qualis eſſe debeat 542.34
oratio inuiſa quæ 270.10
oratio liquida 467.11
oratio optima quæ 641.19
orationis ciuilis ornamẽta 541.8
orationis commẽdatio 206.10
orationis compoſitio 608.26
orationis coniunctionibus deſtitutæ vis 611.14

orationis finis 375.8, 473.2
orationis genera 472.8
orationis Laconicæ natura 388.8
orationis vis 372.32, 538.36
oratorum extenuatio 635.15
orgilaus 581.13
oreſtes 47.37, 83.9, 555.19
organi vſus 101.8
oris effræni finis 374.37
orion 416.36
orionis domicilium 647.24
oromaſdes 477.36
oromazes 190.37
oromazes 191.18
orpheus 234.4, 249.12, 684.4
orthagoras 226.2
ortus natura 673.30
de Ortu & interitu 20.35
orus quid 184.34, 188.35
orus ſenior 197.17
ori calor 173.35
ori natalicia 295.30
ori natiuitas 167.19
ori ortus 184.33
Oſiris 165.20
oſiris quomodo mortuis præſit 213.35
oſiridis ad agriculturam accommodatio 204.2
oſiridis appellatio 178.5
oſiridis color 181.23
oſiridis corpus 163.35
oſiridis cum Nephthy coitus 185.5
oſiridis cur multa ſepulcra 170.33
oſiridis & Arueris pater 167.11
oſiridis indagatio 195.24
oſiridis in partes ſectio 188.5
oſiridis interitus 187.26
oſiridis interpretatio 193.21
oſiridis natiuitas 166.34
oſiridis nomen 201.15
oſiridis phyſica explicatio 196.29
oſiridis regnum 188.1
oſiridis res geſtæ 167.20
oſiridis ſepulcrum 172.30
oſiridis ſidus 174.3
oſiridis ſimulacrum 194.34.
oſiridis templa 172.26
oſſa vt findi poſſint 149.35
oſſa vt naſcantur 62.13
oſtraciſmus quid 708.32
Othryades 67.21
oti & Ephialtis domicilium 647.24
Oxyathres 436.24.
oxydracis ſaltus 455.27
oxyrynchitarum factum 209.15
oxyrynchitarũ piſcibus veſcendi mos 162.33
oxyrynchus piſcis vnde dictus 162.34

P

PAcis diuturnæ conſequentia 418.3
Pæanis & hyporchematis differentia 686.25
pæanum ſcriptores 686.19
palæſtinus 170.10
palæſtra decertantium mos 58.10
palladium 73.35
pallophoria ſacra 167.4
pamilia ſacra 167.3

pammenes Thebanus 546.12
pamyle 166.36
pamylitia 183.18
panætius 471.34, 561.34
pancrates 692.13
pandarus 275.37
pandoſia 425.1
panici terrores 168.17
panſa 414.16
panthea 304.30
panthea 116.5
paphlagonum de Deo opiniones 206.36
papirius Romanus 78.21
papirius Tolucer 78.19
paraneta 691.22
pardalæ 560.37,
pardalus 581.33
parentum curæ 157.22
parentum in filiis aut nepotibus notæ 243.22
parhypata 691.16
paridis lyra 434.18
pariere 527.23
parmenio 499.22
parnaſſus 249.29
parraſius 82.30, 632.5
parthenon 656.3
participij natura 612.26
partiũ ſimilariũ natura 6.24
partus ante conceptum 585.23
paſiades Byzantius 445.33
patientiæ medium 292.5
patria quæ ſit 644.17
patriæ cauſa quæ ſubeũda 562.14
patrocles 217.2, 735.15
patroclus 259.8, 264.37, 573.35
paulus tragœdus 509.2
paupertas 577.2
paupertas an malum 500.2
paupertatis pecuniariæ remedium 398.5
paupertatem quæ res efficiant 396.28
pauſanias 71.1, 229.37
payni ac Phaophimẽſes 179.16
Peccatum cum ratione 465.15
peccata quæ 313.17
peccatorum apud Perſas gradus 586.1
pectoris motus 53.20
pegaſus 334.9, 549.30
peleus 416.36, 514.9
pella 649.9
pelopidas 124.21, 127.30, 257.33, 456.33, 463.5, 551.20.571.3
pelopidas Thebanus 281.26
pelops 80.22
peluſii origo 170.12
penelope 96.14, 379.26
penpaſaſthæ 198.27
pente 198.26
perdiccas 453.32
perdicum naturæ 101.34.153.19
pereuntium ſuo indicio exempla 385.35
pergamena 563.34.
periander 136.25, 225.16
peribœa 77.34.
pericleatus 684.37
pericles 226.12, 236.11, 257.21, 262.25, 337.8, 455.21.471.30, 507.33, 516.9, 527.12, 536.6, 539.36, 540.4, 541.17, 545.22, 550.14, 554.30, 556.19, 558.

13, 560.19, 569.15, 583.29, 631.1, 636.12, 640.14, & 28, 711.24, 716.20
periclis virtus propria 454.25
perilaus 361.5
perinthus oppugnata 448.6
perſæus 340.12
perſarum regis conſuetudo 477.35
perſeæ ſtirpis conſecratio 206.7
perſeus 326.2
perſeus Macedoniæ rex 367.13
perſuaſionis cauſæ 538.14
perturbatio quid 487.35
peſtis remedium 215.10, 293.4
petentes quomodo ſubmouendi 343.24
petitiones abſurdæ vt reijciendæ 551.15
petræus 563.36
petronius Valentinus 83.16
Phædra 81.15
phædrus 169.36
phæno 28.8
phaethon 28.9, 311.10, 657.21
phaëthontis luctus 234.5
phalaris 83.33, 225.34, 474.32, 575.4
phalli conſecratio 171.7
phamenoth 188.24
phantaſia quid 47.15
phantaſiæ error 46.7
phantaſma quid 47.34
phantaſmatum natura 47.
phantaſticon quid 47.26
phantaſton quid 47.24
phaophi menſis 195.17
pharus 186.35
pheidias 123.10, 478.17, 632.3
phemius Ithacenſis 682.36
pheneum 233.30
pherecrates 698.27
pherecydes 109.18
pherephone 204.31
phidias 211.36
philagrus 387.2
philammon 682.27, 684.21
philarchus 795, 631.20
philautiæ effectus 285.24
philemon 499.23, 509.2
philetas poëta 520.29
philetræus 350.33
philippa 730 5
philippides 296.13, 383.23
philippus 730.10
philippus 69.36, 237.31, 279.36, 301.31, 388.14 421.8, 422.1, 439.15, 517.35, 547.5, 647.18, 652.37, 727.25, 733.29
philippus Aexonenſis 729.32
philippi virtus propria 454.24
philiſcus 718.10
philochorus 509.3, 631.20
philocles 716.24, 717.29
philocrates 387.1
philocleta 515.32
philonicus 554.15
philonome 82.20
philopœtis 740.21
philopœmen 519.15, 521.16, 558.28, 567.31, 568.1
philoſophandi ratio quæ 529.12
philoſophandi vera ratio 529.9
philoſophia Aegyptiorum 164.17
philoſophia contemplatiua quæ dicatur 488.12
philoſophia moralis quid ſit 3.19
philoſophia naturalis quid ſit 3.17
philoſophia quid ſit 3.11
philoſophiæ anſa 504.22
philoſophiæ effectus 437.11
philoſophiæ finis 294.4
philoſophiæ oratio 470.30
philoſophiæ pars theorica 213.29
philoſophiæ partes 3.16
philoſophiæ parandæ ratio 321.10
philoſophiæ princeps 5.20
de Philoſophia iudicium vt inſtituendum 592.6
philoſophi officium 333.10
philoſophi proprium 474.1
philoſophi ſtudium 471.3
philoſophum quid faciat 161.1
philoſophi falſi 532.14
philoſophorum & vulgi comparatio 437.16
philoſophorũ oblectationes 121.5
philoſophorum quæſtiones 150.33
philoſophorũ ſumma laus 429.34
philoſtratus Pellenenſis 713.23
philoxenus 127.9, 320.13, 336.22, 437.1, 439.12, 590.23, 688.15, 698.18
philoxenus Eryxidis F. 142.14
philotas 499.22
philotas Parmenionis F. 447.34, 448.22
phineus 590.31
phlegyas 226.11
phocio 259.11, 267.11, 283.15, 519.14, 520.34, 541.18, 546.11, 553.9, 555.2, 576.27, 635.19
phocio probus 681.5
phocion 126.36, 339.35, 399.5, 516.9, 542.26, 550.6, 570.8, 742.1
phocus Aeaci F. 77.7
phœbidas 549.34
phormio 133.35, 545.1, 631.2
phraſeles 716.24
phrygum de Deo opiniones 206.33
phryna 741.5
phryne 442.36
phrynichus 561.16, 635.3, 692.11, 714.17
phrynis 255.32, 684.23
phryleus 243.17
phyſicorum dogma 409.26
Pictorum mos 271.6
picturæ & poëſios comparatio 633.22
pierius 682.26
pietas in parentes 349.35
pindarus 133.33, 346.2, 635.2, 639.8, 684.18, 686.25
pingendi ars 631.33
piſcis qualis cibus 163.9
piſiſtratus 251.7, 280.9, 526.2
piſiſtratus Hippocratis filius 223.31
piſiſtratus Orchomenius 79.36
P. Piſo 389.14
pittacus 319.1, 358.2, 380.6, 573.7
pittacus Lesbius 554.31
placidi natura 305.30

placiditatis causa 222.15
planetarum cursus 33. 26, 650.15
plantarum genus 63.20
plantarum incrementum 63. 20
plathana 723.12
plathane 721.30
Plato 138.2, 144.12, 165.2, 311.25, 312.32, 320.13, 340. 22, 371.13, 475.33, 476. 12, 499.14, 504.18, 511. 10, 576.5, 690.22, 712. 37, 719.6
plato Dius 471.31
platonis domicilium 648.37
platonis voluptates 123.6
platonem fuisse rerum musicarum peritum 693.12
pleistænetus 632.2
pluto 177.14
plutonis colossus 177.17
plutonis nomen 10.3
pluuiarum causa 36.16
Podagræ & phrenitidis comparatio 406.24
pœna diuturna 228,16
pœnæ mortuorum repetitæ 247. 37
pœnæ perfectio 228.10
pœna tarditas 218.34
pœnæ tempus 227.27
pœnæ tempus cui notum 220.2
pœnitendi tempus 223.18
pœnitentia sera quibus prosit 224.36
pœnitentiæ causa 329.23
pœnitentiæ exempla 223.25
poëta malus 548.31
poëtices vectigal 637.22
polemarchus 467.29, 716.30
polemo 288.13, 478.1
polemonis domicilium 648.37
polias 539.29
politæa quid 88.25
politicus quis 549.3
politici boni officium 89.29
pollutionis causa 465.12
pollux 356.19, 358.28, 361.21. 477.1, 566.14, 636.32, 738.21
polyænus 109.16, 133.26
polybius 519.16, 561.34
polycletus 478.18
polydorus 76.28
polyeuctus 542.27, 727.26, 733.1, 735.20
polymestor 76.30
polymnastia 683.19
polymnastus 698.3
polymnastus Colophonius 686. 13
polymnestus 684.14, 686.27
polymnestus Colophonius 683. 13
polynices 642.17, 655.14
polyphemus 102.23
polypragmones in republ. 557.3
polysperchon 335.21, 340.28
polyxena 438.31
polyzelus 66.9, 634.23
pompeius 413. 19, 519. 15, 544.26, 545. 24, 546. 30, 554.20, 564.14
pompeius Magnus 510.2, 226. 13, 536.30
pompeij gratia 414.7
pompilius Numa 411.25
ponderum iactatorum natura 601.10

Poneropolis 301.32
C.Pontius 422.32
pontus 624.6
populus vnde primũ eneruatus 575.18. vt regendus 540.16
populi amor 557.14
populi fauorẽ qui captẽt 540.23
populi ingenium 534.8
populo vt cedendum 568.8
porcorũ ægrotãtiũ remedia 101.
portnus Selinus 616.12 (5
porsena 67.3, 70.6, 280.9
porus 280.27, 436.16
porus quid 199.11.17
possibilis diuisio 674.6
possibilis & contingentis comparatio 673.23
posseri propter culpam maiorũ puniti 240.24
posthamius 383.6
posthumius Albinus 67.32
in Potestate nostra quæ sint 329.20, 674.36
potus Aegyptiorum 216.12
Practicus quis 4.12
præneste 564.25
præneste origo 85.9
præpositionum natura 612.33
cũ Præstantibus cur potius viuendum 470.37
præteritorum recordatio 666.2
pratinas 685.17, 686.22
prauitas insanabilis 405.34
prauitas potẽtiæ adiuncta 481.9
praxitiles 716.34, 731.3
praxithea 75.3
presbeon 513.2
presterum causa 35.25
priamus 76.28, 288.3
priamo calamitosior 97.15
prima & maxima 373.28
principis exẽplar 481.25. institutio 477.15. opus 478.16
principis viri oratio 540.26
principi quid metuendũ 479.18
principi quis imperabit 477.28
de Principe bono vaticiniũ 250.
principes amentes 477.1 (2
principes colossicis statuis comparati 477.7
principum amicitiæ 561.27
principum ineruditorum descriptio 477.11. officium 478. 5. peccata 536.34
principium in omnibus rebus 416.24
principiũ omnium rerum 182.6
principij & elementi discrimen 5.2
principio cuiuis in quo plus sit 596.10
principia quæ sint 5.18
principia rerum aduersa inuicem 190.20
principiorum nomen 5.10
de Principiis sententiæ philosophorum 292.17
prinistum 85.7
priscus 411.26
priuatio quid 614.11
priuationis natura 614.21
procreationis & ortus differentia 594.3
ad Procreationem prolis quando accedendum 241.35
prodicus Ceus 719.8
prodicus sophista 520.29
prodigalitatis effectus 588.15
proditionis exitus 72.35
prolis generatio 155.21

prolis similitudo 57.10
prometheæ quæ 411.18
pronominis natura 612.20
prophthasia 429.30
proportionum ratio 607.15
propylæa 540.28
prosagogidæ 306.24
proserpina 177.14
protasis Græcis quid 609.2
protogenes 244.3
protrygeretes 70.34
prouidentia quid 677.12. secũda ibid.15. summa ibid. 34. tertia ibid.19
prouidentiæ diuinæ quid conueniat 671.37
prouidentiæ filia 411.17
prouidentiæ particula 213.5
proxenus 742.31
prudentes qui sint 323.8
prudentiæ ac sapientiæ discrimẽ 488.15. definitio 483 15. effectus 311.16. opus 488,19
prudentia quando appelletur virtus 483.6
Psammetichus 162.24
psychopompeion 230.8
Ptolemæus 116.27
ptolemæus Ceraunus 229.34
ptolemæus Philadelphus 450.37
ptolemæus Soter 177.17
publicanorum odium 299.6
pudor vitiosus vt eximẽdus 333.21 (333.31
pudoris à verecũdia distinctio
pudoris vitiosi effectus 332.4
pudorem ineptum quæ comitentur mala 339.5
puer terrore visus mortuo 170.6
pueri vt fallendi 433.5
puerperarum curæ 157.1
pugnæ ad Mantineam pictura 632.13
ad Pugnam cuncti vtilissimum animal 171.15
pulcerrimum quid 171.12
pulcris rebus æstimandis infelicitas 360.15
pulmonis motus 52.37
pulsationum elocutiones variæ
pulueris natura 628.9 (693.5
puniendi modus 283.20
punitio vt exercenda 284.17
punitorum celeriter & serò comparatio 230.14
purgandi ratio vnde sumpta
Pyanepsion 206.28 (211.21
pylagoras 725.9
pylas 631.4
pyræhmes 69.24
pyrander 79.25
pyrrhon Eleus 434.28
pyrrhus 525,28
pyrrhus Epirotas 69,12
pyrson 130.13
pythagoras 19.15
pythagoræ philosophia 165.7
pythagoræ præcepta 165.12
pythagoreorum de colore opinio 19.3. numeri et figuræ 212.5
pythagoricorum de principiis opinio 192.30
pythalmius 502.14
pytheas 540.30
pythia 584.18
pythica inscriptio 321.12
pytho 565.35
pytho Aenius 261.32
pytho Nisibensis 243.26
pythocles 118.14
pythoclidas 690.4

Q

Quaterniõis natura 198.23
quæstiones musicæ 121.7
quæstiones poëticæ 121.17
quæstionum varietas 4.2
quinarij natura 198.24

R

Rasuræ capitis causa 161.7
ratio ciuilis quid 88.15
ratio quomodo agat 502.12
ratio rationi opposita vt conciliãda 497.5
rationis exercitatio 514.14. natura 606.31. officium 493.29. opus 489.11
rationis rectæ effectus 310.31
rationis vacua quæ sint 485.35
rationis vis 272.26
rationi aduersantia 495.25
inter Rationem & brutam animi facultatem differentia 490.31 (24
Reæ cũ Saturno congressus 166.
rectangulus triquetrus 117.25
regis institutio Epicuræa 119.34
reges qui & quando meliores 521.14
regum pulcerrima 296.17
regni Alexandrei fines 445.30
regni molestia 517.29
remi & Romuli ortus 83.1
reprehensio laudationi permixta 554.24
reprehensio proximi 269.12
res humanæ difficiles explicatu 220.21
res naturales quæ dicãtur 4.26
res nouæ vt tentandæ 567.36
rerũ aduersarũ vtilitas 258.30
rerum commixtio 324.20. diuisio 488.6. humanarum varietas 324.8. præstantia 93.2. sensilium imagines 595.10
resina quid 216.14
resinæ natura 214.37
respiratio vt fiat 52.10
respondendi ad interrogata ratio 390.13
respondendi genera 391.33
respondendi modus 392.29
responsio ciuilis 554.17. vt formanda 392.20
responsum superfluum 392.7
responsa ad maledicta 555.9
respublica cuiusmodi viris indigeat 548.14.
respubl. seni cur gerenda 519.2
reipub. administratio in odium quomodo adducatur 533.10
reipubl. administratio in quo consistat 528.37
reipub. administrationis maximum malum 512.25
reipubl. administrationis voluptates 510.27
ad Reipubl. administrationem quomodo accedendũ 533.22
reipubl. antiqua tractatio 513.21
reipubl. forma optima 90.3
reipubl. formæ 88.36
reipubl. gerẽdæ voluntas 532.30
reipub. perfectissima forma 517.30
reipubl. status depravatus 89.14
reipub. tractatio quid 520.4
reipub. quæ debeantur 531.17

ad Rempubl. aditus 543.35
rempub. gerentium cura 536.20
ad Rempub. qualis ductor deligendus 547.8
in Repub. primum locum cui lex tribuat 567.25
à Repub. qui arcendi 520.22
resus 77.12
retana 79.18
retræ quid 466.15
reximachus 73.12
Rhetoricæ vis 722.27
rhetoris oratio 461.7
in Ridicula oratione quid cauendum 542.15
Rodiorum luxus 398.37
roma 378.18
romæ cognomen 412.10
romanorum genius 421.20
romanorum ingenium 561.31
romulus 412.31
romuli fortuna 414.37
romuli vitæ finis 415.10
roxane 436.24
roxanes 446.26
Ruminalis 415.19
ruſtius 76.36
rutilius 587.14
Rythmorum ratio 701.11

S

Sabinus 413.25
Sacadas 688 10
ſacadas Argiuus 685.35, 686.13
ſacerdotum Aegyptiorum mos 163.2
ſacrificium diis gratum 166.20
ſacrificium irritum 132.4
ſacrificia triſtia 206.16
ſacrificiorum rationes 163.18
ſacrorum finis 160.16
ſacrorum triſtium ratio 207.1
ſai 181.2
ſalamina 366.7
ſalamis 638.7
ſalis appellatio 180.34
ſalis natura 161.35, 162.1
ſalem plerq; cur detrahant cibis 161.35
ſalibus defenſio inſtituta 541 4
ſalia 84.22
ſandanus fluuius 69.37
ſanitas quid 65.9
ſanitatis incertitudo 110.28
ſanitatis quærendæ ratio 503.10
ſanitatis ſtudium 214.22
ſaoſis 169.21
ſapientis nomen 263.13
ſapientibus proprium 159.15
ſapientia quid ſit 3.10
ſapientia vera 593.15
ſapientiæ diuinæ imago 480.18
ſaporum norma 98.7
ſappho 689.37
ſarapis 177.13, 178.4
ſardanapalus 120.2. & inde
ſardanapali ſepulcrum 443.2
ſardiani 78.36
ſatelæi 235.5
ſatio tempeſtiua 157.10
ſaturnalia 125.1
ſaturnus 70.16
ſatyrus hiſtrio 267.3
Scaurus Aemilij 418.32
ſceleratorum ſomnia 229.24
ſceleſtorum natura 232.12
ſchœnion 683.17
ſcientia binario cõparata 8.25
ſcientia cui conueniat 160.5
ſcilurus 389.1
ſcimbrates 77.30

Scipio 258.20, 360.11. & inde
Scipio Africanus 554.11, 557.16
Scipio Numantinus 412.20
Scipio Romanus 536.29
Scipionis fortitudo 414.7
Scirophorion 638.34 (697.36
Scolia carmina quis inuenerit
Scopa Theſſalus 402.34
Scythia 624.6
de Sectione corporum 19.
ſeditionum cauſæ 580.35
ſerium fidus cui attributũ 184.
Seſachthea 455.18 (27
Seſachtheæ inſtitutio 549.20
ſeleucia 429.29
ſeleucus 229.35, 361.7. & inde
ſeleucus Callinicus 384.1
ſemele 248.29
ſemen muliebre quid 200.4
ſemen quid 289.6
ſeminis natura 52.1, 54.32
ſeminis ſubſtãtia & genus 45.5
ſemiramis 442.27
ſemiramidis res geſtæ 174.25
ſeneca 287.11
ſenectus cur malè audiat 668.8
ſenectutis cauſa 65.17
ſenectutis commodum 515.11
ſenectutis dedecus 586.33
ſenectutis honor 513.2
ſenectutis momentum 517.24
ſenis laus 514.1
ſenes quas ſectari voluptates deceant 510.22
ſenes validi 520.18
ſenum in repub. officia 522.37
ſenum in repub. oratio 525.15
ſenum natura 510.20
ſenum ſtudia 510.8
ſenibus in repubi. cuius rei gratia verſandum 519.32
ſenibus contemtus vnde paretur
ſenſilium natura 213.23 (514.5
ſenſus odoratus 98.3
ſenſus quid 45.21.
ſenſus vt fallat 46.6
ſenſuum impedimenta 304.7. iudicium 46.2. numerus 46.13. officium 303.26
ſentiendi inſtrumenta 45.24
ſeptimius Marcellus 77.20
ſermonis emiſſi natura 381.19
fines 345.7. irati pœnæ 277.25. vſus 377.15
ſermonum efficlio 201.25
ſertorius 421.16
ſeruos in Etruria puniendi modus 284.13
Ser. Tullius 419.9
Ser. Tullij regnum 419.32
ſeth 187.18, 193.30, 202.9
ſeueritas parentũ in liberos 71.3
ſexagenarij numeri natura 211.
Sibylla 249.34 (15
ſiciliæ libertas reſtituta 123.7
ſicyoniorum pœna 225.35
ſigna inſociabilia 60.16
ſilentium quid 376.7
ſilentij deſcriptio 395.22. fructus 388.11. laus 387.29. vtilitas 373.27, 379.6
ſilo 417.33
ſiluani ſeu Aegipanes 99.28
ſimilius 77.12
ſimmias 545.22
ſimo 470.21
ſimonides 301.13, 343.7, & inde
ſimonidis dictum 231.3
ſimulacrum Andocideum 716.8
ſiſtrum 202.27

Sisyphus 14.21, 102.32
Sitis reprimendæ ratio 391.29
Smy 202.9
Smyrna 75.29
Sobrietatis exempla 127.5
Socrates 133 32, 222.1
Socratis philosophia 591.10
Sol vnde natus 24.36
Solis couersio qualis 30.28. cur sus 650.17. defectus 31.6
Solis & cœli contrarius motus 210.31
Solis & lunæ cursus 182.2. forma 30.22. magnitudo 30. 13. natura 29.20, 296.10
Solis obscuri causa 463.25. officium 478.12 ortus quomodo pingatur 166.6. sacrificium 179.18. sacrificium primum 195.28
Solon 165.1, 357.28, 455.4
Soli fertilis indicium 331.35
Somnus Epimenideus 507.1
Somni causæ 62.26, 216.8
Somni subiectum 63.3
Sonchites Saita 165.6
Soni celeris natura 602.37
Sophilus 711.5, 714.4
Sophistarum natura 347.7
Sophocles 133.35, 281. & inde.
Soramus 470.9
Sordidus quis 556.15
Soros 178.16
Sosibius 177.23
Sosicles 724.5
Sosigenes 723.35
Soteles 177.26
Sotericus Alexandrinus 681.23
Sothi 201.35
Sothis Aegyptiis quid 173.28
Sotio 363.35
Spartanorum ingenium 535.17
Sparti qui 243.28
Speculi vsus 276.36
Spectaculum gratissimum 511.21
Sperthi 564.13
Spes inanes 147.23
Spes Pindarica 330.8
Speusippus 371.14
Sphinx 94.19
Sphingis origo 99.29
Sphodrias 549.36
Sphragistæ 180.2
Spintharus 725.14
Stasicrates architectus 441.6
Statiras 446.27
Statuarum collocatio 572.18
Stellæ quid denuncient 29.8
Stellæ vt constatæ 27.5
Stellarum figura 27.30. illuminatio 28.30 latio & motus 28.20. natura 27.5. ordo 28.1
Sterilitatis causa 57.34
Stesichorus 683.3
Stesichorus Himeræus 685.25
Stesimbrotus 71.30
Sthenelaidas 541.24
Sthenelus 258.8
Stheno 564.14
Stilbon 28.12
Stilpo 313.11, 327.2
Stilpo Megarensis 345.27
Stoicæ sectæ princeps 17.33
Stoicorum absurda dogmata 85. 13 de affectibus sententia 53. 25. de deo opinio 16.24. de elementis opinio 18.16. de figura Stellarum opinio 27. 33

Stoicos

Stoicorum de geniis & heroibus opinio 17.5
Stoicorum de magnitudine Lunæ opinio 32.8
Stoicorum de mundi numero opinio 11.21. de sensu animæ opinio 51.25. de solis natura opinio 29.28. de voce sententia 50.28, 51.10. decretum 436.1. error 189. 34. theologia 187.3
Stolidorum natura 323.5
Stoliste qui 186.3
Strabo 226.14
Stratagema 67.25
Strato 617.35
Stratonis patria 652.17
Stratocles 533.19, 535.18, 744.36
Stratocles rhetor 727.2
Stratonica 367.24
Stratonius 398.36, 646.27
Studia diuersa 361.17
Studiorum similitudo 361.20
Stulticia suauitati admixta 480.36
Stultitiæ crimen 655.3
Stygis aqua 628.29
Styli commendatio 709.31
Suauium fragrantiarum vtilitas 215.15
Substantiæ proprium 615.17
Successus infelicis causa 312 30
Succorum discrimina 64.5
Suffituum ratio 214.20
Sus Cromyonia 94.17
Suis natura 163.30
Superbè dicta & facta quorundam 445.23
Superstitio quid 131.6
Superstitionis vsus 235.35
Supplicandi apud Persas genus 622.14. (317.32
Supplicium de seipso sumtum
Supplicij dilati vtilitas 225.5
modus et opportunitas 226.27
Supplicia exigendi vis 280.32
Supplicium apud inferos genera
Sybaris 75.22, 716.27 (246.27
Sycophanta quid 307.4
Syenitarum consuetudo 162.36
Sylla 262.1, 377.36, 511.16
Syluanus 76.12
Syluia lunia 82.35
Symmachus 729.37
Synaugea Platonica 48 21
Syncretismus 368.13
Synienæ quid 201.9
Synusia quid 182.9

T

TAenarus 239.27, 628.29
tacendi impotentia 373.1
tacendi magistri 379.20
taciturnitatis exemplum 378.35
fructus 380.30. laus 379. 16. præmium 379.2
tanagra 661.27
tanais 441 32
tanaquilis 419.33
tantalus 648.16, 657.21
taphosiris 173.8
tarpeia 73.4
tarquinius Superbus 71.22
tarrias 447.37
tarrias Dinomenis F. 447.32
taurorum natura 432.1
Technatis 164.6
inter Tegeatas ac Pheneatas bellum 73.10
telamon 77 8.33
telchines 253.14

telearchia quale munus 556.4
telegonus 85.2
telemachus 251.16, 403.12
telephanes Megarensis 692.25
telesinus 417.34
telesippa 448.15
telesias Thebanus 699.33
telesphorus 654.18
telesippus 719.2
teletias 225.37
temperantia quæ dicatur 491.1
temperantia quid 96.25
temperantiæ appellatio 483.9
temperantiæ bonum 403.34
temperiei bonæ causa 348.11
tempestatum periculosior quæ 407.11
templi Milesii proditio 233.18
tempus hominũ & Dei respectu vt intelligatur 228.21
tempus quando extiterit 605.12
tempus quid 20 16, 604.30
temporis & Dei coniuncta opera 409.20
temporis instrumentum 604.3
temporis Romæ distinctio 527.18
temporis substantia 20.21
tenebræ an possint videri 49.3
tenedus 583.18
tergemini vt nascantur 56.37
ternarij vis 198.22
Terpander 234.35. & inde
terpander Antissæus 698.20
terra aëri vt opponatur 625.24
terra an primò frigida 625.15
terra ceramitis 582.33
terra cur nigra poëtis dicta 626. 28
terræ aggestio 186.34
terræ anima & motus 603.15
terræ elementum 628 37. figura 38.34 inclinatio 39.14
terræ in zonas distinctio 39.35
terræ motus 39.23
terræ motus causa 40.6
terræ munus 478.10
terræ natura 409.14, 626.6
terræ natura & quãtitas 38.25
terræ situs 39.1
terrã primò esse frigidã 628.3
testudinũ ægrotãtiũ cura 101.6
tethys 182.7
tetractys 8,2, 212.15
Tettix Cretensis 239.27
teucer 361.22
Thales 19.15, 165.2. & inde.
thaletas 688.10
thaletas Cretensis 686.31
thaletas Gortynius 686.11
thamyras 116.22
thamyris 275.34, 682.30
thasius 317.24
theætetus 390.21
theagenes 556.31
theoclymenus 48.9
thebæ 225.19 (535.8
thebanorũ natura & ingeniũ
themis 249.28, 539.29, 571.23
Themistocles 123.18. & inde.
themistoclis virtus propria 454.23
themistogenes Syracusius 631.17
theo 103,27, 665.24
theodectes Phaselita 720.10
theodorus 149.26. & inde.
theodorus Atheos 312.2
theodorus Cyrenæus 654.13
theogenidas 716.6
theognis 472.12
theophrastus 120.20. & inde.
Theophrasti auditores 267.10
theophrasti patria 652.17
theopompus 476.24, 541.25
theopompus Chius 720.8
theopompus Lacedæmoniorum rex 566.1
theos vnde dictus 201.2
theotimus 70.14
theoxenia 234.26
theramenes 467.29. & inde.
therippides 732.5
thersander 67.21
thersippus Eræensis 634.12
thersites 659 14
theseus 656.4
theseus 81.13
thesmophoria 206.23
thesmothetæ quomodo legantur
thespis 635.4 (449.31
de Thespesio Solensi rediuiuo fabula 244.3
thessalus 439.33
thessalorum religio 210.18
thracia 624.6
thraseas 553.36
thrasicles 729.7
thrasonidæ 120.7
thrasonidæ mala 398.21
thrasybulæa 638.12
thrasybulus 124.20. & inde.
thrasylæus Eleus 717.18
thrasyleontes 120:8
thrasyllus 631.9
thrasyllus Phliasius 692.20
thucydides 236.11. & inde.
thucydidis patria 652.35
thueris 171.23
thyestas 80.23
L. Thymbris 76.36
Tibiæ & citharæ autor 689.2
tibicinum nomi 685.7
tigranes 422.6, 443.10
timæa 313.7
timæus 652.37, 670.16
timarchus 635.18. & inde.
timeles 683.18
timesias Claxomenius 557.20
inter Timiditatem & audaciã medium 490.20
timoclea 116.6
timocles 733.13
timocrates 125.14, 732.4
timoleo 261.30
timoleo Corinthius 550.10
timoleon 225.21, 565.34
timon 217.4, 364.1
timothea 730.3
timotheus 177.28. & inde.
timotheus Cononis F. 710.4
tisaphernes 392.12
tisba 116.6
tisias 716.34
tisias Syracusanus 719.9
titanica 182.33
titanum facinus 464.19
tithonus 522.13
Tlesimachus 80.5
Tolerantia 148.5
tolmidas 631.5
tonitrus causa 35.26
tonorum genera 686.2
tonsores cur loquaces 384.30
torebus 689.34
Tractatio regalis 280.29
tragus 636.30
tranquillitas animi vt definienda 309.30 (10
trãquillitatis animi causa 317.
trãquillitatis animi fons 311.18
tranquillitatis causa 308.27

ad Tranquillitatem animi quæ faciant 405.7
triangulꝰ descriptio 198.14
tribunal quid 571.21
tricorporum natura 348.1
triptolemus 585.16
tritici natura 375.10
tritogeneia 212.8
trocius 78.5
trophæa Chæronensia & Mithridatica 412.13
τρόποι quid 223.22
Tullus Hostilius 69.30
tumultus sedandi ratio 569.22
tuxium 83.14
Tybi mensis 194.9
tyliphus 82.28
typhon 160.8, 178.9
typhon qualis fuerit 173.34
typhon vinctus 171.28
typhonis & Nephthys pater 167.12. insidiæ quid denotent 185.15. interpretatio 193.25. nomen 189.24. ortus 167.7. physica explicatio 196.30. spuma 180.34
de Typhone fabula 163.33. narratio 176.33
typhonum natura 35.25
tyrannis quid sit 505.35
tyrannorum animus 480.5
aduersus Tyrãnos cautio 574.8
tyro 394.21
tyrrhenus 581.33
tyrtæus Mantinensis 692.19
tyrus 447.18
typhonis simulacrum 194.5

V

VAcuum an sit 19.32
Valeria Luperca 82.9
valerius 76.3
valerius Conatus 69.16
valerius Cestius 76.37
valerius Torquatus 72.13
valeria Tusculanaria 76.2
valetudinis bonæ causa 65.2
valetudinis tuendæ præceptum 267.32
Vbera brutorum 156.15. mulierum ibid.16
vberum affectio 155.32
Vehementia nimia 568.18
venatorum studium 302.29. vestitus 432.1
venereæ libidinis effecta 377.34.
ventorum molestissimi qui 295.30. natura 38.5
venus 320.37, 377.21, 472.30
venus tempestiua 98.35
veneris detestatio 515.5
veneri sacrum animal 208.7
in Venerem proclivium semen quale 374.27
verecundi natura 375.14
verecundia quando fiat vtilis 334.2
verecundia quotuplex 497.36
verecundiæ cognatum 332.5
veris initium 188.26. natura 181.28.
veritatis incertitudo 235.34. 236.1. scientia 593.10
versus Homericus ex omnibus orationis partibus constans 608.32
versutiæ nomen 93.23
vestium linearum vsus causa 161.10
vesuuius mons 250.1
victimæ humanæ 82.3

victoria Cadmea 364.29
victus primorũ hominum 459.20
vinum Thasium 108.25
vini natura 162.15, 377.12. 534.14
viperarum natura 383.36, 400.5
vindictæ dilatio 217.32
vinolentiæ & ebrietatis discrimen 375.28
vir bonus quis 577.14
viri perfecti descriptio 3.25
viri boni qui 252.29. vt fallendi 433.6
virorum fortitudo 94.36
virgarum natura 37.36
virtus à contemplatione quomodo differat 482.18
virtus an possit doceri 252.22
virtus ciuilis quomodo pessundetur 509.24
virtus hastifera 420.31
virtus qualis sit res 404.2
virtus quid, communis opinio 483.30
virtus quid secũdum Epicurum 119.14
virtus vnica 483.1
virtutis accusatio 408.25
virtutis chorus 410.33
virtutis commendatio 408.29
virtutis & fortunæ comparatio 408.16
virtutis & fortunæ consensus 409.7
virtutis & honoris fanum 412.21
virtutis fanum apud Romanos 412.20
virtutis pictura 410.14
virtutis templum 418.30
de Virtute variæ sentẽtiæ 482.33
virtutes quatenus plures 483.2
virtutum contemperatio 436.6
virtutum & vitiorum apud dæmones discrimina 175.27
virtutum philosophiæ diuisio 3.15
visus causa 48.10
visus modi 36,34
visus vtilitas 221.15
vitæ æternæ beatitas in quo 159.33
vitæ comparatio 311.25
vitæ generis delectus 322.27
vitæ humanæ conditio 310.7
vitæ humanæ finis 145.8
vitæ mutationes 310.15
vitæ optimum modum quid faciat 311.16
vitia non tegenda 143.8
vitia populi quæ amolienda 535.37
vitia vt curentur 387,16
vitiorum occultatio quid habeat mali 143.10
vitiorum vis 148.13
vitiosi hominis natura 232.1
vitiositas maxima 659.19
vitiositatis effectus 147.33
vitiositatis humanæ crimẽ 151.2
vitiositatis natura 150.15,227.34 (261.13
vituperatio suiipsius per alium
viuacitatis causa 65.26
Vlisses 263.34. & inde.
Vlisis habitatio 649.19

vltio delicti qualis 227.20
vltionis natura 217.29, 222.7, 281.5 (222.33
vltiones malefactorũ humanæ
vnguenti natura 666.25
vngues vt nascantur 62.12
vnitatis natura 7.20, 381.10
vniuersi comparatio 198.12
vniuersi creatio 9.1
vniuersi et mũdi discrimẽ 23.25
vniuersi gubernatio 213.6
vniuersi interitus 9.6
vniuersi in partes inæquales diuisio 594.35
vniuersi natura 221.11, 596.15
vniuersi principia in quibus constituenda 189.30
Vocabulorum peritia 207.31
voluptas immodica 115.25
voluptatis vanitas 231.25
voluptates à gloria profectæ 128.2
voluptates animi ob virtutem 511.3
voluptatis contemtus 99.2
voluptatum diuersarum collatio 124.28
voluptatum incertitudo 109.15
voluptatum memoria 127.17
voluptatum recordatio qualis 108.1
voluptatum studium 117.12, 230.37
voluptatum studium quos deceat 510.8
voluptatum subiectum 105.20
vomitus vsus 397.18
vota 291.30
vox quid sit 50.3, 681.29
vocis modus 392.28
vocis substantia 51.1
Vrania 472.34
vrsæ natura 152.35
Vsia 201.5
in vtero primum quid nascatur 155.18
Vulcani ortus 180.21
vulpes Teumesia 94.22

X

Xantippe 286.26
Xantippus 157.19, 716.20
xenius 742.3
xenocrates 303.10. *& inde.*
xenocratis domicilium 648.37
xenocritus 687.2
xenocritus Locrensis 686.12
xenodamus Cytherius 686.12
xenœnetus 541.11
xenon 357.18
xenophanes 336.10
xenophanes Colophonius 207.21
xenophon 631.14. *& inde.*
xerxes 66.23. *& inde.*

Z

Zaleucus 262.6
Zelotypiæ exitus 75.15
Zeno 267.9, 289.6. *& inde.*
Zeno Citicus 483.14
Zeno Citiensis 312.17
Zenonis patria 652.19
Zethus Amphipolita 731.37
Zeuxippus 103.22, 129.21
Zoroastres magus 190.35

FINIS.

AVTORVM IN SECVNDA MORALIVM PLVTARCHI PARTE INdex Alphabeticus.

Aeschylus 86.9, 109.30
Agatarchidas Samius 67.2
Agatho Samius 83.27
Agesilaus 78.34
Alcæus 689.6
Alcman 411.19
Admeo 28.27
Alcmæo 49.18, 62.26, 65.2
Alexander Polyhistor 84.29
Alexarchus 69.35. 184.16
Anaxagoras Clazomenius 6.23
Anaxagoras 15.9, 19.23
Anaximander Milesius 5.36. 16.6, 28.15, 29.21
Anaximenes 26.23, 27.35
Antias 420.10
Anticlædas 184.23
Anticles 689.11
Antimachus Colophonius 392.8
Antipho 32.17
Antiphon 41.17
Apollodorus 117.22
Aratus 29.12
Archelaus Apollodori F. 7.10
Archemachus Euboensis 177.15
Archilochus 374.13
Archita 707.37
Aretades Cnidius 71.21
Aristagoras 162.3
Aristarchus 31.20
Aristides Milesius 66.20
Aristo 184.15, 544.13
Aristobulus 80.20, 116.6
Aristocles 77.17, 85.10
Aristodemus 82.4
Aristophanes 253.26
Aristoteles 3.22, 4.22, 5.3
Aristoxenus 115.35, 687.8
Asclepiades 43.27, 52.21

B

Berossus 32.29
Boethus 35.15

C

Caecilius 711.34, 712.36
Callimachus 648.10
Callisthenes 68.32, 70.5
Carneades 330.11
Castor 180.3
Chares 451.21
Chrysermus 67.30, 71.6
Chrysippus 21.36, 49.7
Cicero 531.10
Cleanthes 27.34, 28.21
Clætonymus 71.14
Clitophon 73.3
Colotes 103.7
Crates 28.16, 267.17
Cratinus 640.31
Cratippus 715.6
Critolaus 69.22

Ctesibius 731.36
Ctesiphon 71.35

D

Deno 180.12
Demades 612.7
Demaratus 73.22
Demetrius 19.35, 637.20
Demetrius Magnes 736.15
Democritus 16.7, 20.28
Demosthenes 260.18
Dercyllus 73.37, 83.31
Diagoras Melius 14.10
Dicæarchus 43.26, 54.17
Diodorus Siculus 66.21
Diocles 58.3, 59.30
Diogenes 23.23. 25.33
Dionysius 717.31
Dorotheus 75.11, 77.11
Dositheus 74.29, 79.11
Duris 427.24

E

Ecphantus Pythagoreus 39.27 (31
Empedocles Metonis F. 9.
Ephorus 43.8
Epicurus 16.32, 20.29
Epigenes 35.14
Erasistratus 44.29, 56.33
Eratosthenes 20.18, 33.23
Euclides 116.31
Eudoxus 29.12, 43.12
Euemerus Tegeata 14.13
Euenus 132.22, 157.25
Eupolis 474.30
Euripides 13.2, 48.1
Euthymenes Massilienſis 42.33

G

Glaucus Italus 683.32
Glaucus Reginꝰ 713.10
Glaucus Thaleta 687.6

H

Hecatæus 162.23
Hecatæus Abderita 164. 30
Hegesianax 76.27
Hegesias Magnes 731.23
Heliodorus 740.30
Hellanicus 182.12, 714.24
Heracletus 18.31
Heracletus physicus 177.35
Heraclides 27.25
Hermæus 184.20, 188.12
Hermippus 740.17
Hermogenes 134.1
Herodotus 43.5
Herodotus Halicarnasseus 652.4 (12
Herodicus Selybrianꝰ 228.
Herophilus 20.30
Hesiodus 161.20
Hipparchus 48.16
Hippocrates 59.35
Hippon 45.19
Hipponax 56.3.13
Homerus 5.33

I

Ion 408.32, 310.26
Ister 689.11
Iuba 76.21

L

Leophanes 56.7
Leucippo 45.6
Leucippus 19.35
Liuius 424.28
Lysias 712.7
Lysis 690.5

M

Manethos 202.13
Melanthius 222.10
Melissus 20.36
Menander 269.37
Merillus 77.32
Merylius 72.31
Metrodorus 11.37
Mnaseas 184.22

O

Oecetes 38.26
Onopides Chius 27.2
Onesicritus 427.14

P

Panætius 290.23
Parmenides 20.36
Parthenius poeta 75.21
Philemon 280.10
Philochorus 735.6
Philoctetas Aeschyleus 105. 34
Philolaus 24.23
Phylarchus 178.10
Pindarus 85.17
Plato 5.3
Plato Aristonis filius 10.6
Plato comicus 537.25
Polybus 59.30
Polybius 424.18
Posidonius 34.33
Posidonius 22.6
Pyrander 83.10
Pythagoras 8.4
Pythagoras Mnesarchi filius 7.15
Pytheas Massilienſis 41.32
Pythocles Samius 72.29

S

Sappho 278.4
Satyrus 736.24
Seleucus 23.22
Seleucus mathematicꝰ 42.3
Simonides 174.5
Socrates 16.11
Socrates Sophroniſci filius 10.5
Solon 321.35
Sophocles 116.16
Sostrates 78.18
Stesichorus 229.19
Strato 35.7
Strato physicus 322.4

T

Thales Milesius 5.5
Theocritus 342.14
Theocritus Chius 649.5
Theodorus 76.1
Theodorus Cyren. 14.11
Theophilus 72.20
Theophrastus 3.22
Theopompus 116.6
Thucydides 217.18
Timæus 41.37
Timo 493.4
Timotheus 420.31
Trisimachus 69.10

X

Xenocrates 28.2
Xenophanes 24.14
Xenophon 115.31

Z

Zeno 17.33
Zeno Mnaseæ filius 10. 16
Zopyrus 82.31

FINIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

BASILEAE, EX OF-
FICINA THOMAE GVARI-
NI, ANNO SALVTIS HV-
manæ M. D. LXXII. Men-
se Augusto.

Universidad de Deusto
Biblioteca